CONSENSVS

ECCLESIÆ CATHOLICÆ

CONTRA TRIdentinos.

DEMONSTRANS VNAM AC PERpetuam doctrinam è sacris Scripturis excerptam, & in Ecclesia Catholica conseruatam vsque ad Concilium Tridentinum, in grauissimis fidei controuersiis, quæ sunt

De
- Scriptura, siue regula fidei.
- Ecclesia.
- Fide iustificante.
- Gratia.

OPVS

PRÆLECTIONIBVS OXONIENSIBVS inchoatum, deinde auctum, & in publicum editum.

Auctore

GEORGIO CARLETANO, ANGLO.

Gregorius I. lib. 9. indict. 4. epist. 40.

Gratias agimus omnipotenti Deo, qui immutatis pastoribus gregis sui, fidem, quam semel sanctis Patribus tradidit, etiam post eos immutabilem custodit.

LONDINI,

In Officina Nortoniana, apud Ioannem Billium.

ANNO M. DC XIII.

1613

C172.55

HARVARD
COLLEGE
LIBRARY

REVERENDISSIMO IN CHRISTO PATRI, Domino meo colendiſſimo, Georgio Archiepiſcopo Cantuarienſi, totius Angliæ Primati, Magnæ Britanniæ Regi à ſecretiori conſilio: vitam in Chriſto beatam, ſpiritum prudentiæ, fortitudinis, ac ſanctificationis, & multiplicem à Domino gratiam, pacemq;.

QVum populus Dei ex Ægypto vocatus (Reuerendiſſime in Chriſto Pater, & vigilantiſſime in Eccleſia Præſul) per varia diſcrimina in terram promiſſam tenderet per miraculoſa in Ægypto oſtenta, per rubri matis profunda, per deſertum Sinæ, per medios hoſtes Amalachitas, per ſerpẽtes igneos, per verſutias Balaam, per varia bella cum hoſtibus ex gigantea progenie, quorum ſpecies inſolita, vrbes vallatæ, ferrei & falcati curſus formidinem populo incuſſerant: quæ videbantur impedimenta, toti-

dem ceſſerunt credentibus fidei firmamenta, dum per ea diuina virtus, potentia & bonitas in populo ſuo liberando clarius eluceret. At infirmioribus atque ignauis animis totidem obſtacula videbantur obiecta. Poſtquam vero idem Deus populum ſuum ex Antichriſti iugo ac tyrannide vocauerit, ex ſeruitute illa duriori, quam fuit Ægyptiaca, ex captiuitate illa acerbiore, quam fuit Babylonica; quamuis multi Ioſuæ & Calebo ſimiles reperti ſunt, qui populum ad fidem & conſtantiam adhortarint: plurimi tamen vel ex propria malignitate, animique anguſtiis obmurmurantes, vel per aliorum fraudem ſeducti, viam, quam Deus verbo ſuo tanquam digito demonſtrauit, Spiritu ſuo ductore ac directore cõmuniuit, ſanctorum exemplis tanquam pedibus attritam & manifeſtatam propoſuit, claram, regiam, antiquam deſerunt, & ſemitas nouas atq; impeditas quærunt. Cogimur igitur antiquam viam à Tridentinis deſertam indagare. Ad quod quidem ſtudium ſacræ nos literæ mirifice prouocant, & torpentes excitant. Iubet Moſes

Moſes dierum antiquorum meminiſſe, ſingulas generationes cogitare, interrogare patres & maiores. & Ieremias iubet ſtare ſuper vias, & videre, & interrogare de ſemitis antiquis, quæ ſit via bona, & in ea ambulare. Diuinis igitur oraculis admoniti, interrogamus patres, antiquitatem conſulimus. Dum hæc agimus, per Dei prouidentiam admirabilis ſeſe prodit conſenſus eorum, qui eandem viam antiquam & bonam per diuerſa ſecula tenuerunt, quam nos tenere cupimus; quos comites in hoc itinere habemus, quorum fidei ac conuerſationis viua atque expreſſa veſtigia obſeruamus. Vna eſt via, quam omnes tenent, qui veritatem quærunt. Et ne error locus Deum quærentibus relinquatur, Chriſtus Dominus hanc viam, quam ſolus optimè nouerat, quærentibus & pulſantibus clariſſime commonſtrauit, his verbis: *Ego ſum via, veritas, & vita, nemo venit ad patrem, niſi per me.* Quærimus primo exordium huius itineris, quod nos ad vitam perducat. Exordium, vnde progredimur, eſt Chriſtus veritas: quia veritas Prophetica & Apoſtolica eſt

Deut.32.7.

Ierem.6.16.

Iohan.14.6.

lux ad initium viarum noſtrarum. Itaque à veritate, quæ eſt in Chriſto per Prophetas & Apoſtolos patefacta, tendimus per viam, quæ eſt in Chriſto per Spiritum ſanctificationis, monſtratam, ad vitam, quæ eſt in Chriſto gloriosa futura. Ex hac luce Tridentinos arguimus, qui Chriſtum viam iccirco non inueniunt, quia Chriſtum veritatem non tenuerunt. Vt hæc via manifeſtius conſtaret nobis, quam vera Chriſti Eccleſia ſemper tenuit, diſputauimus de regula fidei, de Eccleſia, de fide iuſtificante, de gratia. Hæc via expeditiſſima viſa eſt demonſtrandi Eccleſiam, ſcilicet, ex huius theſauri cuſtodia, qui Eccleſiæ à Deo concreditus eſt, vt hæc oracula Dei in Eccleſia depoſita, ipſa Eccleſia fide, induſtria, integritate conſeruet vſque ad aduentum Domini noſtri.

Tuæ vero Amplitudini, Reuerendiſſime ac vigilantiſſime Præſul, hoc meum ſtudium dicaui, non tam in meum priuatum, quam in publicum Eccleſiæ bonum. Cui enim Chriſti & Eccleſiæ cauſa magis erat commendanda, quam ei, qui ad Eccleſiæ clauum

uum gubernandum à Christo vocatus, non in alium finem, quam in Christi gloriam, in Ecclesiæ vtilitatem, atq; ecclesiasticæ dignitatis patrocinium viuere se ac vigilare agnoscit. Hanc tibi mentem Deus perpetuo confirmet, vt tuo exemplo alii complures in hoc deplorato seculo ad industriam & vigilantiam excitentur. Deus Opt. Max. te quamdiutissime incolumem ad Ecclesiæ suæ ædificationem & dignitatem conseruet.

Reuerendissimæ tuæ Amplitudinis obseruantissimus

Georgius Carleton.

PRÆFATIO
AD VIROS CLARISSIMOS, LITERARVM, omniumque bonarum artium cultura præstantes, antiquæ virtutis cultores, Mertonensis Collegii socios.

SI quis antiquioris Ecclesiæ historiam, cum turbis, deplorato hoc seculo exortis, quotidieque orientibus, attentius conferat (viri Mertonenses mihi pluribus nominibus colendi) facile poterit de Ecclesiarum ruinis æstimare, & Ecclesiam Christi non magis luporum fraudibus, quam pastorum ignauia desolatam agnoscere. Trahunt enim secum suo vitio, vt homines singuli, ita & Ecclesia excidium suum. Dua enim res, doctrinæ puritas, & vitæ integritas quamdiu coniunctæ atque vnitæ retinentur Ecclesiam Dei propria & natiua luce ornatam, lucentemq; vel cæcis demonstrare possunt: qui vero hæc à se inuicem auelli patiuntur, & tamen Ecclesiam retinere videri volunt, se-

ipsos

ipſos data opera fallere, atque in eam curam incumbere videntur, vt ruinam ſibi machinentur, & ſuo ſe laqueo conficiant. Antiqua Eccleſia conſenſus luculenter hoc confirmat. Pulchre enim Auguſtinus a: Errat, quiſquis putat, veritatem ſe poſſe cognoſcere, quum adhuc nequiter viuat. *Et Cyprianus* b: Non remanere in Eccleſia Dei poſſunt, qui deificam diſciplinam nec actus conuerſatione, nec morum pace tenuerũt. *Et Ambroſius* c: Talibus decoctoribus ad Eccleſiam Chriſti non peruenitur. *Et Gregorius* d: Extra menſuras Eccleſiæ ſunt omnes reprobi, quamuis intra limitem fidei eſſe videantur. *Et Bernhardus* e: Charitas de Eccleſia non deficit.

a *lib. de opere Mon. ca. 13.*

b *epiſt. 49.*

c *epiſt. 4.*

d *in Iob lib. 28. cap. 6.*

e *in Cant. ſerm. 79.*

Rem nouam, & priſcis temporibus inauditam referimus. De Eccleſia nobiſcum decertant illi, qui reiecta vita ſanctitate, Eccleſiam apud ſe eſſe probaturos ſe ſperant ex horrendis factoribus, ex Regum & principum virorum homicidiis, ex regnorum ruinis, ex adulteriis & veneficiis leſuiticis, ex antiquorum ſcriptorum deprauationibus, ex falſariorum confictis monumentis: ex iſtis operibus cognoſcimus iſtos. At Eccleſia ex talibus operibus non demonſtratur. Itaque qui

hæc vel agunt, vel probant, ex Ecclesia Dei per flagellum ex suis sceleribus confectum præcipites eiiciuntur. Quamuis igitur ipsa vitæ impuritas Tridentinos ex Ecclesia Christi ejectos liquido demonstrat: si tamen hæc distinctius perpendantur, fateri cogimur, Ecclesiæ calamitates vltimas, ruinas, excidiaque, à doctrinæ depravatione exorta. Profectò tamdiu stare solent Ecclesiæ, quamdiu in illis locum habere potest cælestis doctrinæ veritas: tum demum ruere incipiunt, quum primum à veritate excidunt. Hujus rei adumbratam demonstrationem, imo expressam imaginem continebat ignis ille

Levit. 9 24. *cælitus à Deo missus in altare Domini: quem semel de cælo exceptum sacerdotes perpetuo conservabant, neque fas fuit, sacrificia Dei*

Levit. 10 1. *alio igne absumere: ac proinde Nadab & Abihu, quanquam ipsi sacerdotes, & Aaronis filii fuerint, à Deo igne percussi perierunt, quia ignem alienum obtulerant, quod Dominus non præceperat eis: quorum exitium tum demonstrat, sacerdotes non successione, sed doctrinæ integritate Deo probari: tum vero hæreticorum omnium judicium illustre continet, qui doctrinas alienas audeant in Ecclesia Dei coram Domino offerre. Sine igitur officium spectemus ve-*

rum

rum sacerdotum, qui Deo placuerunt, siue exitium transgressorum, constat, in Ecclesia successione doctrinæ puritatem, tanquam diuinum thesaurum Ecclesiæ ministris diuinitus commissum, ab illis summa fide ac integritate perpetuis temporibus conseruandam. Atque vel hinc suspicere licet sapientissimum ab Apostolicis vsque temporibus institutum, vt sint in Ecclesia tum pastores, qui populum in recta fide instituant, eiusq. vitam ac mores efforment, atque ad normam verbi flectant: tum etiam Episcopi, qui pastorum possent & mores, & doctrinam inspicere, atque examinare, vt nascentia in Ecclesia errorum semina, velut inter ædificia occulte orientia incendia, vigilum prouidentia extinguantur. Quo magis, qui ad Ecclesiarum clauum sedent, in hanc curam totis sensibus excubare debent, vt Ecclesiam Dei ab omni hæresi purgatam, integramque Christo Domino sistant. In hoc tam honorifico ac diuino studio post Apostolos antiqui Episcopi cum summo Ecclesiæ emolumento vigilarunt. His artibus Irenæus Valentinianos, Cyprianus Nouatianos, Athanasius Arianos, Basilius & Gregorius insignes Arii propugnatores Eunomianos, Cyrillus Alexandriæ Episcopus Nestorianos,

Augu-

Auguſtinus Manichæos, Donatiſtas, Pelagianos, multosq; præterea alios: hoc eſt, lucis miniſtri tenebrarum miniſtros proſligarũt. Ita veteres illi Epiſcopi ad officium ſuum & miniſterium inprimis ſpectare intelligebant, vt inſurgentes in Eccleſia hæreſes omni ſtudio ſuo opprimerent: felices illos atq; emeritos militet labores ſui atq; certamina ſequuntur: mouet interim eadem felicitatis occaſio, eadem manet Eccleſia, eadem in Eccleſia manent certamina, eadem certantes exſpectat corona: nos vero non iidem manemus. Ita enim ſumus plerig; erga Chriſtum & Eccleſiam Dei, quam ſuo ſanguine acquiſiuit, affecti, vt Eccleſiarum cura egregie ſuſcipi videatur ſcilicet, ſi res noſtræ creſcant. Ita ſumus omnes ad dominationem attenti, in eo; adeo vigilanter omnes ingeniorum articulos verſamus, vt regnum Dei, & gloria ipſius à primo in ſecundum aut tertium locum, aliquando in vltimum reiiciatur. Verum ne querimoniam hoc loco tollere poſſemus, optimi Regis imperium, & vigilantiſſimi Archiepiſcopi regimen paſtorale effecit: qui autoritate, prudentia, ſtudio, vigiliis improborum conatus confringunt, vt Eccleſia tranquillitati proſpiciatur, ne errorum incendia Eccleſiæ intentata latius ſeſe efferant: quo-

rum

rum sanctissima cura, animos etiam torpentes ad industriam excitare possunt: hinc mihi quoque cura succreuerat, vt ad publicum intendium restinguendum, quod ab hereticis ingeniis est excitatum, nostram hanc aquæ situlam alacri manu porrigeremus. Patres vero Ecclesiasticos, quantum licet, adhortor, atque obiestor coram Deo, ac Domino nostro Iesu Christo (donec ab ipsis, qui autoritate, doctrina, & sanctimonia valent, legitima, libera, ac plena sanctarum Ecclesiarū Synodus coacta errores istos examinauerit, profligauerit, pacemque Ecclesiæ reddiderit) vt interim Ecclesiam Dei integram, & quantum in ipsis est, castam Christo exhibeant. Sciant res Ecclesiasticas male gestas Christo se rationem reddituros: industria vero sua fructum vberrimum, & apud Deum, & apud homines consecuturos: neque vero vel brutæ illæ Romani Pontificis ulminæ, vel confœderatorum hostium aduersus Christum & Ecclesiam vires quascunque metuendas putabimus, quamdiu Ecclesia nostra integram doctrinæ cœlestis sanitatem conseruauerit. Quod si Ecclesia pastorum ignauia veritatem mutauerit in mendacium, quidnam deinceps expectandum iudicemus, nisi ruinam? Non enim

nouum

nouum in Ecclesia, aut mirum videri debet, si, qui Ecclesiis præficiuntur, derelicta veritate, in insigniores hæreses prolabantur, omnia secum in ruinam trahant. Sed quoniam Ecclesiam suam Deus velut arenam maximorum certaminum voluit esse, magnæ animæ subeundæ sunt, quæcunque ad excitandam seruorum suorum industriam in Ecclesia sua DEVS fieri præordinauerit.

Quod si quis diligentius consideret, quæ variis temporibus hæreses in Ecclesia variæ exortæ fuerint, quarum quædam ipsam Trinitatem oppugnarint, quod fecerunt ante Arium hæreses fere omnes: quædam Spiritus sancti diuinitatem, sicut Macedoniani: aliæ non minus Christi, quam Spiritus sancti diuinitatem, vt Ariani: quædam Christi humanitatem negarint; quod fecit non minus Nestorius, dissoluendo Christum in duas personas, quam Eutyches, confundendo distinctas Christi naturas in vnam: aliæ vero Christi officia (prophetiam dico, regnum & sacerdotium) eluserint, in quolibet totus fere Antichristianismus, vel vt alii vocant, Papismus volutatur: omnia profecto videntur mirifice à Deo ordinata, vt excitaretur industria seruorum Dei in

Ecclesia

Ecclesia per singula secula, vt veritas magis magisq; luceret. Nam quid tandem perfecerunt ista tam portentosa hæreses? & num sine voluntate Dei? num fortuito obrepserunt? Imo vero ipsi veritatis Aduersarii ad veritatem confirmandam inseruire coguntur. Hoc enim quanquam inscii agunt, vt velut ex somno excitentur ad industriam atq; ad vigilias ministri lucis, vt omnes articuli firmentur, omnis doctrina retineatur pura puta, & sicut aurum per ignem purgata, vt sapientia iustificetur à filiis suis. Ergo in ipsis hæreticis excitandis, singularis Dei prouidentia apparet, eximium Dei in Ecclesiam beneficium, eximium ad veritatem promouendam studium in Ecclesia excitatur. Hoc ipsum præmonuerunt Apostoli, vt qui ad messem domini à domino missi emittuntur, sciant, nec certamina, nec pericula vnquã defutura, neq; vero in laboribus suis ac periculis prouidentiã Dei aliquando defuturam. Iubẽt ergo nos magno animo in messe dominica versare, neq; occurrẽtibus periculis ac turbis frãgi, quid, quacunq; in Ecclesia excitãtur turba, diuina prouidentia adeo vigilanter regũtur atq; ordinãtur, vt nemo possit ad Ecclesiam turbandam accedere, qui non prius in aterno Dei cõsilio ad hoc iudicium, ac

proin-

proinde ad iustam damnationem scriptus
Iud 3.4. fuerit. Cohortatur ergo nos Apostolus Iudas, vt semper decertemus pro fide, qua semel tradita est sanctis. Nam subrepserunt quidam homines prius iam olim descripti ad hoc iudicium, impii, Dei nostri gratiam transferentes ad luxuriam, & solum illum verum Deum, ac Dominum nostrum Iesum Christum negantes. Quid ergo restat aliud, quam vt in conspectu Christi Domini cum omni alacritate militemus? Atque hæc erat ratio, qua nos in hanc arenam produxerit.

Apud vos vero, viri doctissimi, ornatissimi, mihi plurimis nominibus colendi, hanc adhortationem depositam esse volui, vt intelligatis, vestram operam, industriam, eruditionem, ad causam Christi adiuuandam implorari, vestros labores ab Ecclesia Christi exspectari, vosq; velut nominatim à Christo Domino compellari. Quo enim alio pignore vel vestram in me singularem humanitatem excipere, vel meam in vos fidem atque amorem exprimere potui, quam vt vos ad Ecclesiam Christi vestris laboribus iuuandam, adificandam, erigendam prouocarem? Hanc à vobis operam antiqua Mertonensium nostrorum exempla postulant. Ex hoc enim Collegio principes in omni lite-

literarum genere viri, tanquam ex equo Troiano, ad veritatis defensionem, atque ad Babylonici Imperij incendium & ruinas per diuersa secula prodierunt. Hinc Iohannes Wicleuus, hinc Guilielmus Occham, hinc Thomas Bradwardin, hinc alii multi contra pseudofratres bellum susceperunt, quorum clarissima monumenta apud Ecclesiam Dei etiam inter tenebras lucem fulgoremq; suum retinuerunt, sicut apud Israelitas lux inter tenebras Aegyptiacas resplenduit. Vt mittam vetera; arbitror equidem, orbem terrarum in hoc literato genere vix tales duos viros per multa secula tulisse, quales ex hoc Collegio habemus hodie in bonum publicum vigilantes, duos clarissimos equites, Thomam Badlaum, & Henricum Sauillum: quorum alter magnificis sumptibus Bibliothecam Oxoniensem instituit, adornauit, incredibili librorum multitudine & varietate repletam, tanquam splendidissimum Ecclesiæ ocellum inter rarissima orbis Christiani spectacula exornatam posuit. Alter ad innatam prudentiam, ad ingenium summum, acerrimumque iudicium, incredibilem rerum scientiarumq; omnium cognitionem accumulans, magnifico pariter apparatu omnibus pene per orbem terrarum bibliothecis

exquisitis, Græcam S. Iohannis Chrysostomi editionem iam consummauit. Ambo quasi duo Consules sortiti prouincias mirifico animorum consensu, quasi vnico iugo connexi, regio plane animo in bonum publicum aduigilantes, rarissima virtutis exempla omnibus, maxime vero Mertonensibus suis relinquunt. Equidem mihi de Ecclesia Christi prome modulo sollicite cogitanti, grande, nescio, quod bonum Deus misericors ad piorum consolationem, atq; in Antichristi ruinam parare videtur, in eum ipsum finem istorum duorum clarissimorum virorum animos ad magnifica opera excitasse, vt alii istorum laboribus quasi giganteis humeris sublevati, opus Domini maioribus animis suscipiant, susceptum industria ac fide perficiant. Hac est illa arena, qua vos exspectat, viri mihi plurimum colendi: vt nihil iam vobis deesse videatur, non inuitamenta ad labores, non magnifice extructa at dotata Collegia, non bibliotheca ornatissima, non exempla præstantium virorum, non eximia causa bonitas, nec denique laborantibus præmium deerit.

Restat, vt institutum mei rationem vobis aperiam. Delectatus olim ingenio & industria Mart. Buceri, præstantis Theologi, qui controuersias inter nostros & Pontificios compo-

nere

here studebat, omnes ad pacem & concordiam, quantum fieri posset, revocare, existimabam, operam non inutilem futuram, si aliqua concordiæ inveniendæ ratio excogitari posset. Sed quum res ipsas propius perspexerim, videbatur concordia quærēda studium ex bono quidem animo proficisci, sed impossibile tentare eos, qui post Decreta Tridentina reconciliationem aut concordiam cogitant. Ante Concilium illud Tridentinum facilius hoc negotium expediri potuisse videbatur. Quamvis enim in multis doctrinæ capitibus corruptela subintroducta fuerant à fraterculis, in præcipuis tamen articulis, & fundamentalibus videmus integritatem doctrinæ à multis mirifica Dei providentia conservatam: ita ut in dubio pendere videretur ante Concilium Tridentinum, quænam fuerit Ecclesiæ Romanæ doctrina, illæne, quam multi viri religiosi integram retinuerunt, an potius illa, quam pseudofratres induxerunt. Hinc ardor & studium animum meum invaserat, inquirendi hujus mutationis origines. Animatus etiam fui ad hunc laborem à Reverendissimo Archiepiscopo Cantuariensi, qui, quum forte ante aliquot annos de origine errorum Tridentinorum sermo fuisset institutus, operam

illam difficilem quidem, sed vtilissimam Ecclesiæ futuram spondebat. Itaque me in eam curam eli cohortatus, vt tentarem, si quid in ea re efficere potuissem: in quam curam ego pro mea mediocritate libenter incubui. Tandem vniuersum hoc malum deprehenditur à fraterculis inuectum, vt non male iam nobiscum agi videretur, si talem hodie Ecclesiam per omnes Europæ partes retineremus, qualem ante fraterculorum ordines institutos patres nostri tenuerunt. Istas fraterculorum perniciosas tragœdias in Ecclesia antiqui Episcopi præsensisse videntur; maxime vero beatæ memoriæ vir, Gualterus de Merton, celeberrimus ille Collegii huius Mertonensis fundator, qui accurate cauisse videtur, ne quis eorum, qui religiones istas ordinesq; intrasset, ex huius Collegii stipendiis aleretur: facile enim videbat vir prudentissimus, qui vixerat paulo post primos fraterculorum ordines institutos, malas istas bestias Ecclesiæ ruinam, quacunque grassarentur, secum tracturos. Nam quod Iohannes Wiclenus testetur, Episcopos olim pseudofratres tanquam Diabolos odisse: de his temporibus loquitur, quibus vixerat Episcopus ille, cuius memoriam veneramur, Gualterus de Merton, qui pseudofratres istos è suo Collegio

VVicl. Trialog. lib. 4. c. 36.

decreto

decreto ſuo excludi curauit. Hoc vero libro demonſtrare tentauimus in maximis articulis, & fundamentalibus doctrinam à fratercula fuiſſe mutatam: nempe in doctrina de regula fidei, de Eccleſia, de fide ac gratia: à multis tamen viris doctis pium, veram fidem in iſtis omnibus conſeruatam obſeruauimus, vſque ad tempora Concilii Tridentini. Quæ igitur ex hac noſtra diſputatione velut corollaria ſequuntur, hæc ſunt:

1. Conſenſus Eccleſiæ, quæ vnica eſt in patribus ac ſtatis, ante Concilium Tridentinum, in maximis doctrinæ capitibus ſemper ſibi conſtans obſeruatur.

2. Veram Chriſti Eccleſiam ſtetiſſe probatur vſque ad Concilium Tridentinum.

3. Eccleſiæ reformatæ nihil aliud ſunt, quam huius antiquæ, veræ, vnicæ Eccleſiæ continuatio, quæ ante Concilium Tridentinum perſtiterit, & ad finem mundi eſt duratura.

4. Separatio, quæ facta eſt, eſt ſeparatio, qua Rom. curia ſeſe ſeparabat ab Eccleſia, & qua Eccleſia Chriſti ſeſe retraxerat ab illa curia; ſiue qua, ſecundum mandatum diuinum, Eccleſia exiuerat è Babylone.

5. Origines & occaſiones errorum demonſtrantur.

6. *Patres, maioresq; nostri, qui in Romana Ecclesia vixerunt, & mortui sunt, media ad salutem necessaria habuerunt, quia vera doctrina praedicatio, quamuis multum impedita à fraterculis, permissa tamen retinebatur vsq; ad Concilium Tridentinum. At ex Decretis Tridentinis media ad salutem necessaria iam sublata sunt.*

Haec sunt, qua disputationis huius scopum continent. Hanc vero operam meam qualemcunque Deo & Ecclesiae posui: qua, si nihil aliud effecerim, illud saltem me praestitisse confido, vt via vestris aliorumq; maioribus ingeniis praestruatur, qua facilius veritas confirmari, & hypocrisis falsiloquorum retegi possit. Deus vestra studia in suam gloriam & Ecclesiae suae consolationem dirigat. Valete viri mihi plurimum colendi. Ex meo Musaeo. 1612. Nouembris quinto, quem diem celebramus in memoriam diuinae liberationis, qua misericors Deus Ecclesiam & Rempublicam nostram ex faucibus Antichristi, atque ex intentata nobis per pulueremtormentarium internecione liberauit.

Vobis in Christo deuinctissimus

Georgius Carleton,

Apo-

Apocalyps. 20.

vers. 3. *Cumiecitq; eum (Draconem) in abyssum, quam occlusit & obsignauit super eum, vt non seduceret amplius gentes, donec complerentur anni mille. Nam posteà oportet eum solui ad exiguum tempus.*

vers. 7. *Quum vero expleti fuerint anni mille, soluetur Satanas è carcere suo, exibitq;, vt seducat gentes.*

VT sensum huius Scripturæ genuinum teneamus, obseruanda sunt ea, quæ Christus docuit, de eiectione Satanæ, Iohan. 12. Postquam enim vox Patris de cœlo insonuit, dicens: *Et glorificaui, & rursus glorificabo*: vocem illam, Christus monuit, nõ propter ipsum, sed propter assantes extitisse. Deinde hæc verba subiicit: *Nunc iudicium adest huius mundi, nunc princeps ille huius mundi eijcietur foras, & ego si sublatus fuero è terra, omnes trahã ad me.* Iudicium huius mundi vocat, non quod in fine seculi futurum est, sed quod ipsius aduentu, & manifestatione, & morte factum est: non damnationis, sed discretionis, vt Augustinus & Cyrillus locum hunc explicant. Iudicium mundi, hoc est, Iohan. 12. 31.

quod pro mundo, siue hominibus huius mundi, tyrannide Diaboli oppressis, erat, tamper mortem ipsius, futurum contra Diabolum, suo in homines imperio, iusto Dei iudicio spoliandum. Vnde explicandi causa, quomodo hoc iudicium mundi fieret, subiecit: *Nunc princeps huius mundi eiicietur foras.* Nam princeps huius mundi, Diabolus, regnum suum inter gentes longe lateque tenebat ante Christum exhibitum. At quum filius Dei Ecclesiam suam, hoc est, regnum suum apud gentes Apostolorum ministerio dilatauerat: tum primum Satanas eiectus est è regno illo suo, quod antea in gentibus seductis tenuerat. Tempus illud, quando primum eiectus fuerat Satanas, verba Christi demonstrant: *Et ego si sublatus fuero è terra, omnes traham ad me.* Hoc dicebat, significans, qua morte moriturus esset, inquit Euangelista. Hæc igitur eiectio Satanæ numeranda est à Christo crucifixo. *Et ego*, inquit, *si sublatus fuero è terra, omnes traham ad me.* Omnes, non Iudæos tantum, sed & gentes.

Quando vero Satanas eiectus fuerat à Christo, ne seduceret gentes amplius: tunc ligatus inrelligitur, & in abyssum coniectus, ne seducat gentes. Itaque docet Iohannes, draconem in abyssum coniectum, vt non seduceret amplius gentes, donec complerentur anni mille: quum vero expleti fuerint anni mille, tum demum soluendum Satanam è carcere suo, & exiturum, vt seducat gentes. Satanas igitur

tur post Christum crucifixum coniectus in carcerem, id est, Christi potentia ligatus & retentus, vt ne gentes seduceret, sicut antea seduxerat, soluendus fuerat post mille annos ad seducendum gentes. Seductio autem est in erroribus de fide; quanquam vero plurimi errores ante mille annos à Christo crucifixo expleti, exorti fuerint: à Patribus tamen & Episcopis, in Ecclesia Dei vigilantibus, adiuuantibus etiam Romanis Episcopis, errores ante annum millesimum ita fuerũt compressi, vt insignis illa gentium seductio non appareret; atq; in Ecclesiam Rom. ante illud tempus, non multos insignes errores irrepsisse, probari possit. At vero post annos mille à Christo crucifixo (qui principem huius mundi ejecit è regno illo suo (quod antea in gentibus horrendâ idolomaniâ immersis tenuerat) soluto tandem Satana plurimi insignes errores in Ecclesiam, quæ nunc Romana dicitur, exundarunt. Errores vero, qui in hodiernam Ecclesiam Romanam, post solutum Satanam prorupêre, quanquam plurimos deprehendimus, tamen præcipuos tantum hoc loco tractabimus, in quibus ipsa fundamentalia, & vitalia fidei, & Ecclesiæ Catholicæ instituta, immutata, lapsaque apud Pontificios, & penitus extincta deploramus. Affirmamus igitur, probari non posse ex probatæ fidei autoribus, testimoniis perspicuis, disertis, solidis, quæq; sunt extra suspicionem plagii, quenquam ex istis erroribus, quos hic examinan-

dos suscepimus, aut exortum in Ecclesia Romana, ab eaque approbatum ante annum Christi millesimum: aut receptum fuisse in Ecclesia Romana, tanquam dogma de fide, ante Concilium Tridentinum: qui quidem errores hodie in Ecclesia Pontificia habentur dogmata de fide.

Quatuor controuersias hoc ordine sumus hic explicaturi. Primam, *de regula fidei, siue de sacris Scripturis*, vt constare possit primo loco, quænam sit, & in Ecclesia semper habita fuerit fidei regula. Hæc vsq; probabitur ab Apostolicis temporibus, vsque ad Concilium Tridentinum in Romana Ecclesia conseruata, in eo tandem Concilio mutata, inde controuersiæ cum Tridentinis exortæ. Deinde secundum illam regulam reliquas tres controuersias examinabimus, *de Ecclesia, de Fide iustificante, de Gratia*. In istis controuersiis, quæ grauissimæ omnium intelliguntur, post regulam fidei, testimonia Ecclesiæ deducemus vsque ad Concilii Tridentini tempora: & priuatas fraterculorum opiniones ab Ecclesiæ Romanæ iudicio separabimus: quæ quidem priuatæ opiniones hodie inter Ecclesiæ Pontificiæ decreta habentur. Illud vero initio admonendum videbatur, vt sententia sensusque noster recte excipiatur, in iis, quæ dicturi sumus, Ecclesiam nunc Romanam, & Ecclesiam Pontificiam à nobis dici, quæ reuera nec Romana Ecclesia est, nec omnino Ecclesia, sed tantum Romana Curia. Nam apud omnes æquos re-

rum

rum æstimatores, & veritatis cupidos, probaturos nos per Dei gratiam speramus, errores istos post annum à Christo crucifixo millesimum à fratercelis, & Romanæ Curiæ adulatoribus introductos fuisse, in quibus Ecclesia Romana (in qua patres maioresque nostri vixerunt, religionemque susceperunt) in maximis ac præcipuis fidei negotiis, nempe in fundamentalibus veritatem contra Romanæ Curiæ adulatores integram atque immutatam conservucuerat, vique ad Concilii Tridentini tempora.

CAPVT I.

De modo disputandi, & de ratione secessionis nostræ à iugo Romani Pontificis.

INter notas illas, quas Cardinalis Bellarminus ad probandam Ecclesiam adduxerat, vnam esse voluit, conspirationem in doctrina cum Ecclesia antiqua. Magnam sine dubio integritatis opinionem conciliasset, si, quod ingenue proposuit, perfeciisset. Sed quod perficere se non posse videbat, ne tentare quidem voluit. Quare ergo proposuit? Manifesta videtur & veritatis confessio, & causæ obtinendæ desperatio, proponere, quod verum agnoueris, nec in agnita veritate acquiescere. Si hæc sit genuina disputandi ratio, quare non sic instituis disputationem? Subiicienda sunt Bellarmini verba, quibus ostendit, se

lib. de not. Eccl. cap. 2.

ſe hanc diſputandi methodum refugere, qua vna doctrinæ conſpiratio cum antiqua Eccleſia probari poſſit. ſic enim ſcribit: *Duobus modis poſſemus ex hac nota probare Eccleſiam noſtram veram eſſe, non autem Aduerſariorum. Primo, proferendo ſententias veterum, quibus ſingula noſtra dogmata confirmaremus, Aduerſariorum refutaremus. Sed hic modus prolixiſſimus eſſet, & multis calumniis & obiectionibus obnoxius. Altera via eſt breuior & certior; nimirum, oſtendendo primum ex confeſſione Aduerſariorum, noſtra dogmata eſſe doctrinam omnium veterum. Deinde, dogmata Aduerſariorum habita fuiſſe in Eccleſia antiqua pro explorata hæreſibus. Sic enim conſtabit, doctrinam noſtram conſpirare cum doctrina veterum Catholicorum: doctrinam vero illorum conſpirare cum doctrina veterum hæreticorum.* Hæc ille. Ibid.

Veritatis indagandæ methodum ex antiquorum ſententiis, qua vna conſpiratio doctrinæ cum antiqua Eccleſia demonſtrari poteſt, vt prolixam, & multis calumniis, & obiectionibus obnoxiam refugit. Breuior via, & facilior placuit, vt calumnias quaſdam in noſtras Eccleſias coniiceret. Nam quid breuius aut facilius, quam calumniam proferre? Itaq; verâ viâ relictâ, breuiorem & facilem illam calumniandi viam ſecutus eſt. Dumque ex noſtrorum confeſſione hoc oſtendere laborat, nihil adferre potuit præter calumnias. Negamus hoc ex noſtrorum confeſſione colligi poſſe, negamus à Cardinali demonſtratum, aut demonſtrari poſſe; quamuis in paucis controuer-

trouersiis, immutando, & obtruncando Caluini, aliorumq; nostrorum verba, illud ostendere conetur: sed frustrà.

Illud vero Lectoribus non abreptis præiudicio diiudicandum proponimus; an non ex hac Cardinalis confessione constet, si sententiæ veterum proferendæ sint, non posse Pontificios conspirationem doctrinæ suæ cum antiqua Ecclesia probare, quia hic modus disputandi multis calumniis & obiectionibus est obnoxius. Sic veritas extorsit confessionem ex ore Aduersariorum: nam qui hæc dicunt, plane confitentur, veterum doctrinam nostram esse. Qui enim ex veterum doctrina prolata, calumnias & obiectiones metuunt, atque hoc nomine prolationem & collationem antiquæ doctrinæ refugiunt, nonne manifestam produnt confusionem, sese, vtcunq; verbis ludunt, reuera conspirationem in doctrina cum antiqua Ecclesia, vt rem sibi formidabilem, penitus à se reiicere, & nobis relinquere.

Quem igitur disputandi modum isti refugiunt, nos vt genuinum suscipimus; quia conspiratio doctrinæ nostræ cum antiqua Ecclesia nullo alio modo probari potest, quam proferendo sententias veterum, quibus singula nostra dogmata confirmemus, Aduersariorum refutemus. Neque vel calumniis, vel obiectionibus hæc via obnoxia esse potest: quia Ecclesia vna est atque eadem per omnes generationes, vnitatis autem vinculum est in fundamen-

damentalibus Ecclesiæ consensus. In fundamentalibus probabimus, nos habere certissimum antiquæ Ecclesiæ consensum continuatum vsque ad nostra tempora, atque adeo ad Concilium Tridentinum: quo tempore patres nostri discessionem fecerunt ab illo conciliabulo, & à Romani Pontificis Curia. Nam ad illa vsq; tempora Ecclesia, quamuis erroribus, & varia fraude oppugnata, tyrannide pressa, patienter tamen Rom. Pontificis tyrannidem, & fraterculorum impudentiam pertulit: At postquam errores illi, qui primum ex priuatis fraterculorum opinionibus prodierunt, pro Ecclesiæ dogmatibus tandem in Concilio Tridentino sancita fuerunt: tum primum Ecclesia (quæ priuatas fraterculorum opiniones patienter tulerat, ac proinde communionem cum illa Ecclesiæ parte hactenus habuerat) diuina prouidentia, imo vero Dei brachio potenti, sicut Israel, ex seruitute Ægyptiaca, sic sese à iugo Pontificio subduxit.

Quam re profani homines casum, nescio, quem & cōtingentiam obseruant. Sunt etiam inter Episcopos Pontificios, qui hāc recessionem à iugo Pontificio, ad cœlestes constellationes referunt.* Sic isti in Christi schola hospites & peregrini. Nos vero certi sumus, Ecclesiam à suo capite sic institui ac gubernari, vt quamuis malorum hominum fraude ac tyrannide sæpius oppugnata fuerit, ita vt nonnunquam oppressa videatur, nunquam tamen penitus interierit. Et Christum Dominum

* *Nec multo post exarsit in Germania, autore Luthero, dira hæresis, ita vt facile crediderim, ab occulta cœli potestate, malignoq; syderum concursu prouenisse, vt religiones toto terrarum orbe, enatis factionibus, vnò tempore scinderentur.* Paul. Iouius hist. lib. 13.

tium præsentem semper, & Ecclesiam suam promissione, Spirituq; suo confirmantem adoramus. *Ecce*, inquit, *ego vobiscum sum omnibus diebus, vsq; ad consummationem seculi.* Vtcunque igitur profani homines hanc secessionem à Romano Pontifice, ad contingentiam, aut ad fatum astrologicum referant, nos tamen, vt istos in insania sua relinquamus, veneramur diuinam potentiam, prouidentiam, & misericordiam, qui, quod promiserat, in tempore effecit. Et quamuis tyrannis illa Pontificia longius durasse visa fuerit, in ea tamen duratione, qua Ecclesiam ad patientiam armauerat Deus, videmus, quid peccata nostra meruerint. At quod Christus ab hac tyrannide liberauerit Ecclesiam, non nostris illud meritis tribuendum est, sed solius misericordiæ diuinæ benignitas in eo lucet, & veritatis victoria: quia quod Deus promiserat, nec inimicorum potens superbia, nec impotens tyrannis, nec vero nostra peccata auertere potuerunt.

Secessimus igitur à Romano iugo, exiuimus è Babylone, sed mandato Dei: nam vox cœlestis sic populum euocauit: Exite ex ea, *Apoc. 18. 4.* popule mi, ne participes sitis peccatorum eius, & ex plagis eius accipiatis: nam accumulata peccata eius pertigerunt vsq; ad cœlum, & recordatus est Deus scelerũ eius. Deus igitur hanc secessionem voce sua mandauit, potentia sua perfecit. Et quanquam sæpius antea de hac secessione Ecclesia cogitauerat, nunquam

tamen

tamen perficere potuit, donec impletum fuisset, quod Scripturæ prædixerant, vt Ecclesia intelligeret, non suis viribus, aut sapientia sua se liberationem suam efficere, sed Christum liberatorem adoraret, & corpus sequeretur suum caput. Illud enim negari non potest, Ecclesiam sæpius antea secessionem à Romano Pontifice vel tentasse, vel de eare deliberauisse.

Quum Robertus Grosthead noster Episcopus Lincolniensis, impiis olim Romani Pontificis prouisionibus obsisteret, Papa non se capiens præ ira, inquit Matth. Parisiensis, grauius aliquid in Episcopum consulturus videbatur. Sed, vt idem autor refert, consilium dederũt Cardinales Domino Papæ, vt omnia hæc conniuentibus oculis sub dissimulatione transire permitteret, ne super hoc tumultus excitaretur, maxime propter hoc, quia scitur, quod quandoque discessio sit ventura. Hæc ille. Hæc multo ante Martini Lutheri tempora scripta sunt. Metuebant igitur Cardinales, ne insignis ille pietate & eruditione Lincolniensis Episcopus secessionem hanc inchoaret. Itaque ipsorum iudicio apparet, eum, qui primum se huic secessioni ducem & antesignanum esset præbiturus, insignem futurum hominem, pietate & eruditione excellentem, qualis tum Robertus Grosthead habebatur. De hac secessione consultatio tenuit eos, qui eruditione & pietate maxime floruerunt in Concilio Constantiensi, vt ex Cardinalis Cusani,

Matth. Pariſ. Henr. 3. 37. ann. 1253.

ſani, & Iohannis Gerſonis ſcriptis conſtat. Cuſanus de hac re ſcribit ad Rodericum de Treuino, Regis Caſtiliæ oratorem. Primum quidem ſeceſſionem hanc dicet eſſe vitandam, quantum fieri poteſt, propter ſchiſmatis ſcandalum: verum poſt longam diſputationem, tandem his verbis ſententiam ſuam profert: Quando facer princeps contra ſanctorum Patrum ſtatuta aliquid præſumit, vbi non conſtat, eum ex cauſa vtilitatis, aut neceſſitatis moueri, ſed ex aliqua particulari indigna cauſa; tunc ipſe in priora Petri mandata offendit, exiens vires poteſtatis ſuæ, quapropter non eſſet inconueniens, ſi pertinaciter in hoc perſiſteret, ab eo recedi poſſe per Eccleſiam. Hæc Cuſanus. *Cuſan. ad Roder. ſcript. an. 1442.*

Ex quibus verbis conſtat, hanc diſputationem tum quidem in Eccleſia iactatam fuiſſe, de ſeceſſione Eccleſiæ à iugo Rom. Pontificis. Itaq; Iohannes Gerſon de eadem re ſcribens, teſtatur, plurimos viros bonos in ea tum fuiſſe ſententia, quando grauiſſimum ſchiſma Eccleſiam perturbaſſet, quod longo tempore duraſſet, viuente iam Gerſone; vt ex illo ſchiſmate opportunitatem arriperent, ne amplius Papa ad adminiſtrationem ac iuriſdictionem Eccleſiæ admitteretur: ſed optimum futurum, ſi Eccleſiæ ſtatus ad primitiuæ Eccleſiæ conditionem reduceretur, vt Præſules ſingulis commiſſos ſibi populos regerent, neque ratio vlla haberetur aut reſeruationum, aut exactionum, quas Romana Eccleſia introduxerat. *Gerſon de Concil. generali vnius obedientia.*

xerat. Gersonis verba sunt hæc: Forte aliquibus videtur, quod expediens Ecclesiæ vniuersali, redire omnia ad pristinum statum Ecclesiæ, seu illius, qui fuit tempore Apostolorum, quantum fieri congrue posset; abiectis talibus iurisdictionibus pro magna parte, quæ reddiderunt Ecclesiam totam brutalem & carnalem, vel redeundum esset ad statum Ecclesiæ tempore beati Syluestri, & Gregorii, quando quilibet Prælatus demittebatur in sua iurisdictione. Itaque idem Gerson sic libere pronuntiat in eo libro, quem inscripsit, de Auferibilitate Papæ: Auferibilis est Papa per generale Concilium perpetuo, vel ad tempus, quoad ea omnia, quæ sunt iurisdictionis.

lib. de auferibil. Pap. tem. fol. 14.

Nihil ergo nouum in Ecclesia fit, si hæc pars Ecclesiæ Catholicæ, quam ad Occidentem Dei prouidentia statuit, tandem aliquando illud perfecerit, quod diu antea cogitauerat, & de quo multum deliberauerat, vt se à iugo Romani Pontificis subduceret. Nam plurimæ aliæ partes Ecclesiæ Catholicæ ad Orientem, & ad Austrum hanc Romanam tyrannidem nunquam tulerunt. Pars autem hæc Ecclesiæ Catholicæ Occidentalis maxima est, & sine dubio nobilissima, quandoquidem quæcunque sacræ Scripturæ de Antichristo prædixerunt, hic impleta videamus. Secessimus igitur non ab Ecclesia Romana, sed à Romana Curia. Secessimus, vt diuino mandato obtemperaremus. Deus enim iubet populum suum è Mystica Babylone exire. Imo vero,

vero, qui hanc secessionem mandauerat, ipse potenti sua manu populum suum eduxit, vt, quod mandauit, ipse perficeret. In quo admirabilem Dei prouidentiam suspicimus & adoramus, qui Ecclesiã suam ita sub hac captiuitate exercuit, vt semẽ sibi semper reliquũ fecerit. Vere igitur cum Esaia Propheta exclamare possumus: *Nisi Dominus exercituũ reliquias nobis* Esa. 1. 9.
fecisset reliquias, vel tantillas, quasi Sodoma fuissemus, & similes Gomorrhæ. Nam vera doctrina in fundamẽtalibus ab Ecclesiæ exordio, ad Mart. Lutheri tẽpora, integra semper in mediis tenebris lucebat, vt nec incẽdiis, nec gladiis, non viuicõburiis, nõ tormentis Pontificiis, nõ perfidia & erroribus fraterculorũ extingui potuerit ignis hic è cœlo missus. Quanquãcnim nõ semper eadẽ claritate luceret, atq; arderet, nũquam tamẽ est extinctus. At hoc solius diuinæ prouidẽtiæ beneficium agnoscimus, q̃ in Ecclesia sua semper vigilans, per omnia secula quosdã testes excitauerit, qui veritatẽ perfidia & superbia põtificia pene obrutã, pene sepultam, studiose ac fideliter conseruarint; donec tandem veritas ipsa victrix velut effracto sepulchro resurgens, longe late q̃ triumphare inciperet, quæ diligentes se diligit, & conseruat, vt victores secum triumphare faciat.

Ad eos igitur, qui Ecclesiam nostrã à Mart. Lutherο exortam suggillare solent, conuertendos: Ecclesiæ Catholicæ cõsensum, & doctrinam integre conseruatã, tanquam ignem illum perpetuum, qui per omnes sacerdotũ succes- Leuit. 6. 12.

siones in altari Dei ardere solebat, producimus. Et ne Aduersarij se læsos, aut opiniones ipsorum à nobis confictas querantur (quod quidem grauissimum crimen apud Pontificios familiare atq; vsitatissimum inuenimus) eorum errores verbis ipsorum primo loco præponemus. Prima igitur controuersia est de regula fidei, siue de sacris Scripturis, de qua re sic docent Pontificii.

CAPVT II.

Quæstionis status succincte ponitur, & argumentum futuræ disputationis.

Theses Pontificiæ.

Asserimus, in Scripturis non contineri expresse totam doctrinam necessariam, siue de fide, siue de moribus, & proinde præter verbum Dei scriptum requiri etiam verbum Dei non scriptum, id est, diuinas & Apostolicas traditiones. Bellarmin. lib. de verb. Dei non script. cap. 3.

Omnes libros veteris & noui Testamenti, nec non traditiones ipsas, tum ad fidem, tum ad mores pertinentes, tanquam vel ore tenus à Christo, vel à Spiritu sancto dictatas, & continua successione in Ecclesia Catholica conseruatas, pari pietatis affectu ac reuerentia suscipit ac veneratur Tridentina Synodus. Concil. Trid. sess. 4 decret. 1.

Scripturæ sine traditionibus nec fuerunt simpliciter necessariæ, nec sufficientes. Bellarmin. lib. de verb. Dei non script. cap. 4.

Dico,

Dico, Scripturam, etsi non sit facta præcipue, vt sit regula fidei, esse tamen regulam fidei, non totalem, sed partialem. Totalis enim regula fidei, est verbum Dei, siue reuelatio Dei Ecclesiæ facta, quæ diuiditur in duas regulas partiales, scripturam & traditionem. Bellarm. ibid. cap. 12.

QVæstiones de scripturis & traditionibus multas instituunt Pontificii, quæ profecto omnes, quia pendent ex illa controuersia, quæ regulam fidei pertractat, & Scripturarum perfectionem probat, hinc lucem accipiunt, & in huius controuersiæ explicatione illæ quodammodo definientur. Nam sine Scripturarum suggillatione traditionum humanarum autoritas in Ecclesia confirmari nunquam potuit. Sed si in Scripturas hominum calumnia semel permissa fuerit, aperitur statim fenestra, traditiones scilicet vel Apostolicas confingendi, & quicquid pro libidine somniantium arridet, quantumcunq; Scripturis, & purioribus Patrum scriptis repugnet, Apostolica tamen traditio habebitur.

Cuius imperiosæ cæcitatis atq; impudentiæ luculentum testimonium continent ea, quæ in secunda Nicæna Synodo, de adoratione imaginum statuuntur: non enim erubuerunt Patres in eo Concilio illud figmentum, tum nuper in Ecclesia natum, inter Apostolicas traditiones numerare: sæpiusque verbis saltem contendunt, illud scilicet ab Apostolorum temporibus in Ecclesia fuisse vsitatum.

Quam Epiphanius diſertiſſime, non de ſuo tantum ſeculo, ſed de ſuperioribus omnibus contrarium teſtetur. Scribit enim, ſe, quum forte per Palæſtinam iter faceret, Eccleſiam intraſſe, vt oraret; atque inueniſſe ibi velum pendens in foribus eiuſdem Eccleſiæ tinctum atque depictum, habens imaginem quaſi Chriſti, vel Sancti cuiuſdam. Addit Epiphanius, fuiſſe hoc contra autoritatem Scripturarum, contra religionem noſtram, & ſcrupulo-ſitatem fuiſſe indignam Eccleſia Chriſti. Hæc ille. Tanta tamen vecordia regnat in hominibus, quibus Scripturarum ſimplicitas ſordet, vt quæ terribili Scripturarum fulmine feriuntur, quæ Patrum iudicio contra autoritatem Scripturarum, contra religionem noſtram, indigna Eccleſiâ Chriſti habentur: ea ſub traditionum titulo reuocare audeant, & veterum gigantum furorem imitantes Babylonis ruinas refarcire, & concuſſam ſuperbiæ regnum reponere.

Epiſt. ad Ioan. Hieroſol.

Quæſtionem igitur inprimis neceſſariam hoc loco proponimus, de regula fidei: *An præter doctrinas & myſteria fidei, quæ in ſcripto Dei verbo continentur, alia ſint ex traditione admittenda de fide?* Nos, quia cum antiquis Patribus, tantummodo ſcripturis canonicis hanc ingenuam debemus ſeruitutem, vt eas ſolas in ſummo autoritatis faſtigio ponamus, quas iudicare omnino non audemus, ſed ſecundum ipſas, de omnibus omnium aliorum ſcriptis & traditionibus liberè iudicamus; Quæſtionem

nem hanc ſic tractandam inſtituimus; Primo ipſarum Scripturarum, hoc eſt, Dei, de ſuo verbo loquentis, vocem referemus. Reliqua ad Scripturas, tanquam ad Lydium lapidem examinabimus. Itaque Eccleſiæ teſtimonium poſt Scripturas producemus, id eſt, antiquorum Patrum, ipſorumque adeo, qui in Romana Eccleſia vixerunt, conſenſum obſeruabimus. Interim vero reſpondebimus ad obiectiones, quæ à Cardinali Bellarmino adducuntur. Deinde ex iſtis principiis, Scripturarum, inquam, & Patrum conſenſu, Corollaria aduciemus de regula fidei, de iudice controuerſiarum, & de traditionibus non ſcriptis. Poſtremo erroris originem aperiemus.

De ſtatu quæſtionis non eſt opus, vt multis verbis diſceptemus. Nam ex theſibus Pontificiis, ſupra à nobis poſitis, conſtat, Aduerſarios in regula fidei vna cum ſacris Scripturis traditiones etiam non ſcriptas ponere, quas vocant verbum Dei non ſcriptum. Nos verbum hoc Tridentinum, non ſcriptum, reiicimus, & fidei regulam docemus eſſe vnicas Scripturas, ſi regulam plenariam intelligamus perfecte explicatam: ſin vero regula ſummaria intelligatur, dicimus, Symbolum Apoſtolicum è ſacris Scripturis deſumptum, eſſe regulam fidei. Ita traditiones non ſcriptas, Pontificias, ab hac regula, ſiue totali, ſiue partiali, omnino reiicimus. Vnicam hanc fidei regulam, quam nos tenemus, eandem

perpetuo in Ecclesia permansisse affirmamus, nec mutatam ante Concilium Tridentinum. Et hanc regulam, dicimus, contineri in Ecclesiæ fundamento, per quod Ecclesia consistit, & ex quo optime cognoscitur: atque hinc semper antiquos Patres docuisse, & demonstrasse, se tenuisse Ecclesiam. Hinc nos etiam probamus, esse nos in Ecclesia Catholica, quia eandem regulam fidei cum Catholica tenemus. Ecclesiam autem nunc Romanam hinc probamus nec esse Ecclesiam Catholicam, nec cum Catholica communicare, postquam in Concilio Tridentino aliam regulam fidei excogitarint, aliud fundamentum posuerint.

CAPVT III.

E Scripturis ostenditur fundamentum & regula fidei, contra Tridentinos.

a *Psal.* 19. 8. Scripturæ de Scripturis sic testantur a: Doctrina Dei integra est, restituens animam, testimonium Dei verax est, sapientiam afferens imperito. Quo loco Propheta Legem scriptam docet esse integram, veracem, perfectam, rectam, lætificantem cor, puram, illustrantem oculos. Atque hæc omnia ita docet Scripturas præstare, vt omnes alias creaturas ad hæc præstanda inefficaces esse demonstret. Quamuis cœli enarrent gloriam Dei, dies diem instituat, nox noctem; nihil tamen creatum potest animam lapsam in peccatum resti-

reſtituere, & lætificare cor; (quod eſt regulæ morum) ſapientiam impartiri, & illuſtrare oculos (quod eſt regulæ fidei) præter vnicas Scripturas. a Quæcunque ante ſcripta ſunt, ad noſtram doctrinam ante ſcripta ſunt, vt per toleranciam & conſolationem Scripturarum ſpem habeamus. Quæ verba Apoſtoli extant in modum ſcopuli, in quem impactum Bellarmini commentum diſſilit. Nam ſcribit, b Scripturæ finem proprium & præcipuum non fuiſſe, vt eſſet regula fidei, ſed vt eſſet commonitorium quoddam vtile, Hæc Bellarminus. At Apoſtolus Chriſti hunc Scripturarum finem proprium, & præcipuum, imo vnicum aſſignat, quum doceat, quæcunque ſcripta ſunt, ad noſtram doctrinam ſcripta eſſe. Si omnis ſcriptura ad doctrinam noſtram, tanquam ad ſuum finem ſcripta eſt, quod docet Apoſtolus, certe fides noſtra, quæ ex doctrina naſcitur & paſcitur, hanc habet regulam, & hæc regula hunc habet finem. Nam fides ex auditu, auditus autem per verbum Dei. Ac ne quis Tridentinum ſophiſma obiiciat Apoſtolo; fidem eſſe ex auditu, auditum per verbum Dei: verbum tamen Dei eſſe verbum etiam non ſcriptum in traditionibus: hanc vaniloquentiam comprimit Apoſtolus, quum doctrinam noſtram ſcripto verbo alligat, & verbum in hunc finem ſcriptum eſſe demonſtret, vt eſſet regula doctrinæ, & proinde fidei noſtræ: quia, quæcunque ſcripta ſunt, ad noſtram doctrinam ſcripta ſunt. Vel, qui auſus

a Rom. 15. 4.

b lib. de verb. Dei non ſcript. cap. 12.

Rom. 10. 17.

erit contra Apostolum dicere, Scripturas non fuisse in hunc finem proprium & præcipuum conscriptas: oportuit illum alium nobis finem proprium & præcipuum è sacris literis demonstrasse; non autem ex Cardinalitio cerebro confictum protulisse. Num ita insaniunt isti, vt æquum esse putent, Ecclesiam Dei, contra disertа Apostoli verba, Cardinalis commentum suscipere debere?

Sed videamus, quo tendat Cardinalis commentum: *Scriptura finis proprius* (inquit) *& præcipuus non est, vt esset regula fidei, sed vt esset commonitorium quoddam vtile, ad conseruandam, & fouendam doctrinam ex prædicatione acceptam.* Hæc ille. Quærimus, vnde sit hæc prædicatio? è solis Scripturis? an etiam ex traditionibus? Si è solis Scripturis, sequitur, Scripturas esse regulam fidei completam, & conseruare doctrinam Ecclesiæ, quam vnicam prædicare debet Ecclesia. Sin ex traditionibus non scriptis, dicat Cardinalis, vbinam? in quo thesauro conseruata semper fuerit prædicatio illa? deinde, quid sit illud, quod hic prædicatur? At facile respondet, prædicatio illa, quæ in traditionibus non scriptis continetur, est Romani Pontificis primatus, Christi Vicarii potestas, continetur autem non in Scripturis expresse, sed in cerebro Papæ, qui exarare non potest, dum hanc potestatem è Scripturis deducit. Nam hæc est illa Helena, pro qua obtinenda, hoc bellum contra sacras Scripturas excitatur.

Respondeant Tridentini Christo & Ecclesiæ,

ſiæ. In prædicatione Eccleſiæ quid quæritur? quis eſt huius inſtituti finis proprius & præcipuus? Chriſtusne? an Antichriſtus? Sacræ Scripturæ vnum nobis finem prædicationis, Ieſum Chriſtum demonſtrant; præterea nullum. Nam fundamentum aliud nemo poteſt ponere, præter id, quod poſitum eſt, quod eſt Ieſus Chriſtus. 4 Hoc autem fundamentum a 1. Cor. 3. 11.
appellat Apoſtolus Prophetarum & Apoſtolorum. Fundamẽtum ergo eſt Ieſus Chriſtus, quia ſolus Chriſtus prædicatur: idemq; dicitur fundamentum Prophetarum & Apoſtolorum, quia è ſolis ſcripturis Propheticis & Apoſtolicis Ieſus Chriſtus prædicatur. Quæris fidem Eccleſiæ Catholicæ? Fundamentum hoc demonſtrabit: Quæris in hoc fundamẽto finem prædicationis? Reſpondet Apoſtolus: Eſt Ieſus Chriſtus. Prædicatio igitur illa, quæ fundamentum tenet, deducit Eccleſiam ſine errore ad veram Chriſti fidem. Quæris regulam huius fidei? In fundamento inuenies. Nam fundamentum dicitur Prophetarũ & Apoſtolorum, quia ſcriptura Prophetica & Apoſtolica eſt regula huius fidei. Quid Tridentini ad hæc? Diſrumpamus vincula eorum, & proiiciamus à nobis iugum eorum, hæc intus ſibi canunt. Num negabunt finem prædicationis proprium, præcipuum, vnicum eſſe Ieſum Chriſtum? At Apoſtoli verba ſaluberrima ſunt, manifeſtiſſima ſunt; nemo poteſt aliud fundamentũ ponere, præter id, q̃ poſitum eſt, quod eſt Ieſus Chriſtus. Num negabũt, ſacras

Scri-

Scripturas continere hanc regulam fidei? At Apostolus in eo non est minus disertus. Dicat omnis Tridentina cohors, quare idem fundamentum dicitur Iesus Christus, idem etiam dicitur fundamentum Prophetarum & Apostolorum, cuius angularis lapis est Iesus Christus: nisi quia vnicum fundamentum sit Christus Iesus; vnica fidei regula, sacra Scriptura?

Neque vero hoc nobis sufficit, fundamentum hoc, id est, hunc prædicationis finem hanc fidei regulam nouisse: nisi firma etiam fide teneamus, quod firmissima autoritate docuit Apostolus, fundamentum hoc vnicum esse, nec mutari posse: quia aliud fundamentum nemo potest ponere: qui vero mutat aliquid in fundamento, ponit aliud fundamentum.

Dicant iam nobis, quis ille sit, qui aliud fundamentum posuit? qui pro Christo, & sacris Scripturis, Papam nobis, & traditiones obtrusit. Dicunt, non se extrudere Christum, & Scripturas, sed vnà cum Christo in fundamento ponere vicarium Christi, & vnà cum Scripturis traditiones non scripras locare. At hoc est ponere aliud fundamentum, si aliud quicquam præter Christum in fundamento, aliud quicquam præter sacras Scripturas in regula ponatur; Ecclesia ædificata est super hoc vnicum fundamentum, per hanc vnicam regulam. Et quia apud Tridentinos hæc fundamentalia mutantur, quibus Ecclesia Catholica semper constitit, & cognita fuit, semper

per consistet, & cognoscetur vsque ad finem seculi, dicimus. Ecclesiam, quæ quondam Romana fuerat, degenerasse primum in Romanam Curiam, postremo in Antichristi cathedram, & Satanæ synagogam. Iam in Scripturis pergamus.

a *Nonne propterea erratis, quod non sciatis Scripturas, neq; potentiam Dei?* Ergo error & hæresis ex Scripturarum ignorantia prorumpit; sicut ex earum notitia, fides, spes, patientia, consolatio. b *Scrutamini Scripturas, quia vos videmini vobis, in ipsis vitam æternam habere, & illæ sunt, quæ testantur de me.* Ego Iesus Christus, & veritas, quæ in illo est, ex Scripturarum testimonio perfecte innotescit: & peiores inuenti sunt Pontificii Iudæis ipsis, qui vitæ æternæ cognitionem Scripturis solis tribuebant: quum enim sibi viderentur vitam æternam in Scripturis habuisse, constat profecto, Iudæos plenitudinem Scripturarum ad vitam æternam agnouisse, atque in eo à Christo probatos: quam quum Pontificii non agnoscant, atrocioris damnationis iudicium expectent necesse est.

a *Matth.* 22. 29.

b *Ioh.* 5. 39.

CAPVT IV.

Idem ostenditur ex aliis scripturis, & obiectiones refutantur.

PRoferamus etiam alias Scripturas, eandem fidei regulam demonstrantes, & Aduersariorum aduersus veritatem colluctationes obseruemus. c *Licet nos, vel Angelus de cœlo euan-*

c *Gal.* 1. 18.

euangelizet vobis praeter quam euangelizauimus, anathema sit. Ergo praeter doctrinam Euangelicã, quam ab Apostolis accepimus, nõ est aliud verbũ non scriptũ suscipiendum in Ecclesia.

Qui ad malam causam agendã conducuntur, multas offucias excitare solent, vt animos hominum arte aliqua à veritate auertãt. Quas artes egregie exercet Cardinalis Bellarminus. Multa enim excogitat, vt hæc Apostoli verba eludat. Duplicem adfert solutionem, vtramq; vocat solidam. Prior est, quod Apostolus non loquatur de solo verbo scripto, sed de omni verbo, siue scripto, siue tradito. Hoc adfert, vt probet, omne verbum Dei non esse scriptum, sed traditiones Romanæ Ecclesiæ, quamuis non scriptas, esse verbum Dei.

Respondeo: Nugacissimum esse disputatorem, qui semper sumit id, q̃ est in cõtrouersia. Hæc est ipsa cõtrouersia: An traditiones non scriptæ sint verbũ Dei. Affirmant Tridentini: ante Tridẽtinos nemo. Vnũ ipsius Bellarmini testimonium addã vi veritatis extortum, quo suum hoc commentũ valide conuellit. Verba sunt huiusmodi: a *Nihil est de fide, nisi quod Deus per Apostolos & Prophetas reuelauit, aut quod euidenter inde deducitur. Non enim nouæ reuelationi nihil nunc regitur Ecclesia, sed in ijs permanet, quæ tradiderunt illi, qui ministri fuerunt sermonis, & propterea dicitur Eph. 2. Ædificata super fundamentum Apostolorum & Prophetarum.* Hæc Bellarminus. Quid potuit à quoquam dicertius dici, vel contra traditiones non scriptas, vel pro regula fidei

a lib. de verb. Dei non scrip. cap. 9.

fidei in ſcripturis Propheticis & Apoſtolicis conſtituta? Itaq; commentum hoc, de verbo non ſcripto, ruit ipſorum Pontificiorum confeſſione. Certe non credunt ipſi verum eſſe, quod tamen contra nos cæco conatu prætendunt. Nam qui docet, Eccleſiam ædificatam eſſe ſuper fundamentum Apoſtolorum & Prophetarum, quia non iam nobis reuelationibus regitur, ſed permanet in iis, quæ tradiderunt illi, qui miniſtri fuerunt ſermonis: certe non credit verum eſſe, quod de verbo non ſcripto iactat ipſe. Nam verbum hoc non ſcriptum de Romani Pontificis poteſtate, & de aliis eiuſdem farraginis, ſunt nouæ reuelationes, quas certe non tradiderunt illi, qui miniſtri fuerunt ſermonis. Conſtat igitur, hoc verbum non ſcriptum eſſe vanißimum commentum, quod nunquam agnouere antiqui Patres, & quod verum eſſe, Pontificii ipſi nunquam induci poſſunt, vt credant. Deinde reſpondemus, hæc Apoſtoli verba de verbo ſcripto eſſe intelligenda ex Patrum conſenſu; quem quia viderat Bellarminus, ideo ad alteram confugit reſponſionem.

Altera, inquit, *ſolutio eſt: Paulus anathema denuntiat euangelizanti præter id, quod euangelizauit*: Præter, *Apoſtolum intelligit*, contra: *& proinde non prohibet noua dogmata & præcepta, modo non ſint contraria iam traditis.* Hæc ille. Si tanta improbitas in ſacris literis exponendis ferenda ſit: quid iam integrum, quid ſanctum atque inuiolatum in Scripturis habe-

habemus? quid ab iſtis irriſoribus intactum? Dicat Bellarminus eodem ſpiritu, quum ſcriptum ſit: a *Videte, quod ego ſim, ego, inquam, & non eſt Deus præter me.* Reſpondeat, inquam, hic Pontificius commentator, illud, *præter me*, ſignificare, *contra me*: & proinde non prohiberi nouos Deos, modo non ſint contrarii Deo vero. Si hæc in manifeſtis Scripturis diſtorquendis impudentia non ſit ferenda, Cardinalis commentum ſtare non poteſt. Nam par eſt plane atque eadem ratio vtriuſq; commenti, quia par eſt atque eadem ratio vtriuſq; præcepti: Nullus Deus, præter Deum verum: Nullum Dei verbum, præter verbum in Euangelio ſcriptum. Ex hoc intelligimus, quid metuendum ſit ab iſtorum audacia atque impudentia, quia à Papa conducti, ad Scripturas exponendas veniunt. In quibus impletum vidimus, quod ſcriptum eſt: Ipſi acceptâ pecuniâ, dixerunt ſicut erant edocti.

a *Deut.* 32. 39.

Matth. 28. 15.

Bellarminus tamen hanc ſuam inuerecundam expoſitionem variis modis confirmare tentat, vt *præter*, ſit *contra*. *Patet hoc*, inquit, *primo, quia Apoſtolus ipſe multa alia poſtea docuit.* Reſpondeo: Apoſtolum, ſcimus, alia docuiſſe, quoad numerum librorum, aut verborum, ſed nihil præter Euangelium traditum, non aliud Euangelium. Docet autem idem Apoſtolus, quicquid ſit præter Euangelium iam traditum, hoc eſſe aliud Euangelium. Oportuit ergo Sophiſtam vel tacuiſſe, vel oſtendiſſe, Apoſtolum aliquid poſtea docuiſſe præter Euan-

Euangelium. Respondemus igitur Bellarmino, quod Chrysostomus respondet Marcionistis: a *Si mille sint scriptores, qui scribunt, modo scribant eadem, multa illa vnum esse Euangelium: nec quicquam obstare scribentium multitudinem, quominus vnum sit Euangelium. Vt enim vnum sit Euangelium, aut non vnum, non æstimatur numero scribentium; sed hinc, eademne sint, an diuersa, quæ scribuntur.* Hæc ille. In eandem sententiam Theodoretus: b *Hoc relicto Euangelio, non aliud inuenietis. Non enim alia per nos, alia per Apostolos prædicat Dominus, sed idem prædicatum omnes, qui summi amatores veritatis.* Hæc ille.

a Matth. 12. 30.

b Luc. 9. 50.

Itaque non bene respondet, qui dicit, Apostolum alia docuisse, quoad librorum aut verborum numerum; nisi probauerit, alia hæc esse diuersa ab iis, quæ iam tradita sunt. Sed pergit Bellarminus: *Secundo patet*, inquit, *ex proposito Apostoli, agit enim contra eos, qui docebant, seruanda esse legalia, quum ipse docuisset, non esse seruanda. Igitur cum dicit* præter, *intelligit* contra. Hæc ille. Num quis est otii sui ita prodigus, vt has nugas scribat, nisi qui præiudicia captat? Nec nos in istis refutandis moras faceremus, nisi propter incautas animas, quas ille istis aranearum telis irretire tentat. Probat, *præter*, esse hoc loco, *contra*. Quare? Quia Apostolus agit contra eos, qui docebant, legalia esse seruanda. At quærimus, quare legalia non sunt seruanda? Profecto quia sunt præter Euangelium. Quod ergo non continetur in Euangelio, & quod est præter Euangelium, &

quod est aliud Euangelium; hæc omnia Apostolo sunt ἀνάθεμα. Sit verum est, quicquid sit præter Euangelium, illud contra esse. Sicut enim Christus docuit: a *Qui non est mecum, contra me est, & qui non congregat mecum, spargit.* Sic in iis omnibus, quæ sunt de fide, verissimum est, quæcunq; non continentur in Scripturis, esse contra Scripturas. Et sicut Christus Dominus alibi dixerat: b *Qui non est contra nos, est pro nobis.* Ita in iis omnibus, quæ sunt ἀδιάφορα, in ritibus externis posita, verissimum est, quod non prohibetur in Scripturis, non esse contra Scripturas.

a *Matth.* 12. 30.

b *Luc.* 9. 50.

Quoties igitur quæstio est de regula fidei, certum est, quicquid diuersum sit à regula, esse contra regulam. Itaque nihil ineptius cogitari potuit, quam quod respondet Sophista noster, *præter* significare *contra*: ac proinde non prohiberi noua dogmata, ac præcepta, modo non sint contraria iam traditis. Nam omnia noua dogmata de fide sunt contra regulam fidei, quia sunt præter regulam. Quia, sicut Bellarminus ipse conuictus, veritatis vi fatetur: Nihil est de fide, quod non euidenter habetur in Scripturis, quia Ecclesia in iis permanet, quæ tradita sunt ab iis, qui fuerunt ministri sermonis. Quærimus igitur, quodnam sit illud verbum, quod tu ex Tridentino præscripto non scriptum vocas? Quo fit, vt Bellarminus alius atque alius nobis prodeat, tanquam Proteus? Vnus Bellarminus, qui docet, nihil esse de fide, nisi quod

quod DEVS per Prophetas & Apostolos reuelauit, aut euidenter inde deducitur, quia nouis reuelationibus non regitur Ecclesia: alius autem Bellarminus, qui docuit, totam doctrinam necessariam de fide, non contineri expresse in Scripturis, ac proinde requiri etiam verbum non scriptum in traditionibus. At si traditiones istæ non scriptæ, sint de fide, & in Scripturis non continentur: sequitur certe, Ecclesiam nunc regi nouis reuelationibus. Nam nouum est de fide, quicquid nec expresse in Scripturis continetur, nec euidenter inde deducitur, iudice vel ipso Bellarmino.

Pergit tamen strenue. *Tertio*, inquit, *hoc patet ex alio loco, vbi Apostolus vtitur voce*, præter. *Nam Rom. vltimo: Obseruate, inquit, eos, qui dissensiones & offendicula, præter doctrinam, quam accepistis, faciunt. Quo loco adeo clarum est illud* præter *significare* contra, *vt Erasmus verterit*, contra. *In vtroque autem loco eadem est vox Graeca*, παρὰ. Hæc ille.

Respondeo: Si demus, Erasmum alicubi vertisse, παρὰ, *contra*; nihil ex eo causæ Bellarmini adiuuatur. Mirum est, Bellarminum Erasmum nobis obiecisse, quum Bezam etiam potuisset. Nam & Beza eodem loco παρὰ vertit, *contra*. Recte vterque, si sensum ipsorum, non verba ventilem. Illud enim tanquam rem certam, de qua constat inter Christianos, sumunt: Quicquid sit præter doctrinam Apostolicam, esse contra eandem doctrinam:

quia nihil potest esse præter regulam, aut paulum diuersum à regula, quod non sit contra regulam. Itaque Beza, qui vertit, *contra doctrinam*, sic sese exponit: a *Significat Apostolum, quinam pro dissidiorum auctoribus habendi sint, qui nimirum diuersum quippiam docent ab Apostolica doctrina, quos alibi vocat ἑτεροδιδασκάλους.* Hæc ille. Nugasigitur, & verborum lites imperitis vendere voluit, qui ex interpretibus eruere tentat, quod contra ipsorum mentem fuisse omnes norunt. At vetus translatio habet, *præter*, & reliqui omnes Latini; de quibus nihil dicit.

a Beza in annotat. Rom. 16. 17.

Pergit adhuc: *Quarto*, inquit, *idem patet ex Patrum expositione. S. Ambrosium exponit*, si contra: *Hieronymus*, si aliter. Respondeo, quod Ambrosium adducit, nihil esse contra sententiam nostram. Nam Patres intelligunt, ea esse contra doctrinam Apostolicam, quæcunque in eadem non continentur, sicut deinceps probabimus. Quod Hieronymi verba adduxerit, minus videtur. Nam qui dicit, contra doctrinam Apostolicam esse, quicquid aliter doceatur, sententiam Pontificiam plane dissipat, quia Pontificii noua dogmata de fide inducunt, quæ volunt esse diuersa à iam traditis, non tamen contraria. Eiusdem est insaniæ, quod sic addit: *Chrysostomus, Oicumenius, & Theophylactus dicunt, Apostolum non dixisse*, si contraria, *sed*, si præterquam quod, &c. *vt indicarent, non solum eos anathematizari, qui aperte contraria toti doctrinæ docent, sed etiam eos, qui quomodocun-*

docunque, siue aperte, siue oblique quicquid labefactant ex doctrina tradita. Hæc Bellarminus.

Num quis existimare potest, hunc hominem ex animo loqui, aut serio de his rebus cogitasse, qui non erubuit Patrum verba ad sententiam suam confirmandam producere, quæ causam ipsam jugulant, quam iste confirmare voluit. Anathema dicit Apostolus euangelizanti præter id, quod accepimus. Bellarminus ait, *præter* hic intelligi *contra*. At Patres ab eo producti clamant magno consensu, Apostolum non dicere, qui contraria annuntianerint, sed qui aliquid vel oblique labefactant, hoc anathemate perstringi. Num quid apertius? *Præter* ergo, ex eorum consensu, non est tantum contra Euangelium, sed & præter Euangelium: quia, iudice Bellarmino, hoc anathemate feriuntur, non tantum qui contra Euangelium, sed etiam, qui paulo aliter docent.

Eâdem fronte Basilium & Augustinum adducit. S. Basilius Moral. 72. cap. 1. docet, ex hoc loco haberi, eos recipiendos, qui consona Scripturis tradunt, eos reiiciendos, qui aliena. Respondeo: S. Basilius probat, Pontificios esse homines profanos, qui ea de fide tradere audeant, quæ Scripturis non sunt consona, sed aliena. Mirificus videtur thaumaturgus, qui ex his verbis probabit, noua dogmata esse recipienda, quæ aliena sunt, non autem consona Scripturis. Sed Augustinum audiamus: *Augustinus*, inquit Bellarminus, *lib. 17. contra Faustum, cap. 3. exponit*, contra. *Et tract. 89. in Io-*

hannem sic loquitur. Non ait, plus quam accepistis, sed, præterquam quod accepistis. Nam si illud diceret, sibiipsi præiudicaret, qui cupiebat venire ad Thessalonicenses, vt suppleret, quæ illorum fidei defuerunt. Sed qui supplet, quod minus erat, addit, non, quod inerat, tollit. Qui autem prætergreditur regulam fidei, non accedit in via, sed recedit de via. Hæc Augustinus.

Respondeo: Augustinum priore loco non exponere hæc verba, vt *præter* sit *contra*: neq; vnquam in animo Augustini aut cuiuspiam veterum venisse tale figmentum, vt diceret, *præter* significare *contra*: sed indifferenter his vocibus vtitur Augustinus, aliique, vt *præter Euangelium*, idem illis sit, quod *contra Euangelium*: quia nihil potest esse præter regulam, quod non sit contra regulam. Alterum Augustini locum, quare adduxerit Sophista noster, non intelligo, nisi quia non potest erubescere. Nam qui supplet, quod minus erat, addit, non quod inerat, tollit. Quibus verbis refutat Augustinus vanitatem Pontificiorum, qui non verbis & explicationibus orthodoxis supplent, sed nouo sensu mutant, & prætergrediuntur regulam fidei. Nam regula fidei est sacra Scriptura Augustino, sicut deinceps constabit. At hanc regulam in Concilio Tridentino mutarunt Pontificii, quum pro vna parte huius regulæ, traditiones suas substituerint. Quæ Scriptura? Quis Patrum hanc regulæ partem agnouit vnquam?

Neque vero dissimulandum est, quod ex hoc

hoc loco, quem citauit Bellarminus, Auguſtinus quædam habet contra cauſam Pontificiam, quæ tamen diſſimulat iſte. Sic enim ſcribit Auguſtinus; a *Si quod intellexerit, quod non ſit contra regulam fidei, ad quam, velut viam, ad patriam peruenitis, & ſic intellexerit, vt inde dubitare omnino non audeat: adde ædificium, nolita men relinquere fundamentum.* Hæc ille. Ponit Auguſtinus duo contra Pontificios. Primum, regulam fidei docet eſſe viam ad patriam, quam viam omnes antiqui ponunt in Scripturis. In traditionibus non ſcriptis nemo viam ad patriam fuiſſe docuit ante Concilium Tridentinum. Secundo docet Auguſtinus, vniuerſam Eccleſiæ doctrinam eſſe velut ædificium ſuper fundamentum doctrinæ Propheticæ & Apoſtolicæ. Quod docuit etiam Apoſtolus: b *Secundum gratiam Dei, quæ data eſt mihi, vt peritus architectus, fundamentum poſui, alius autem ſuperædificat. Porro quiſque videat, quomodo ſuperædificet. Nam fundamentum aliud nemo poteſt ponere præter id, quod poſitum eſt, quod eſt* IESVS CHRISTVS. Hoc autem fundamentum poſitum eſt à Prophetis & Apoſtolis, ſicut idem Apoſtolus docet. c Fundamentum ergo Eccleſiæ eſt Ieſus Chriſtus, ſecundum doctrinam Propheticam & Apoſtolicam prædicatus. Quicunque ædificant Eccleſiam DEI, aliud docere non poſſunt, nec per aliam regulam ædificare. At Pontificii aliud fundamentum ponunt. Nam qui ad fundamentum Prophe-

a *tract. 98. in Iohan.*

b *1. Cor. 3. vers. 10. 11.*

c *Eph. 2. 20.*

tarum & Apostolorum, id est, ad fundamentum scriptum, aliud fundamentum non scriptum in traditionibus adiciunt, fundamentum mutant. Nec possunt Iesuitæ effugere, *Fundamentum aliud nemo potest ponere, præter id, quod positum est per Prophetas & Apostolos*, inquit Apostolus. Neque vero rabulæ isti respondere possunt, Apostolum, quum aliud fundamentum dixerat, intelligere non aliud quoduis, sed contrarium fundamentum. Nam hoc quid aliud esset, quam irrisio doctrinæ Apostolicæ? Quod tamen Cardinalis non minori inuerecundia Apostolo obiicere potuit, quam quum dicit, *præter Euangelium*, esse, *contra Euangelium*, ac proinde Apostolum non prohibere noua dogmata, modo non sint contraria iam traditis. Et quid vetat, quo minus idem commentator sic excipiat Apostolum, vt dicat, aliud fundamentum nemo potest ponere, *aliud*, hoc loco intelligi *contrarium*: ac proinde Apostolum hoc loco non prohibere nouum fundamentum, modo non sit contrarium iam posito. Hæc est sapientia Iesuitarum, qui vel non intelligunt, vel intelligere nolunt, aliud fundamentum quodcunque esse contrarium, & contra regulam esse, quicquid est præter regulam. Ad alias Scripturas pergamus.

Apostolus sollicite hortatur eos, qui ad Ecclesiæ clauum sedent, prouidere, vt vna eademque doctrina semper in Ecclesia viuat; ac proinde denuntiare inferioribus doctoribus

1. Tim. 1. 3.

& pasto-

& paſtoribus, μὴ ἑτεροδιδασκαλεῖν. Iam quæritur ab iſtis commentatoribus, vel in iſoribus diuinarum Scripturarum, quid illud ſit, quod prohibetur, quum Apoſtolus vetat aliter docere, (vt vetus interpres habet) vel, vt omnis doctrina, non contraria tantum, ſed & diuerſa tradatur? Quanquam verum ſit, contrariam eſſe doctrinam, quæcunque diuerſa ſit. Idem repetit Apoſtolus: *Si quis diuerſam docet doctrinam, neq; acquieſcit ſanis ſermonibus Domini noſtri Ieſu Chriſti, & ei, qua ſecundum pietatem eſt doctrina: ὑ tumet, nihil ſciens, ſed inſaniens circa quæſtiones, & verborum pugnas.* Quibus verbis diuerſa omnis doctrina prohibetur, quæ non conſentit cum regula. Non igitur, qui contrariam tantum doctrinam inducunt, ſed qui diuerſam afferunt quamcunque, prohibitæ ἑτεροδιδασκαλίας crimine conuicti tenentur. Nam quicquid non eſt hoc ipſum, quod tradiderunt Prophetæ & Apoſtoli, illud eſt ἑτερο, ac proinde prohibitum. 1. Tim. 6. 3.

Apoſtolus etiam ſic docet: *Maneto in iis, quæ didiciſti &c. ſciens, à quo didiceris, teq; à puero ſacras literas nouiſſe, quæ te poſſunt ſapientem reddere ad ſalutem, per fidem, quæ eſt in Chriſto Ieſu. Tota Scriptura diuinitus eſt inſpirata, & vtilis ad doctrinam, ad redargutionem, ad correctionem, ad inſtitutionem, quæ eſt in Chriſto Ieſu, vt perfectus ſit homo Dei, ad omne opus bonum perfecte inſtructus.* Si ſacræ literæ poſſunt nos ſapientes reddere ad ſalutem per fidem, certe expreſſe continent doctrinam ſalutis ac fidei. Quomodo enim ſa- 2. Tim. 3. 14. verſ. 16.

pientiam dare possunt de rebus, quas non expresse patefaciunt? Si vero sapientia atque fides credentium sit è sacris Scripturis petenda: quid aliud possunt Pontifices ex traditionibus suis non scriptis haurire, quam stultitiam illam, de qua Apostolus: *Quum sapientes se professi sunt, stulti facti sunt.* Si sacræ literæ tanta perfectione ac sufficientia valeant, 1. ad docendū, qu a omnē fidei doctrinam continent, & confirmant: 2. ad arguendum, quia omnes hæreses & errores conuellunt: 3. ad corrigendum, quia omnē morum prauitatē corripiūt: 4. ad erudiendū; quia in pietatis atq; obedientiæ operibus perfecte erudiunt. Profecto extremæ est cæcitatis, atq; blasphemiæ, sacras literas de imperfectione accusare, & Scripturis perfectionē suam addendam per traditiones, hoc est, Dei sapientiam per hominū stultitiam perficiendā iudicare. Si sacræ Scripturæ perfectum sistunt hominē Dei, ad omne opus perfecte instructū: certe Scriptura non est partialis, sed totalis, cōpleta, & perfectissima regula fidei; quia hominē Dei non ex parte tantum, sed plene & perfecte instituit ad omne opus bonū perfecte instructum. Deniq; si vniuersa Scriptura est à Deo inspirata; traditiones autē partim ab hominibus excogitatæ, partim à Diabolo per hypocrisin falsiloquorum subintroductæ; sicut de traditionibus Pontificiis illis aperte prædixit Spiritus S. quibus matrimonium prohibent, & à cibis quibusdā, religionis prætextu, abstinere iubent, quos Deus creauit

Rom. 1. 22.

creauit ad participandũ cum gratiarũ actione ab iis, qui nouerũt veritatem. Si, inquam, manifestũ sit ex testimonio Spiritus S. in Apostolo loquẽtis, Scripturas à Deo, traditiones istas Pontificias à Diabolo inspiratas esse: ecquæ tandẽ Antichristi vox in Ecclesia vnquã agnoscetur, si hęc non agnoscitur, qua Scripturas vt imperfectas accusat, perficiendas autẽ suis traditionibus iactat? Quid Bellarminus ad hæc? Multa cõminiscitur, quibus Apostolũ eludat. a Negat inde deduci, ꝙ Scriptura sit sufficiẽs, quia vtilis dicitur, & sic deniq; ratiocinatur: *Siue dicas, Scriptura vtilis est ad hoc, siue hunc habet vsum, siue ad hoc refertur, & ordinatur, siue quidlibet aliud simile: nunquã tamen significabis, eam solam sufficere. Sicut enim, qui dicit, cibus vtilis est ad nutriendũ hominẽ, dicit quidẽ, cibum ad hoc esse institutũ, vt nutriat, sed non dicit, sufficere solum cibum: nam si calor naturalis deficiat, aut aliquod instrumẽtum corporis ad nutritionẽ necessarium cibus nõ nutriet. Itaq; Apostolus non dicit, solam Scripturã sufficere ad docendum, arguendum, &c. & proinde ad hominem perficiendum & absoluendum, sed tamen ad hæc omnia prodesse & iuuare.* Hæc ille.

a *lib. 4. cap. 10. de verb. Dei non script.*

Credo equidem, si quis Dęmonas loquentes audire potuisset, non aliter illos, quam Dęmonas istas Tridentinos locutos esse. Nam quoties audio homines sacris Scripturis detrahentes, earum autoritatem imminuentes, sufficientiam perstringentes, plenitudini inuidentes, figmenta hominum in eodem autoritatis fastigio cum sacris Scripturis constituen-

tuentes; non hominum, ſed dæmonum voces audire videor. In Eccleſia Dei huiuſmodi voces ante Concilium Tridentinum, quis vnquam audiuit? Longe aliæ ſunt voces Scripturarum & Patrum. Nobis ſufficere videtur, ſi reſpondeamus, impias iſtas voces à nobis repudiari, quia ante iſtos nemo ſic locutus eſt in Eccleſia.

Sed videamus, qua ratione motus, voces ſuas contra vocem Dei attollere audeat. Audite, quomodo Apoſtolo obganniat. Apoſtolus dicit, *totam ſacram Scripturam eſſe diuinitus inſpiratam, & vtilem ad docendum, arguendum, corrigendum, inſtituendum in iuſtitia, vt perfectus ſit homo Dei ad omne opus bonum perfecte inſtructus.* Audis Apoſtolum prædicantem Scripturarum ſufficientiam, & perfectionem, ad perficiendum hominem Dei. Ab illo quære, quomodo Scriptura ita perfecta ſit, vt hominem Dei reddat ſine traditionibus non ſcriptis perfecte inſtructum ad omne opus bonum. Cardinalis Apoſtolum interroget, ab iſto quærat, quod à nobis quærit, & dicat: O tu, qui clamas, totam Scripturam diuinitus inſpiratam, & vtilem eſſe ad docendum, arguendum, corrigendum, inſtituendum, vt homo Dei perfectus ſit ad omne opus bonum perfecte inſtructus, quomodo hoc fieri poteſt? Nam ſiue dicas, Scriptura vtilis eſt ad hoc, ſiue hunc habet vſum, ſiue ad hoc refertur, & ordinatur, ſiue quidlibet aliud ſimile; nunquam tamen ſignificabis, eam ſolam ſufficere: nam

cibus

cibus vtilis est ad nutriendum, & tamen solus cibus non nutrit, si calor naturalis deficiat. Qui sic vocem suam contra vocem Apostoli obfirmat, certe non ille disputare, sed Apostolo oblatrare existimandus est.

Quod vero Cardinalis dicit, non solum cibum nutrire, sed & calorem naturalem; quam futile sit, quis non videt? Verbum Dei dicitur cibus & panis, ex quo homo viuit. Est ergo, vt cibus ad vitam naturalem, sic sacra Scriptura ad vitam spiritualem. Cibus autem non nutrit sine calore naturali, nec Scriptura sine fide. Quis hæc negat? At quum solus cibus nutrire dicitur, non excluditur calor naturalis, qui per cibum, & vna cum cibo operatur: sed omne illud, quod vel non est cibus, & tamen ventrem ingreditur, sicut medicamenta, aut venena: vel non nutriret, quamuis ingrederetur, vt lapides; vel omnino non ingreditur, quamuis aptum sit ad nutriendum. Nam cibus non potest nutrire, nisi sumptus. Itaque solus cibus nutrit: quia quod non est cibus, & tamen in ventrem sumitur, tanquam cibus, non potest nutrire. Sic dicimus, solam Scripturam sufficere, non vt fidem excludamus, sine qua ne Scriptura quidem sufficit ad salutem homini non credenti: sed vt traditiones non scriptas excludamus, quæ non sunt cibus & panis, ex quo homo spiritualis viuit. Et si Cardinalis impostoris famam vitare voluisset, demonstrasset, traditiones istas non scriptas, esse cibum hominis credentis. Hoc vero ne

Deut. 8. 3. *Matth.* 4. 4.

leui

leui digito tentauit. Quam est hæc supina superbia? Ridiculissima res agitur. De regula fidei quæritur: de ipso fundamento Ecclesiæ. In quibus tamen colludunt homines superbi, & contemptores, nec disputant.

Apostolus, vt Scripturarum diuinitus inspiratarum perfectionem ostendat non dicit, Scripturas simpliciter esse vtiles; neq; nos sic rationem instituimus: Scriptura est vtilis; ergo sufficit; sicut iste somniat nos colligere: sed quod docet Apostolus, quod nos ex Apostolo colligimus, illud est: Scripturæ vtiles sunt ad perficiendum hominem Dei. Hæc autem vtilitas, quæ hominis Dei perfectionem operatur, vt perfectus sit ad omne opus bonum perfecte instructus, est sufficientia, & perfectio. Vtilitas illa, quæ perficit, est vtilitas & perfectio. Nihil enim requiritur ad perfectionem, quod non hæc vtilitas præster; qua & veritas omnis docetur, & error omnis refutatur, & mores instituuntur, & vitia omnia corriguntur, & sic homo Dei perficitur. Nonne egregie nugatur, qui quum traditiones nō scriptas in regula fidei, in ipso fundamento reponat, solam Scripturam non ad omnia sufficere dicit, quia nec cibus solus nutrit sine calore naturali? Atqui nos expectauimus, vt ostenderet, non tantū sacras Scripturas, sed etiam figmenta illa, & portenta de verbo non scripto in traditionibus, esse cibum, quo homo spiritualis nutriatur, esse panem Ecclesiæ, esse insitum sermonem, qui possit seruare animas nostras.

Mihi

Mihi vero Scripturarum perfectio, & sufficientia, vel hinc etiam maxime lucere videtur, quod homines improbos & superbos, qui cõtra ipsas obstrepere audent, ita mirabiliter sua percellant, vt ingeniosos alioquin, & doctos, quasi cæcos & bardos diminuat. Quod accidit Cardinali nostro, qui multa nugando, & obiiciendo, tandem eandem Scripturarum sufficientiam concludit, quam nos profitemur. Nam post multas leuissimas nugas, tandé aculeum reliquisse sibi videtur, quum dixerat, nõ solam Scripturam sufficere, quia nec solus cibus sine calore naturali sufficit ad nutriendum. Quibus verbis ostendit, se nihil habere contra Scripturarum sufficientem perfectionem; concedit, quod nos docemus. Sufficit ergo cibus, si calor naturalis adsit, & sufficiunt Scripturæ si fides adsit.

Neque refert, de vniuerso corpore Scripturarum hoc intelligamus, an de quolibet libro sacro. Nam quod adfert nondum extitisse Apocalypsin, & Euangelium Iohannis, quum hęc Epistola scriberetur, aut hæc de veteri Testamento intelligenda esse, quę loquitur Apostolus ad Timotheum, ab infantia sacras literas nouisti; id est, vetus Testamentum. Nam quum esset infans Timotheus, nondum extabat Testamentũ nouum: hæc nihil impediunt sententiam nostram; imo potius confirmant. Nam si tanta est perfectio veteris Testamenti, num negabunt de vniuersa Scriptura verum esse, quod in parte concedunt? Fatemur, Scripturas

pturas à Deo suo tempore reuelatas esse Ecclesiæ, quando voluit, & quantum voluit. Verum quum in Ecclesia Israelitica nihil de Scripturis extaret, præter quinque libros Mosis; certum est, Scripturas illas diuinitus inspiratas fuisse in Ecclesia regulam fidei omnibus credentibus: nec debuisse Ecclesiam aliter sapere, aut aliter Deum cognoscere, nisi secundum Scripturas illas diuinitus inspiratas; in quibus voluntatem suam Deus patefecerat. Itaquo frigidum est, quod de aliis libris postea conscriptis, & in canonem relatis obloquitur, aut quod de veteri Testamento profert: nam Scripturæ postquam semel ad Ecclesiam dirigendam conscriptæ fuerunt, semper erant cibus Ecclesiæ, & semper hominem Dei perfectum ad omne opus bonum perfecte instructum reddere potuerunt. Nec librorum additione aliquid aliud docebatur, sed eadem regula, eadem Dei sapientia, non perfectior, sed plenior tradebatur. Hactenus Scripturas de Scripturis loquentes audiuimus: audiantur deinceps Patres.

CAPVT V.

Græcorum Patrum sententia refertur.

CLemens Alexandrinus, de regula fidei, & de Scripturis contra traditiones non scriptas sic disserit: a *Regula ecclesiastica est consensus, & conspiratio veteris & noui Testamenti, quod per aduentum Domini traditur.* b *Hanc al-*

a *Strom. lib. 6.*

b *ibid. lib. 7.*

titu-

ſtitudinem minime aſſequuntur, qui non ſequuntur Deum eos ducentem, duxit autem per Scripturas diuinitus inſpiratas. a *Is nobis ſolus eſt cognitionis præditus, qui quum in ipſis Scripturis conſenuerit, Apoſtolicam & eccleſiaſticam ſeruans dogmatum rectitudinem, recte viuit ſecundum Euangelium.* a *ibid.*

Clemens igitur & dogmatum & morum regulam, ſactas Scripturas docuit eſſe. De antiquorum Patrum næuis inuiti loquimur. Sed ea eſt Pontificiorum improbitas, & importunitas, vt ex Patrum næuis errorum ſuorum patrocinium quærant. Adducunt enim quædam è Clemente, quæ nec ipſos iuuant, & Clementem ſuis obnoxium infirmitatibus produnt. Hæc vero non adducantur à Bellarmino; credo, quia videbat ille, cauſam Pontificiam ex Clemente nihil adiuuari. Sed quia ab aliis afferuntur pro traditionibus non ſcriptis, nos etiam referemus. Sunt autem hæc eius verba: b *Operarius, qui in meſſem Domini emittitur, duplicem habet agriculturam, ἄγραφον, & ἔγγραφον.* b *Strom. 1.*

Reſpondemus, his verbis traditiones Pontificias non ſcriptas nihil promoueri. Nam Clemens per ἄγραφον duo intelligit, ſicut diuerſis locis ſeſe explicat. Aliquando enim dicit, Græcos per philoſophiam fuiſſe iuſtificatos; quod quia in Scripturis non habetur, iccirco ἄγραφον vocat. Hæc eſt manifeſta ſententia Clementis variis locis. Atque adeo hoc ipſo loco poſt verba ſuperius citato, ſic ſcribit: c *Sunt anima propria habentes nutrimenta,* c *ibid.*

& alia quidem augentur per cognitionem & scientiam, alia vero per Græcam philosophiam. Itaque ex hoc loco nihil habent Pontificii, nisi forte inter traditiones suas non scriptas, Græcam philosophiam numerare velint. Hunc autem fuisse Clementis errorem, nobiscum agnoscunt Pontificii, ac proinde suo ipsorum iudicio refutantur, qui hæc ad traditiones non scriptas confirmandas producunt.

Alia est etiam Clementis sententia de ἀγράφοις, sed à plurimis non recte explicata. Quidam enim obiiciunt hæc verba Clementis, [a] *Vt Philosophi quadam arcana de suis dogmatibus tradiderunt, ita etiam Apostoli, vt ait Paulus, Sapientiam loquimur inter perfectos.* Scio, hæc verba viros aliquot doctos conturbasse, itaque inter nævos Clementis reponunt. Certe nullam causam video, quare viri docti & cordati his magnopere moueantur, in quibus nihil inuenjunt Pontificii pro errore suo stabiliendo. Nam per vniuersum librum illum quintum Stromatum, Clemens nihil omnino habet de traditionibus Pontificiis non scriptis. Et certe Aduersariorum fraude, verba illa proximè citata è Clemente ponuntur. Nam illa verba Clemens non habet. Disputat eo libro Clemens, de mysticis scriptionibus. Testatur, apud Ægyptios plures esse scribendi rationes: primum ἐπιστολογραφικὸν: secundam esse sacerdotalem, quæ vtuntur ἱερογραμματεῖς: vltimam esse ἱερογλυφικὸν. Postremam hanc variam esse docet. Probat etiam multa apud Phi-

[a] *Strom. lib. 5.*

Philosophos, præsertim Pythagoricos, non fuisse scripta. Atq; hæc suo more ad nostros etiam retulit, vt probet, multa, quæ in sacris literis traduntur, retenta fuisse apud gentes illas, in quibus naturæ lux non omnino extincta fuerat. Obseruat igitur, his similia in sacris literis posita fuisse. Itaq; multa producit è veteri Testamento, quæ suas habent allegorias, non tamen scriptas. Cuius generis enumerat arcam, imagines, Cherubim, alas, tintinnabula, pectorale, gemmas, & plura eius ordinis, quarum rerum non scriptam, sed mysticam haberi interpretationem docet. Huc etiam refert illa Apostoli verba: *Sapientiam loquimur inter perfectos*: quibus verbis intelligit Clemens, reconditam illam sapientiam Propheticam in veteri Testamento. Sic enim scribit: a *Hu germanè dicit sanctus quoque Apostolus Paulus, Propheticam & vere antiquam construunt occultationem: sapientiam loquimur inter perfectos, &c.* a *ibid.*

Hæc fusius exponere volui, quia torporis videbatur non ferendi in hoc obstrepente seculo, non intelligere sensum antiquorum Patrum, & antiquos Scriptores ab Aduersariorum fraude & impostura non vindicasse. Habet Clemens suos nævos, quos mallem sepultos, quam prolatos: illud tamen constanter affirmo, ex Clementis sententia traditiones Pontificias non scriptas confirmari non posse. Docet Clemens, haberi quædam non scripta, sicut sunt allegoricæ & mysticæ

interpretationes earum rerum, quæ in veteri Testamento typice ponuntur. Quas quidem omnes interpretationes ad Scripturæ analogiam reuocandas docet Clemens. Itaque aliud verbum Dei in traditionibus non scriptum nusquam agnoscit, imo vehementer abhorret. Itaque quoties de regula fidei, de Scripturis disputat, constanter docet, nullum esse aliud opus, præter sacras Scripturas, vt homo saluus fiat. Nam sic scribit: a *Hanc doctrinam Apostolus quum sciret esse diuinam, Tu autem, inquit, ô Timothee, ab infantia sacras literas nosti, quæ te possunt instruere ad salutem per fidem in Christum. Sunt enim vere sacra litera, quæ sacros faciunt, & deificant: ex quibus literis & sacris syllabis compositas scripturas & opera idem consequentes Apostolus appellat diuinitus inspiratas, vt quæ sunt vtiles ad docendum, ad arguendum, &c. Non adeo autem admirabitur quisquam aliorum sanctorum adhortationes, vt ipsum Dominum, qui est benignus ac humanus. Nullum enim aliud est ei, præterquam hoc solum opus, vt homo saluus fiat.* Hæc ille. Quid à quoquam disertius dici potuit, quam quod hic docet, nullum esse aliud opus, quo hominibus salus quæratur, quam ex vnico hoc opere sacrarum Scripturarum? Ergo salus hominum non est in traditionibus non scriptis, sed in solis Scripturis. Iraque idem hanc regulam alibi explicans, b dicit, *regulam cognitionis esse traditionem veritatis per veritatem.* Et paulo post sic etiam disserit: c *Eis etiam illud producimus, contra quod dici non potest, quod Deus*

a *Protrept.*

b *Strom. 5.*

c *ibid.*

Deus eſt, qui dicit, & de vnoquoque, de quibus quærimus, traditum adducit in ſcriptis. Hæc Clemens. Quibus verbis traditiones à verbo Dei penitus reiicit. Nam Deus eſt, qui loquitur, & in Scripturis loquitur. Contra hoc nihil dici poteſt, Clemente iudice. At contra traditiones non ſcriptas multa dici poſſunt. Probent, Deum hæc protuliſſe, & Deum in Scripturis ſuis protuliſſe, tum demum ea proferent, contra quæ nihil dici poſſit. Proferamus iam alios.

Origenes ſic docet: a *Vide quam prope periculum illis ſunt, qui negligunt exerceri in diuinis literis, ex quibus ſolis examinationis huiuſmodi agnoſcenda dijudicatio eſt.* Hæc ille. Qui ex ſolis Scripturis controuerſias explicandas eſſe docet, traditiones non ſcriptas refutat. Idemque ſic etiam habet: b *Neceſſe eſt nobis Scripturas ſacras in teſtimonium vocare, ſenſus quippe noſtri, & enarrationes ſine his teſtibus non habent fidem.*

a *in Rom. cap. 16.*

b *in Ierem. homil. 1.*

Priorem ſententiam Origenis diſſimulat Bellarminus, quia videt, nihil poſſe reſponderi. Ad poſtremum teſtimonium ſic reſpondet: c Loquitur Origenes de obſcuriſſimis quæſtionibus. Hæc ille. At hoc non eſt reſpondere. Quaſi vero faciliora deberent abſq; Scripturis recipi. Atqui Origenes eodem loco idem affirmat de omni verbo. Quod etiam repetendo docet in Matth. cap. 13. *In ore*, inquit, *duorum, trium, aut plurium teſtium à Scripturis citatorum fundamus & confirmamus omne verbum Dei.* Hæc Origenes. Si omne verbum Dei Scripturarum teſtimonio fundatur, quomo-

c *lib. de verb. Dei non ſcript. cap. 11.*

do possunt traditiones non scriptæ esse verbum Dei. Oportuit Cardinalem ad hæc respondisse, & non distinctiuncularum nugis Lectorem à mente Origenis auocasse. Idem igitur Origenes dicit, Ecclesiæ dotem fuisse Euangelia & Prophetarum volumina. In Cant. homil. 1. Vnum Origenis testimonium adiiciam, quo velut præsagio quodam traditiones Pontificias Antichristi verbum futurum esse monet. Postquam enim templum & locum sanctum exposuisset significare Scripturam, subiicit: a *In hac loco sancto omnium Scripturarum, tam veteris, quam noui Testamenti, Antichristus, quod est falsum verbum, stetit: per hoc ipsum, quod stare videtur in Scriptura diuina, ostendens se, quasi sit Deus, & sit quasi Christus Dei verbum. Et quoniam sic extollitur, vt etiam in templo Scripturarum sedeat, per ipsum templum, id est, per diuinas Scripturas volens se ostendere, quasi ipse sit Deus. Semper ergo, qui diuinas legit Scripturas, intelligat eas.* Hæcille. Quid autem diceret, si nunc viueret, & legeret eorum scripta, qui Rom. Pontificem adorandum Christi Vicarium, caput Ecclesiæ, Scripturarum, & omnium de fide controuersiarum iudicem statuunt? qui docent, verbum Papæ esse verbum Dei?

a in Matth. tract. 29.

Athanasius in eandem sententiam ait: b *Sufficiunt sanctæ & diuinitus inspiratæ Scripturæ ad institutionem veritatis.* Respondet Bellarminus, Athanasium non habere ad omnem institutionem, sed tantum ad institutionem veritatis. Hæcille. At qui dicit, sufficere Scripturas

b contra Gent.

pturas ad instructionem, necessario intelligit omnem: alioquin non sufficerent. Et Athanasius habet, αὐτάρκεις εἰσὶν, per se, & ex se sufficiunt. Si autem per se sufficiunt, falsum ostenditur esse, quod Bellarminus docuit: a *Scripturas sine traditionibus non esse sufficientes.*

a *lib. de verb. Dei non script. cap. 11.*

Nazianzenus vocat doctrinam non è Scripturis traditam, b πίστως ἀναπόδεικτα φαντασίαν.

b *Serm. de Divinit.*

Basilius idem docuit: c Non est æquum, vt quæ apud ipsos (hæreticos) obtinuit consuetudo, pro lege ac canone habeatur rectæ doctrinæ. Si enim ad demonstrandam veritatem valeret cõsuetudo, licet & nobis pari modo illis respõdere. Sed ſtemus arbitratui inspiratæ à Deo Scripturæ, & apud quos inuenta fuerint dogmata diuinis sermonibus consonantia, his omnino veritatis accedat suffragiũ.

c *epiſt. 80.*

Respondet Bellarminus: d Omisit Chemnitius verba, quæ erant in medio, & contra illum faciebant. Nam quæstio erat: An dicendum sit, esse in Deo tres hypostaſes, & vnã naturam: Aliqui dicebant, nõ esse sic dicendum, & proferebant pro argumento consuetudinẽ suæ regionis. Respõdet Basilius: In aliis regionibus est consuetudo, vt dicãt, tres esse hypostaſes. Hæc Bellarminus nugando, & plura etiam verba addit. Deinde subijcit: Non hic agi de traditione in tota Ecclesia recepta, sed de particularibus consuetudinibus: Basilium autem ideo prouocasse à consuetudine

d *lib. de verb. Dei non ſcript. cap. 11.*

ad Scripturas, quia à consuetudinibus contrariis nihil certi statui poterat. Hæc ille. Sed quomodo hæc contra Chemnitium faciant, non ostendit, aut quomodo omiserit Chemnitius verba in medio. Certe integram sententiam retulit, nihil omisit. Itaque quum nihil haberet Cardinalis, quod responderet, ad verba confugit. Quod ad particulares traditiones, hæc refert, frigidum est, & falsum. Nam qui tres hypostases docuerunt esse in vna natura, non secuti sunt particularem, sed vniuersalis Ecclesiæ consuetudinem. Et tamen Basilius negat, hoc ex consuetudine sumendum esse: quia in controuersiis de fide non consuetudinem, sed Scripturæ autoritatem sequi debemus. Hæc sunt, quæ Basilius tractat; ad quæ non respondet Cardinalis, sed verborum fumum excitat. Gregorius Nyssenus vocat Scripturas, κανόνα καὶ ἀδιάτροφον, orat. de iis, qui adeunt Hierosol.

a *Ascet q. 1.*

Plura è Basilio proferamus: a *Nulli mortalium omnino licet aut facere quicquam prohibitum in Scripturis, aut prætermittere quicquam mandatum, quum Dominus semel pronuntiauerit, Verbum, quod hodie mando tibi, obseruabis, neq; ei appones quicquam, neq; auferes ex eo.* Scribit etiam Basilius elegantem & solidam fidei suæ confessionem, in qua sic probat Scripturas esse vnicam fidei regulam: b *Manifestus est à fide lapsus, & signum superbiæ certissimum, vel reijcere aliquid eorum, quæ scripta sunt, vel eorum, quæ non scripta sunt, introducere, dicente Domino nostro Iesu Christo:*

b *inter ascet.* ἀπὸ πίστεως. φανερὰ ἐκπτώσεως πίστεως.

Christo: Oues meæ vocem meam audiunt. Primus ille, Iohan. 10.
dixerat: Alienum nequaquam sequentur, sed fugient ab eo, quia non norunt vocem alienorum. Apostolo quoq; sub exemplo humano vehementissime prohibente, ne quis Scripturæ à Deo inspiratæ vel addat quicquam, vel subtrahat, quum dicat: Humanum Gal 3. 15.
etiam testamentum ratum factum nemo reiicit, aut ei quicquam superaddit. Sic nos igitur & nunc, & semper fugere nonimus omnem & vocem, & cogitationem alienam à doctrina Domini nostri. Hactenus Basilius.

Quibus verbis mentem suam vir sanctus ita diserte demonstrauit, vt vel pertinacissimis rixatoribus, quales sunt Iesuitæ, satisfacere videatur, ne amplius de eius sententia dubitare possint. At Bellarmino non persuadebit, etiamsi persuaserit. Itaque respondet: a Loquitur Basilius de iis, qui addunt ad Scripturæ dogmata alia contraria, & aliena, Scripturisq; repugnantia. Hæc ille. Sed quia animus contra veritatem armatus non potest quiescere, dubitat, hæret, mutat, addit. Et quomodo potuit aliis satisfacere, qui suæ primum conscientiæ non satisfacit? Itaque post verba nonnulla hic infert: Addo etiam, de iis quoque Basilium loqui, qui non contenti vocibus scriptis, ex proprio capite inueniunt alias. Id enim superbiæ signum est certissimum. Itaque agit de traditionibus, quæ excogitantur à priuatis hominibus, non de iis, quæ ab Apostolis Ecclesia per successiones Episcoporum accepit. Hæc ille.

a *lib. de verb. Dei non script. cap. 11.*

Nescio, quomodo alii in hac responsione acquiescere possint, in qua nec Cardinalis ipse acquiescere videtur. Dicit, Basilium loqui de iis, qui addunt Scripturæ dogmata contraria & repugnantia. At hæc responsio inutilis est, quia Pontificii addunt dogmata Scripturis aliena, contraria, repugnantia, sicut in sequentibus demonstrabitur. Deinde supra iam docuimus ex Apostolo, in controversiis de fide omnia esse contraria & repugnantia, quæcunque nō habentur in Scripturis: quia quæ sunt præter regulam, sunt etiam contra regulam. Hæc vna Bellarmini responsio semper sine pudore ingeminatur ad verba Apostoli, ad verba Patrum; quia præterea nihil habet, miserum est, nec tacere posse, nec rectè loqui. Quod addit, Basilium loqui contra eos, qui nō contenti vocibus scriptis, ex proprio capite inueniūt alias: quî magis potuit Cardinalis suo se telo cōfodere? Nam Pontificii sunt, qui non cōtenti vocibus scriptis, alias excogitarūt ex proprio capite. Hæret adhuc Cardinalis, nec responsionis exitum videt: Tandem igitur ait, agit de traditionibus, quæ excogitantur à priuatis hominibus, non de iis, quas ab Apostolis Ecclesia per successiones Episcoporum accepit. Neq; hæc expedire possunt Cardinalem: Nam quænam quæso Ecclesia, quæ successio Episcoporū ante Cōcilium Tridentinū traditiones non scriptas in regula fidei posuit?

Quid interim respondet ad grauissimam illam Basilii rationem, qua commotus iudicat, nihil

nihil recipiendum de fide, nisi quod in verbo scripto habetur: quia Christus Dominus dicit: Oues meæ vocem meam audiunt. Ex qua Scriptura Basilius, Augustinus, aliique veteres probãt, Scripturas esse vocem Christi vocem; & quicquid in illis non legitur, fugiendum esse ab iis, qui se Christi oues esse profitentur. Hæc apud illos ratio dominatur: Fugiendum esse, quicquid non est vox pastoris nostri: Vocem pastoris nostri non esse, quicquid in Scripturis non habetur. Et nos etiam eadem ratione probamus, nos esse veros patrum nostrorum filios: Traditiones non scriptas de fide, vt vocem alieni refugimus. Ad hæc quid Cardinalis? Quid ad illam validissimam confirmationem, quam adduxit Basilius ex Apostolo? Humano testamento semel rato nihil superaddi posse: Ergo testamento Saluatoris nostri nihil est superaddendum. Sudabit hic, & aliquid excogitabit. Dicet, quod semper respondere solet, Pontificios non contraria, non repugnantia superaddere Scripturis, sed tamen docere multa, quæ non sunt in Scripturis. Atqui hoc commentum est prorsus inutile, & oportet ingeniosissimum Cardinalem nouum commentum exquirere. Nam qui humano testamento aliquid aliud addit, quod à testatore non erat positum; quamuis non contraria testamento, aut repugnantia posuerit; falsarius tamen iudicabitur. Certe negare non possunt, multa ab illis doceri, etiam ad regulam fidei multa apponi, quę nõ sunt in

in Scripturis posita. Itaque si illorum confessione sacra Scriptura sit testamentum Salvatoris nostri, certe negare non possunt, se ex Apostoli verbis, ex Patrum iudicio, falsarios, & sacrilegos iam convictos esse, qui in Christi Domini nostri testamento audent facere, quod in humano testamento, postquam ratum fuerit testibus, & morte testatoris, impium atque illicitum iudicatur. Et quia Dominus Cardinalis ad hæc non potuit respondere, libenter omnia dissimulat. Nec veretur tacitum iudicium doctorum & cordatorum hominum: maluitq; sophisticam artem quoquo modo exercere, quam à veritate vinci.

In Synodo Nicena prima, Constantinum Imperatorem sic disserentem refert Theodoretus: a *Euangelici, & Apostolici libri, & veterum Prophetarum oracula, plene instituunt nos, quid oporteat sapere de voluntate & sensu Dei. Ponentes ergo contentionem ex diuinitus inspiratis oraculis, quæramus solutionem eorum, quæ proponuntur.*

a *histor. lib. 1. cap. 7.*

Respondet Bellarminus: Constantinum fuisse magnum Imperatorem, sed non magnum Ecclesiæ doctorem. Sic solent Iesuitæ irridere, quum, quod respondeant, non habent. Atqui multos Papas inferiores fuisse Constantino, in cognitione veritatis, constat. Deinde Constantinus non suam tantum, sed Concilii sententiam hic retulit, quam à sanctissimis Episcopis & Doctoribus hauserat. Postremo, nihil habet Constantinus, quod non Ecclesiæ magni Doctores omnium sæculo-

culorum tradiderunt. Ita hæc irrisio non in Constantinum solum, sed & in Concilium Nicenum, & in omnes Ecclesiæ Doctores magnos recidit. Synodus Constantinopolitana Macedonium non traditionibus, sed Scripturis repressit. Itaque Athanasius de ea re sic scribit: a *Ne interroges, sed solum ex sacris literis addiscas: sufficiunt enim, quæ in illis reperies, documenta.* De duobus insequentibus Conciliis, Ephesinum dico, & Chalcedonense (vt quatuor primorum generalium Conciliorum explorata de hac re iudicia teneamus) Euagrius sic testatur: *Ex Euangelicis & Apostolicis de Domino vocibus, scimus viros illos diuinos constituisse.* Quatuor igitur prima Concilia generalia, quorum semper in Ecclesia celeberrima viguit autoritas, nihil ex traditionibus, omnia ex sacris Scripturis confirmarunt.

a *lib ad Serap. Spiritum sanctum non esse creaturam.*

Chrysostomus sic docet: b *Magna aduersus peccatum munitio est Scripturarum lectio, magnum præcipitium, profundum barathrum Scripturarum ignoratio.* Et mox: *Ea res & hæreses peperit, & vitam corruptam inuexit, & sursum ac deorsum omnia miscuit.* Idemque sic exponit verba illa Apostoli: *Si ego, vel Angelus de cœlo annuntiauerimus, præterquam quod accepistis, anathema sit. Non dixit* (inquit Chrysostomus c) *si contraria annuntiauerint, aut totum Euangelium subuerterint, verum si paulum euangelizauerint præter Euangelium, quod accepistis, etiamsi quidam labefactarint, anathema sit.* Pauca hæc verba Chrysostomi, vsitatissimam Bellarmini responsionem

b *Homil. de Lazaro.*

c *in Gal. cap. 1.*

nem in fumum sophisticum dissipant. Illud enim respondere solet Bellarminus: *Præter id*, significare *contra id*: ac proinde Apostolum non prohibere noua dogmata, modo non sint contraria iam traditis. At Chrysostomus non patitur Apostolum sic eludi. Apostolus non dicit, *si contraria*, sed, *si paulo præter Euangelium* docuerint. *Præter Euangelium*, non est *contra*, sed, *præter*.

Idem Chrysostomus, Scripturas esse regulã fidei, sic docet: a *Quum habeamus exactissimam trutinam, gnomonem, & regulam diuinarum legum assertionem, oro vos omnes, vt relinquatis, quid huic vel illi videatur, & de his à Scripturis hæc omnia inquirite.* Respondet Bellarminus: b Non loquitur de dogmatibus fidei aut morũ obscuris, sed de opinione carnaliũ, qui anteponunt opes paupertati: quum Scripturæ apertissime doceant, paupertatem esse longe vtiliorem ad salutem. Itaque Chrysostomus nihil hic aliud dicit; quàm, magis credendum esse Scripturis, quam hominum opinioni. Hæc ille. Sed quid si hæc responsio non satisfaciat? aut quid est in hac responsione, quod Cardinalis putabat satisfacere posse? Chrysostomus eo loco multa vitia reprehendit, scortationem, auaritiam, inuidiam, crudelitatem, vanam gloriam: deniq; de pauperis & diuitis comparatione agit. Sed quid hæc ad rhombum? Non quæro, de quibus disputet; sed quid dicat? Nam contra omnia vitia, contra omnes omnium hominum opiniones vnam profert regu-

a In 2. Cor. Homil. 13.

b lib. de verb. Dei non script. cap. 11.

regulam, vnum gnomonem, vnam trutinam, sacram Scripturam. Noli mihi illud respondere, quod nec quæro, nec refert. Profecto, quid dicat, quid doceat. Scriptura est, inquit; exactissima trutina & regula. Cur nonig tur ad hanc regulam Pontificias traditiones non scriptas reuocemus. Monet Chrysostomus, ne opinionum vento circumferamur; sed Scripturarum regulam sequamur. Et quia locus hic luculentissime Pontificias traditiones conuellit, verba Chrysostomi fusius apponam, quia feriunt Pontificios: a *Ne igitur multorum opiniones habeamus, sed res ipsas inquiramus. Quomodo autem non absurdum est propter pecunias alijs non credere, sed ipsas numerare, & supputare; pro rebus autem amplioribus aliorum sententiam sequi simpliciter? Præsertim quam habemus omnium exactissimam trutinam & gnomonem, & regulam diuinarum, inquam, legum assertionem. Ideo obsecro & oro vos omnes, vt relinquatis, quid huic vtile videatur, deq; his à Scripturis hæc omnia inquirite.* Hæcille. Nos sedulo quidem facimus; quod iubet Chrysostomus. Pontificii traditiones non scriptas nobis obtrudunt quasi pecunias; imo quasi verbum DEI omni thesauro pretiosius. Quod igitur homines non omnino supini facere solent in pecunia excipiendis, vt non aliis credant, nec excipiant pecunias, nisi supputatas, & numeratas; Num prohibebunt Pontificij, nos idem facere in re omnium pretiosissima, in fide suscipienda? in

a in 1. Cor. hom. 13.

animæ thesauto excipiendo? Negamus, nos traditiones non scriptas de fide, id est, pecunias Pontificias, nisi prius numeratas & supputatas recepturos: quia ad hæc diiudicanda sacrarum Scripturarum habemus exactissimam regulam: ex qua regula pecunias istas Pontificias adulteratas cognoscimus. Sic nos docuit Chrysostomus.

Autor operis imperfecti in Matth. idem docet: a *Quicquid quæritur ad salutem, totum iam adimpletum est in Scripturis.* a Homil. 41.

Respondet Bellarminus: Loquitur Chrysostomus de remediis vitiorum, & docet, nullum esse vitium, ad quod sanandum non inueniatur in Scripturis aliquod remedium. Sed quid hæc valent contra traditiones. Hæc ille. Respondeo: Valent hæc maxime contra traditiones, quia traditiones istæ vitia sunt, ad quæ sananda remedium inuenitur in Scripturis. Sed certum est, hæc verba non tantum esse de remediis vitiorum, nisi & infidelitatem inter hæc vitia repones: nam loquitur hic scriptor de omnibus necessariis ad salutem, & ad omnia Scripturas sufficere docet, sive de fide sit quæstio, sive de moribus. Itaque eodem loco sic scribit: *Prandium meum paraui: id est, ex omni lege, & ex omnibus Prophetis Scripturarum mensas paraui.* Quid? Num Cardinalis dicet, hæc esse tantum de remediis vitiorum? Item sic subiungit: *Sicut viscera agni, ita eloquia Christi homines non manducauerunt, nisi postquam occisus est. Nam post mortem eius Euangelia prædicata sunt,*

sunt, & credita, & in ijs homines quotidie nutriuntur. Num hæc etiam ad remedia vitiorum tantum referenda sunt, an non etiam ad regulam fidei? Ita igitur progreditur hic scriptor ad verba illa exponenda [*omnia parata sunt,*] & infert: *Quicquid quæritur ad solutem, totum iam adimpletum est in Scripturis. Qui est ignarus, inueniet ibi, quod discat, &c.* Qui igitur hæc ad remedia vitiorum tantum retulit, non ille sollicitus videbatur, quid effutiret, modo aliquo commento vim verborum eludere posset. Postremo, si nullum sit vitium, ad quod sanandum Scriptura iam habeat remedium: certe iam Cardinalis concessione, Scriptura est perfecta regula morum. Quærimus igitur à Domino Cardinali, quam rationem afferre possit, quare non sit eadem perfecta regula fidei, quam morum perfectam regulam concedit? Hæc semicruda reliquit, quæ concoquere non potuit.

Epiphanius etiam sic habet: a *Quum talis sit ipsorum (hæreticorum) doctrina, quam neque Propheta prædicauerunt, neq; Dominus docuit, neq; Apostoli tradiderunt, quam de vniuersis iactant, se plus alijs cognouisse, ex non scriptis legentes, quod dici solet, ex arena funiculos nectunt.* b *Nec vniuscuiusq; quæstionis inuentionem non ex proprijs ratiocinationibus docere possumus, sed ex Scripturarum consequentia.*

a *hæres. 31.*

b *hæres. 61.*

Huic postremo testimonio respondet Bellarminus: Non dicit Epiphanius, ex Scripturarum consequentia solum: alibi autem clarissime

ſſime dicit, non omnia à Scriptura accipi poſſe, & ideo neceſſariam eſſe traditionem.

Reſpondeo primo, qui inuentiones proprias excludit, qui omnia non ſcripta reiecit, vt Scripturis locum relinquat, certe ſolam Scripturarum conſequentiam confirmat. Deinde ex variis Patribus adducimus ea verba; *ex Scripturis ſolum*; *ex ſolis Scripturis*; *tantummodo ex Scripturis*: ad quæ tamen mutus eſt Bellarminus.

Sed Epiphanius, inquit Bellarminus, traditionibus non ſcriptis fauet. Itaque quæ producit Bellarminus ex Epiphanio, pro traditionibus non ſcriptis examinanda ſunt. Duos profert locos. Primum hæreſ. 55. quæ eſt Melchiſedecianorum. *Tamen*, inquit Epiphanius, *nobis poſiti ſunt, & adiſicatio fidei, & Apoſtolorum traditiones, & Scripturæ ſanctæ, & ſucceſſiones doctrinæ, & vndique veritas Dei munita eſt, & nemo decipiatur nouis fabulis.*

Reſpondeo: Epiphanii locus eſt maxime contra Pontificios. Nam diſputat eo loco contra traditiones non ſcriptas de fide; ab hæreticis confictas, (quales ſunt traditiones Pontificiæ, contra quas nos etiam diſputamus) vt confirmet, traditiones ſcriptas ab Apoſtolis, quas vocat & Scripturas ſanctas, & ſucceſſiones doctrinæ. Nam traditio ſæpe apud Patres dicitur doctrinæ veræ traditio, è Scripturis in Eccleſia conſeruata: ſicut in traditionum diſtinctione diſcuti ſumus. Ex hac fuiſſe Epiphanii mentem, conſtat, quia eodem capite maxime

maxime reprehendit traditiones illas, quę non habent testimonium Scripturæ. Nam contra hæreticos Melchisedecianos disputat: *Qui, inquit, fingunt libros sibi ipsis commentitios, seipsos decipientes.* Et in omnibus receptis libris nusquã habentur horum Patres. Itaq; contra eos, qui traditiones tales iactabant, subiungit hæc verba: *Quid igitur dicemus? Numquid illi seducent nos? Imo absit. Termini enim nobis positi sunt & fundamenta, &c.* Itaque terminos nobis positos, & fundamenta, & ædificationem fidei, vocat Apostolorum traditiones, quæ sunt & sacræ Scripturæ, & successiones doctrinæ ex iisdem Scripturis. Ac proinde dicit, veritatem Dei vndique munitam, ne decipiamur nouis fabulis. Veritas enim vere munita dicitur, & quasi triplici muro vallata, quam primo tradiderunt Apostoli, per prædicationem, deinde eandem in Scripturis tradiderunt, postremo eadem doctrina per successiones Ecclesiæ traditur. Ac proinde merito dicit, hanc veritatem esse vndique munitam.

Alium locum ex Epiphanio adducit Bellarminus, hæres. 61. *Oportet & traditione vti, non enim omnia à sacra Scriptura accipi possunt. Quapropter aliqua in Scripturis, aliqua in traditione sancti Apostoli tradiderunt.*

Respondeo: Epiphanius nihil hoc loco dicit, quod nos nõ libenter agnoscimus. Disputat enim cõtra Apostolicos, qui nuptias prohibebãt, & à cibis abstinebant. Iam quia orthodoxi etiam, ratione quadam, à nuptiis, & cibis

abstinebant: hæc intelliguntur inter ἀδιάφορα, quibus vel bene, vel male vti possimus. Agnoscimus autem, in huiusmodi rebus traditionem Ecclesiæ valere, in quibus disciplina ecclesiastica continetur. Hæc quia à Scripturis accipi non possunt, idcirco traditionibus recte reuincuntur. Eodemque modo Epiphanius refutat Aërium, qui statis temporibus ieiunandum negabat. Probat Epiphanius ex traditione Ecclesiæ, quarta feria, & prosabbato ieiunium fieri. a *Assumpsit*, inquit, *Ecclesia, & in toto mundo assensus factus est, antequam esset Aërius, & qui ab illo appellantur Aëriani.* Hæc ille. Recte quidem in huiusmodi opinionibus refutandis, quæ sunt in disciplina ecclesiastica, adhibetur traditio non scripta, id est, Ecclesiæ disciplina.

a hæres. 75.

Respondemus igitur, multa apud Patres de traditionibus disputantur, sicut deinceps obseruabimus. Illud autem affirmamus, non protulisse Bellarminum vnum locum ex Patribus, qui non sit vel de tradita doctrina scripta, de qua non litigamus; vel de traditionibus non scriptis in disciplina ecclesiastica, quam non oppugnamus. Ac proinde dicimus, esse istos nugacissimos scriptores, qui plurimum laborant in earum rerum probatione, quę à nobis conceduntur, vt probent traditiones non scriptas in disciplina. Nunquam autem probant, quod nos negamus, traditiones scilicet non scriptas recipiendas esse in doctrina & fide.

Cyril-

Cyrillus Hierosolymitanus sic docet: a *Ne-* a *Cateches. 4.*
cesse est de diuinis & sanctis fidei mysterijs, neq; sine
sacris Scripturis temere quicquam tradere, nec sim-
plici credulitate, & verborum apparatu circumferri.
Neq; mihi hæc dicenti simpliciter credas, nisi demon-
strationem annuntiatorum ex sacris literis accipias.
Salus enim ipsa fidei nostræ non ex commentitia dis-
putatione, sed ex demonstratione diuinarum Scri-
pturarum est.

Cyrillus Alexandrinus: b *Hæc, quæ relata* b *in Iohan.*
sunt, sufficiunt ad plenissimam fidem attente legen- *lib. 12. cap. 68.*
tium. c *Non omnia, quæ Dominus fecit, conscripta* c *ibid.*
sunt, sed quæ scribentes, tam ad mores, quam ad do-
gmata putarent sufficere, vt recta fide, & operibus, ac
virtute rutilantes, ad regnum cœlorum peruenia-
mus. d *Necessarium nobis est diuinas sequi literas,* d *lib. de recta*
& in nullo ab earum præscripto discedere. *fid. ad reginas.*

Ad hæc postrema verba respondet Bellar-
minus: e Non dicit, non licere aliquid dice-
re, quod in Scripturis non habeatur: sed non
licere contra Scripturas dicere: hoc enim est
non discedere à præscripto Scripturarum. Hæc
ille. At Cyrillus habet, in nullo debere nos à
Scripturarum præscripto discedere: hoc est,
inquit Bellarminus, nihil contra Scripturas
dicere. Hanc responsionem Bellarminus, tan-
quam Achillis clypeum, ad omnia fere testi-
monia obuertit. Si vis huius responsi conci-
dat, ruunt protinus omnia, quæ à Bellarmino
in hac controuersia disputantur. At contra
hanc responsionis vmbram opponimus Apo-
stoli verba diserta, prohibentis omnem ἑτερο-
διδα-

e *lib. de verb. Dei non script. cap. 11.*

ἀδιάφαλλον, quæ non est contraria tantum, sed & diuersa quæcunque: demonstrantis contra fas & ius esse apud homines, humanum vel testamentum, vel pactum mutare, aut ei aliquid addere: quanto magis impium esset, Dei testamento aliquid addere? Denuntiantis denique anathema iis omnibus, qui aliquid præter Euangelium afferunt. Opponimus Patrum consensum. Qui negant, in Ecclesia inducere licere doctrinam aliquam non tantum contra, sed præter Scripturas: non contrariam tantum, sed alienam etiam, extraneam, diuersam ab ea, quam Ecclesiæ ab Apostolis, Apostoli à Christo acceperunt. Iam vero post diserta Apostoli verba, post clarissima Patrum suffragia, in tanta veritatis luce, in tanto antiquitatis consensu, tam sæpe, tam impudenter inculcare, Patrum sententiam esse contra Patrum expressa verba: quid hoc aliud est, quam palam profiteri, se non de veritate sollicitum, sed mercede conductum, Iesuitica fronte grassari?

Theodoretus quæst. in Leuitic. quæris, quomodo intelligi debeat ignis alienus? Et post quædam verba sic ait: a *Ex quibus docemur, non debere nos extinguere spiritum, sed accendere gratiam, quam accepimus: extraneumq; nihil ad sacram Scripturam inuehere, contentosq; doctrina Spiritus sancti, abominari omnes hæreses, quarum fautores nonnulli verbis diuinis fabulas addiderunt, alii suas commentationes impiæ sententiæ Scripturæ præcluserunt.* Hæc ille. Docet igitur, Scripturam

a in Leuit. q. 9.

esse

esse regulam immutabilem, & ἄμετον, cui nihil extraneum addi possit. Et Tridentinos veteratores probat esse imitatores Nadabi & Abiudi, qui ignem alium sacrificiis intulerunt: sic istos cum igne extraneo coram Domino apparere, quum extraneum quicquam ad sacram Scripturam vel inferunt, vel conferunt: Probat etiam, eosdem Tridentinos in eo consentire cum antiquis hæreticis, quod traditiones suas, fabulas illas suas Tridentinas, Scripturis vel præferunt, vel coæquant, non contenti doctrina Spiritus sancti. Atque hoc, Theodoreti iudicio, est extinguere spiritum.

Theophylactus: a *Nos a Scripturæ verbis, quæ Spiritus sanctus locutus est, illustrati, semper ad diuinæ vitæ ducimur veritatem, vt neq; vanis opinionibus seducti, neq; mendacio mundanæ voluptatis inescati peccemus.* Hæc ille. Ita probat, Scripturas esse regulam & fidei, & morum. Sic docuerunt Græci: veniamus iam ab Ecclesia Græca ad Latinam.

a *in Epist. ad Philem.*

CAPVT VI.

Latinorum Patrum testimonia referuntur.

IRenæus tradit, Polycarpum, quum sub Aniceto Romam venisset, multos hæreticos conuertisse ad Ecclesiam Dei, b *annuntiantem vnam*, inquit ille, *& solam hanc veritatem, ab Apostolis accepisse se, quã & Ecclesiis tradidit.* c *Hic docuit semper, quæ ab Apostolis didicerat, quæ & Ecclesiæ tradidit, & sola sunt vera.* Hæc Polycarpus

b *lib. 3. cap. 3.*

c *ibid.*

Apostolicus. Hoc est ergo Apostolicum, nihil aliud Ecclesiæ tradere, quam quod ab Apostolis hauserit. Idem habet Irenæus ipse: a *Audiui*, inquit, *à quodam presbytero, qui audierat ab his, qui Apostolos viderunt, & ab his, qui didicerant, sufficere vtcribus, de his, quæ sine consilio spiritus egerunt, iam, quæ ex Scripturis esset, correptionem.* Hæc ille. Hic igitur habemus Apostolicam etiam traditionem, de regula fidei, & plenitudine Scripturæ.

a *lib. 4. c. 45.*

b *lib. 3. cap. 1.*

Idemque Irenæus sic docet: b *Non per alios dispositionem salutis cognouimus, quam per eos, per quos Euangelium peruenit ad nos: quod quidem tunc præconiauerunt, postea vero per Dei voluntatem in Scripturis nobis tradiderunt, fundamentum & columnam fidei nostræ futurum.* Ad hoc testimonium respondet Bellarminus: c Irenæum non dicere, nihil Apostolos prædicasse, quam quod scripserunt: sed tantum scripsisse Euangelium, quod antea præconiauerunt. Quod verum est, inquit, & non contra nos.

c *lib. de verb. Dei non script. cap. 13.*

Verba igitur Irenæi sunt examinanda. Primum dicit, non per alios viam salutis nos cognoscere, quam per Apostolos. Si quis respondeat, traditiones etiam non scriptas esse ab Apostolis: affirmat Irenæus, dispositionem illam salutis esse in Euangelio, & ad nos peruenisse per eos, per quos peruenit Euangelium. Deinde dicit Irenæus, Apostolos hanc Euangelii doctrinam primum præconiasse, deinde in Scripturis tradidisse. Quid traditum in Scripturis? illud ipsum, quod antea præconiauerunt.

uerunt. Postremo affirmat Irenæus, illud ipsum, quod Apostoli primum prædicarunt, & postea scripserunt, fidei nostræ fundamentum esse, & columnam. Ergo fundamentum & columna fidei nostræ non est in traditionibus non scriptis, sed in Scripturis Apostolicis.

Sed attendite subterfugium Cardinalis. Etiamsi, inquit, diceret Irenæus, Apostolos omnia scripsisse, quæ prædicarant; nihil diceret aduersus sententiam nostram. Sunt enim, inquit, duo diligenter notanda, tum ad hunc locum, tum ad alia multa intelligenda. Audiamus quæso, quæ Dominus Cardinalis tam diligenter notanda moner. Primum est, inquit, quædam in doctrina, tam fidei, quam morum esse simpliciter omnibus necessaria ad salutem, alia non simpliciter necessaria per notitiam explicitam, sed satis esse, si implicita sit notitia, suscipiendi ea, quæ Ecclesia proponit. Secundo, ea, quæ sunt simpliciter necessaria, Apostolos consueuisse omnibus prædicare; aliorum autem non omnia omnibus, sed quædam solis Prælatis, Episcopis, & Presbyteris. Hæcille. Atque ad huius rei confirmationem adducit Apostoli verba, Sapientiam loquimur inter perfectos. Prælatos Pontificios perfectos illos esse affirmat Bellarminus, apud quos reconditam istam traditionum doctrinam reposuerint Apostoli: atque aduersus hanc sententiam Irenæum nihil dixisse putat, etiamsi dicat, Apostolos omnia scripsisse, quæ prædicarunt. 1. Cor. 2.

Atqui si Apostoli omnia scripserunt, quæ prædicarunt, profecto scripta sunt ea etiam, quæ Prælatis, & Episcopis, & perfectis prædicarunt. Nam qui omnia dicit, nihil excludit. Sed sic oportuit Antichristi satellites patrum suorum mensuram implere, & in antiquorum hæreticorum vestigiis sine pudore insistere. Hanc enim, quam è profunditatibus Satanæ proponit Cardinalis doctrinam, vsitatissimam fuisse antiquorum hæreticorum cantilenam, sancti Patres produnt. Quum enim ex verbo scripto sua deliria probare non possent, ad traditiones recurrere solere antiquos hæreticos, antiqui & sancti Patres tradunt. Iidem sancti Patres narrant, antiquos hæreticos Scripturas de imperfectione accusasse, & docuisse, in Scripturis non contineri totam doctrinam necessariam de fide ac moribus, ac proinde præter verbum Dei scriptum requiri traditiones: istas traditiones ab iis scilicet exceptas fuisse, qui perfecti habebantur. Probant iidem antiqui & sancti Patres, antiquos hæreticos in hanc sententiam Scripturæ locos rapuisse: *Sapientiam loquimur inter perfectos.* Et: *Multa habeo vobis dicere, sed ea non potestis portare modo.* Et: *Tenete traditiones, quas sive per sermonem, sive per epistolam accepistis.* Et: *O Timothee depositum custodi:* & reliquos eius generis, quos omnes Tridentini hodie ad eandem causam rapiunt, maxime Bellarminus lib. de verb. Dei non script. cap. 5. Et quia vniuersa traditionis doctrina ex istis fundamentis subsistit, non

erit

erit inutile, si ex antiquis Patribus easdem antiquorum hæreticorum artes obseruemus, quibus nunc Iesuitæ Ecclesiam DEI oppugnant.

Irenæus sic scribit: a *Quum ex Scripturis arguuntur hæretici, in accusationem conuertuntur Scripturarum, quasi non recte habeant, neq; sint ex auctoritate, & quia varie sint dictæ, & quia non possit ex his veritas inueniri ab ijs, qui nesciunt traditionem. Non enim per literas traditam illam, sed per viuam vocem. Ob quam causam & Paulum dixisse: Sapientiam loquimur inter perfectos.* (Audiat Dominus Cardinalis, eadem protulisse hæreticos antiquos, quæ profert ipse ad defensionem traditionum non scriptarum.) Addit Irenæus: *Hanc sapientiam vnusquisque ipsorum esse dicit, quam à semetipso adinuenit fictionem.* Hæc Irenæus. Agnoscimus formam insanorum verborum, quam ab antiquis hæreticis mutuantur Iesuitæ. Vtrique in Scripturarum suggillatione pariter conspirant, vtrique traditiones non scriptas pariter extollunt, vtrique de suis perfectis pariter gloriantur, vtrique eadem Apostoli verba pari blasphemia ad insaniam suam confirmandam arripiunt.

a lib. 3. cap. 2.

Tertullianus similiter hæreticorum ingenium ita depingit, quasi ipsos Iesuitas ex industria describeret, aut quasi Domini Cardinalis libros legisset. b *Eadem*, inquit, *dementiâ confitentur (hæretici) Apostolos quidem nihil ignorasse; sed non omnia volunt illos omnibus reuelasse: sed quædam palam, & vniuersis: quædam secreto & paucis*

b Præscrip. cap. 25.

pauca demandasse, atque hæc Paulum voluisse, [*O Timothee depositum custodi.*] Athanasius testatur, eadem ab Ario iactata fuisse. Sic enim Arius: a *Ex electis Dei secundum fidem, periti Dei, recti gradu, qui sanctum Dei Spiritum acceperunt, ego sum didici.* Augustinus eisdem hæreticorum artes hoc modo aperit: b *Omnes insipientissimi hæretici, qui se Christianos vocari volunt, audacias figmentorum suorum, quas maxime exhorret sensus humanus, hac occasione Euangelicæ sententiæ colore colorare conantur, vbi Dominus ait: Adhuc multa habeo vobis dicere, sed ea non potestis portare modo.* Hæc Augustinus. Ita igitur sancti Patres narrant nobis, cum quibus hæreticis certamen illis fuerit, nempe cum iis, qui pro traditionibus non scriptis pugnabant ex iisdem Scripturæ locis, ex quibus Iesuitæ eandem hodie contra nos causam suscipiunt.

a *Orat. 2. contr. Arian.*

b *in Ioan. tract. 97.*

2. Cor. 2. 6. Restat, vt Apostoli verba illa, *Sapientiam loquimur inter perfectos*, breuiter aperiamus; ne aliqua hæreticis latebra relinquatur. Perfectos non intelligit Apostolus Prælatos Pontificios, nec electos Arianos, nec perfectos Manichæos; sed quicunque vere credunt, & ex Euangelii doctrina iustificationem & sanctificationem consequuntur in Christo Iesu, qui

1. Cor. 1. 30. factus est nobis sapientia à Deo, iustitia, sanctificatio, & redemptio. Hæc est sapientia nostra, & perfectio. Apostolus enim Epistola ad Colos-

Coloss. 1. 28. sic ait: *Quem (Christum) annuntiamus, corripientes omnem hominem, & docentes omnem hominem in omni sapientia, vt exhibeamus omnem ho-*

Spiritu

πάντα ἄνθρωπον, omnem hominem perfectum in Christo. Iisdem verbis vtitur Apostolus vtroq; loco. Docet, quænam sit illa sapientia, quam loquitur inter perfectos; doctrina scilicet Euangelii, quam annuntiat. Docet etiam, quinam sint perfecti illi, nempe quicunque vere credunt: Docentes, inquit, omnem hominem in omni sapientia, vt sistamus omnem hominem perfectum in Christo. Itaq; Chrysostomus sic interpretatur hæc verba: a *Sapientiam autem prædicationem, & salutis modum, hoc est, per crucem salutem: perfectos vero, credentes appellat.* Hæc ille. Cui assentiuntur Theodoretus, Oicumenius, Ambrosius, Hieronymus, Lyra in hunc modum. Quod igitur Apostolus affirmat de omnibus sanctis, qui Euangelii sapientiam suscipiunt, quiq; fidem & Spiritum sanctum habent: id si cum Manichæis, & Arianis, ad electos suos, cum Valentinianis, Cerdonianis, Marcionistis, Pontificiis, ad perfectos suos, & Prælatos restringas, nonne manifestam vim intuleris Apostolo? Sic scilicet oportuit eos in stuporem corripi, qui propter traditiones Babylonicas Scripturis obganniunt. Sanctificatio nostra est perfectio nostra, quam hæretici omnes, maxime vero Pontificii ignorant.

a *in 1. Cor. 2. hom. 7.*

Tertullianus (vt ad institutum nostrum redeamus) de Scripturis contra traditiones non scripras sic disserit: b *Ideo sibi damnatum prædixit Apostolus hæreticum, quia & in quo damnatur sibi elegit. Nobis vero nihil ex nostro arbitrio induere*

b *lib. de præscript. cap. 6.*

ducere licet, sed nec eligere, quod alius ex arbitrio suo induxerit. Apostolos Domini habemus autores, qui nec ipsi quicquam ex suo arbitrio, quod inducerent, elegerunt, sed acceptam à Christo disciplinam fideliter nationibus assignarunt. a *Nobis non est opus inquisitione post Euangelium, quam credimus, nihil desideramus vltra credere, hoc enim prius credimus, non esse, quod vltra credere debeamus.*

a *ibid. cap. 8.*

Vnum pro traditionibus non scriptis testimonium obiiciunt nobis Pontificii è Tertulliano. b *Horum*, inquit, *si legem expostulet Scripturarum, nullam inueniet, traditio tibi prætẽdetur auctrix, consuetudo confirmatrix, fides obseruatrix.*

b *lib. de coron. milit.*

Respondeo, hæc non esse contra nos. Disputat de corona militis, quum iam ad Montani paracletum transierat. Quærit, an traditio nõ scripta suscipienda sit? Deinde multas traditiones non scriptas profert, quod renuntiamus Diabolo in Baptismo, quod ter mergimur, quod amplius aliquid respondemus, quã Dominus in Euangelio determinauit, quod lactis & mellis cõcordiam prægustamus, quod ad omnem progressum, ad omnem aditum, & exitum, frontẽ crucis signaculo terimus. Plura huius generis commemorat. Deinde, si quis idem sentiendum iudicet de corona, respondet, non esse eandem rationem harum traditionum, & coronæ: quum istas natura defendat, quæ prima omnium disciplina est: Coronam autem militum contra naturam esse contendit. Hinc magni ingenii peruersitas in eo se prodit libro, quod vnius militis repenti-

num

num factum contra iudicium Ecclesiæ probauerit. Verum quicquid de traditionibus docuit, nec est contra antiquam Ecclesiam, nec contra nos. Nam traditiones non scriptas probat, quæ non in doctrina, sed tantum in disciplina ecclesiastica constiterint. Bellarminus, & Tridentini omnes pro traditionibus pugnant, vt dogmata fidei, quæ in Scripturis non habentur, per traditiones confirment. Vbicunque vero Patres de traditionibus non scriptis loquuntur, quæ ad disciplinam pertinent ecclesiasticam, ea omnia rapiunt isti, vt confirment doctrinam aliquam, quæ non habetur in Scripturis. Hoc vero est contra sententiam, sensumque Patrum, imo vero contra eorum communem consensum. Quod Tertullianum attinet; optimus ipse sui interpres, docet, ea, quæ in disciplina sunt, posse ab Ecclesia mutari, & admittere nouitatem correctionis: quæ autem de fide sunt, esse prorsus immobilia, nec mutari posse. Et quia de regula fidei pulcherrime disputat in eo libro, quem de præscriptionibus aduersus hæreticos inscripsit, inde nonnulla, quæ proposito nostro congruunt, annotabo. Primo testatur, qui ad regulam fidei adiecerit quicquam, non tantum contrarium, sed aliud, esse fidei negatorem, his verbis: a *At enim si quod debui credere, credidi, & aliud denuo puto requirendum, spero vtique, & aliud esse inueniendum: ita fidem meam deserens, negator inuenior.* Hæc ille.

a *lib præscrip. cap. 11.*

Deinde

Deinde regulam fidei explicat: *Regula est fidei, vt hinc, quid credamus, profiteamur, illa scilicet, qua creditur.* Subiungit autem breuem Scripturæ summulam, quam vocat fidei regulam; post-
a *ibid. ca.14.* ea sic ait: a *Hæc regula à Christo instituta, nullas habet apud nos quæstiones, nisi quas hæreses inferũt, & quæ hæreticos faciunt. Fides in regula posita est.* Ac proinde alibi dicit: b *Regula fidei vna omnino est, sola immobilis, & irreformabilis, credendi scilicet in vnicum Deum omnipotentem, &c.* Deinde
b *lib. de veland. virgin. cap.1.* subiungit summam Symboli Apostolici: c *Hæc, inquit, lege fidei manente, cætera iam disciplina & conuersationis admittunt nouitatem correctionis.* Hæc ille. Quis nostram sententiam explicatius aut accuratius tradere potuit? Plura
c *ibid.* ex eodem connectamus: d *Vnde autem extranei & inimici Apostolis hæretici, nisi ex diuersitate doctrinæ, quam vnusquisque de suo arbitrio aduersus Apostolos aut protulit, aut recepit?* e *Omnia*
d *lib præscrip. c.35.* *Apostoli secundum Deum docuerunt, omnia euangelizare voluerunt.* f *Auferhæreticis, quæ cum extraneis sapiunt, vt de Scripturis solis fiſtant quæstiones, & stare non poterunt.* Hæc ille. Quis fortius aduersus doctrinas non scriptas? Pontificii deploratam causam habentes, verba Patrum
e *lib. de fuga in persecut. cap.39.* contra exploratam ipsorum sententiam sensumque proferunt. Patres docuerunt, quod & nos docemus, in disciplina ecclesiastica traditiones admitti non scriptas, in doctrina nihil inducendum, nisi quod scriptum est: quia nihil ex nostro arbitrio inducere licet, nec eligere, quod alius ex arbitrio suo induxerit: quia
f *lib. de resurr. carn. cap.3.*

qui

qui aliud requirendum putat, fidem deserens, negator inuenitur; quia regula fidei est vna, immobilis, irreformabilis, à Christo instituta; quia regula fidei eadem semper manere debet, reliqua nouitatem correctionis admittere; quia hæretici Apostolis extranei & inimici, ex diuersitate doctrinæ conuincuntur; quia Apostoli omnia secundum Deum docuerunt; quia si hæretici de solis Scripturis quæstiones sistant, stare non possunt. Ita Tertullianus sententiam Catholicam contra nouitates Tridentinas confirmauit.

Tridentini præterea è Tertulliano obiiciunt: a *Hæreticos non esse admittendos ad illam de Scripturis traditionem.* a *lib. præscript. cap. 15.*

Respondeo: Vt Tertulliani sententia rectius teneatur, eam ex ipso Tertulliano explico. 1. Hæreticos dicit non esse admittendos ad hanc disputationem. Non loquitur de Ecclesia, non de orthodoxis; sed de hæreticis. Non autem negat hæreticos ab orthodoxis refutandos esse solis Scripturis. Nam quomodo potest illud damnare, quod & docuit, & egregie præstitit. Nullâ enim aliâ armaturâ contra hæreticos vbique vtitur, quam solis Scripturis: sed cum hæretici Scripturas deprauare suis expositionibus, atque adulterare soleant, negat hæreticos admittendos ad Scripturarum expositionem: Quia, b *vbi*, inquit, *apparet, esse veritatem disciplinæ & fidei Christianæ, illic erit veritas Scripturarum, & expositionum, & omnium traditionum Christianarum:* I. b *ibid cap. 19.*

aperte loquitur de expositionibus Scripturarum. 2. Quum hæreticos non admittat ad Scripturas, non hoc agit, vt traditiones non scriptas admittendas probet. Itaque frustrantur Pontificii. Nam si Tertullianus Scripturas solas non admitteret, vt ostenderet, traditiones non scriptas de fide, esse admittendas, aliquid pro Tridentinis attulisset: Sed traditiones omnes non scriptas de fide, penitus repudiandas docet. Itaq; quicquid aliud intelligat, modo non hoc ipsum velit, quod Pontificii tantis clamoribus ingeminant, certe sententia Tertulliani Pontificiã causam nihil adiuuat. Istis probandum fuerat, Scripturarũ autoritatem ab illo minui, vt traditiones nõ scriptas in doctrina & fide stabiliat; quod nunquam probare possunt. 3. Rationem adfert Tertullianus, qua adductus, hæreticos nõ admittendos iudicat ad disputationem de Scripturis: Quia, inquit, dispici debet, cui competat Scripturarum possessio, ne is admittatur ad eam, cui nullo modo competit. Vtitur verbis iuris: *Si quis possessionem litigando obtinere contra ius contendat, iniustum esset, talem litigatorem ad possessionem admittere, quamuis multis verbis & clamoribus id peteret*: sic, ait, hæreticos non admittendos esse ad hãc disputationem, quia possessio Scripturarum ad eos iure nõn pertinet, sed ad Ecclesiam Catholicam. Scripturæ ergo nõ sunt hæreticorum possessio, sed Ecclesiæ possessio, & hæreditas. Itaq; Ecclesiam subinde hæreticos alloquentem inducit: *Quid in meo agitis non meis?*

hæres

partis sum Apostolorum. 4. Respondeo, multas IV.
fuisse rationes antiquis Patribus, quare hæreticos refutandos nonnunquam putarent, non tantum Scripturis, sed & Ecclesiæ Catholicæ consensu: quæ ante solutum Satanam Ecclesiæ consensus ita viguit in Ecclesia per omnes successiones, vt hic vnus cõsensus sufficere videretur ad omnes hæreticos refellendos. a Ec- a *Ibid.*
quid verisimile est, inquit idem Tertullianus, *vt tot ac tantæ Ecclesiæ in vnam fidem errauerint? Veriasse debuerat error doctrinæ Ecclesiarum.* Hæc ille. Et quamuis magnam rebus confusionem attulerit Sathanas solutus, quemadmodum miserabilis rerum experientia, & desolatio Ecclesiæ demonstrat; ita vt nõ eadem nostrorum & antiquorum temporum ratio videatur: Idem tamen in hac re per Dei gratiam etiam contra Pontificios nos probaturos speramus, vtcunq; illi de Ecclesia glorientur. Non enim veremur sic eos prouocare, sicut Patres Ecclesiæ videmus antiquos prouocasse hæreticos. Dicimus igitur, quamuis non admittamus Pontificios ad disputationem de Scripturis, quia Scripturas reiiciunt, quia Scripturarum possessio non istis competat, sed Ecclesiæ Catholicæ; vt, inquam, contra istos nihil de Scripturis proferamus: tamen ex ipso Ecclesiæ Catholicæ consensu Pontificios luculentissime refutari posse. Hanc veritatem Deus suo tempore magis magisq; quotidie patefaciet, & confirmabit. Atque hoc illud est, quod in his quæstionibus agimus: vt Ad-

nerſarios non tantum Scripturis, ſed & Eccleſiæ conſenſu reuincendos doceamus.

Cyprianus Tertullianum, quem magiſtrum vocare ſolebat, ſequitur, idemque docuit: a *Vnde eſt iſta traditio? Vtrumne de Dominica & Euangelica auctoritate deſcendens, an de Apoſtolorum mandatis atq; epiſtolis veniens? Ea enim facienda eſſe, quæ ſcripta ſunt, Deus teſtatur, & proponit, ad Ioſue dicens: Non recedet liber legis huius ab ore tuo. Si igitur aut de Euangelio præcipitur, aut in Apoſtolorum epiſtolis & actibus continetur, obſeruetur etiam hæc ſancta traditio.*

a *Epiſt. ad Pompeium.*

Reſpondet Bellarminus, Cyprianum hæc ſcripſiſſe, quum errorem ſuum tueri vellet, ideo mirum non eſſe, ſi more errantium tunc ratiocinaretur. Deinde ait, Auguſtinum refellere hanc Epiſtolam. Poſtremo inquit, etſi Cyprianus reiecerit traditiones, quas contra Scripturas eſſe putabat, non tamen omnes reiecit, quæ in Scripturis non ſunt, nec cum Scripturis pugnant. Hæc ille.

Quum dicat, Cyprianum more errantium hæc ſcripſiſſe, interrogemus hominem, num & reliqui Patres omnes, qui idem cum Cypriano profitentur, more errantium loquantur? Quod ſi verum eſſe concedat, Pontificii concidunt. Nam ſi Patres omnes miſſos faciamus, vt ſolis Scripturis cauſa agatur; quomodo ſtare poſſunt Pontificii, qui cum Ethnicis ſapiunt, ſi de ſolis Scripturis quæſtiones ſiſtant? Sed Auguſtinum dicit refutaſſe hanc Epiſtolam. At Auguſtinus non omnia refellit,

quæ

quę scripsit Cyprianus in illa Epistola, sed vnicam tantum Cypriani opinionem de hæreticorum baptismo, reliqua omnia probat. Et quomodo potuit Augustinus ea refellere, quę ipse etiam non minore fide ac diligentia docuit, quam Cyprianus? Quod vero Bellarminus de traditionibus contra Scripturas respondet, superius ex Apostolo Patribusque repressimus.

Atque vt Cypriani sententia illustrius constet, plura adiiciemus ex eodem testimonia, in quibus nec more errantium loquitur, nec ad ea Pontificii quicquam respondent: a *Non enim*, inquit, *nisi Christus sequendus. Quod Christus solus audiri debeat, Pater etiam de cœlo contestatur, dicens: Hic est filius meus dilectissimus, in quo bene sensi, ipsum audite. Quare si solus Christus audiendus est, non debemus attendere, quid alius ante nos faciendum putauerit, sed quid, qui ante omnes est, Christus primo fecerit. Neq; enim hominis consuetudinem, sed Dei veritatem sequi oportet.* b *Si canalis aquam ducens, qui copiose prius & largiter fluebat, subito deficiat: nonne ad fontem pergitur, vt illic defectionis ratio noscatur, vtrumne arescentibus venis in capite, vnda siccauerit, an vero integra inde & plena procurrens, in medio itinere destiterit? Vt si vitio interrupti aut bibuli canalis effectum sit, quo minus aqua continua perseueranter ac iugiter flueret; refecto & confirmato canali ad vsum atque ad potum ciuitatis, aqua collecta eadem vbertate atque integritate repræsentetur, qua de fonte proficiscitur. Quod & nunc facere oportet Dei sacerdotes, præcepta*

a *Epist. 63. Pam.*

b *Epist. 74.*

diuina seruantes, si in aliquo nutauerit & vacillauerit veritas, ad originem Dominicam, Euangelicam, & Apostolicam traditionē reuertamur. a *Verbis igitur eius insistere, quæcunq; & docuit, & fecit, discere & facere debemus.* b *Inimicus hæreses inuenit & schismata, quibus subuerteret fidem, veritatem corrumperet, scinderet vnitatem: Hoc eo fit, dum ad veritatis originem non reditur, nec caput quæritur, nec magistri cœlestis doctrina seruatur.* Hæc Cyprianus. Ad quæ nihil habent, quod respondeant Pontificii. Solus Christus sequendus, solus audiendus: hæreses nascuntur, dum magistri cœlestis doctrina non seruatur. Vbi sunt ergo traditiones non scriptæ, quæ doctrinam continent? Quo maior apparet Bellarmini vanitas, qui etiam è Cypriano quædam (de vnctione post baptismum, & de mixtura vini & aquæ in calice, id est, de rebus, quæ non sunt in doctrina, sed in disciplina ecclesiastica, quæ possunt nouitatem correctionis accipere) profert, ad confirmandum verbum illud Tridentinum non scriptum.

a lib. de vnitate Eccles. Cathol.
b ibid.

Hilarius sic docuit: c *Quorundam aut præsumptio, aut facilitas, aut error Apostolicæ doctrinæ indemutabilem constitutionem, partim fraudulenter confessa est, partim audacter transgressa.* Hæc Hilarius. Regulam fidei vocat *indemutabilem constitutionem doctrinæ Apostolicæ*, quam, dum audacter transgrediuntur Tridentini, in eodem certe & criminis & damnationis consortio, cum antiquis hæreticis vinctos teneri, probat Hilarius. Eodem libro Imperato-

c lib. ad Constant. August.

rem

rem collaudat Hilarius, expetentem controuerſias fidei, tantum per Scripturas tractari: a *Fidem*, inquit, *tantum ſecundum ea, quæ ſcripta ſunt, deſiderantem.* Addit Hilarius: b *Qui hoc repudiat, Antichriſtus eſt, & qui diſſimulat, anathema eſt.* Dicant nobis Pontificii, quis ſit Antichriſtus ille, quem præmonſtrauit Hilarius, qui fidei controuerſias negat definiendas tantummodo per ea, quæ ſcripta ſunt. Monet etiam Hilarius, hæreticos in erroris ſui patrocinium Scripturas prætendere, ſed fucum illum hæreticum genuino Scripturarum vſu, & veta traditione diſiectum eſſe. Sicut enim Diabolus, quum Scripturis aboteretur, à CHRISTO tantummodo per Scripturas reiectus fuerat: ſic hæretici Scripturis aburentes, à Patribus nullis aliis telis confoſſi ſunt, niſi tantummodo gladio illo ancipiti è ſacris Scripturis extracto. *Quid eſt*, inquit Hilarius, c *infidelibus ſtultius, qui præter communem illum irreligioſorum errorem etiam hoc adiungunt piaculi, vt diuinarum Scripturarum eloquia putent perfecta doctrina carere ratione.* Dicant nobis Pontificii, quinam ſint, quos hæc verba feriant?

a *ibid.*
b *ibid.*
c *in Pſal. 118.*

Ex Hilario tamen doctrinam non ſcriptam probare voluit Cardinalis, quia Hilarius contra Conſtantium, obiicienti Arriano, *Nolo, inquit, verba, quæ non ſcripta ſunt, legi*: reſpondet: *Hoc tandem rogo, Quis Epiſcopis ſubtrat? Quis Apoſtolica prædica-*

dicationis vetet formam? Dic prius, si recte dici putas, holo aduersus noua venena nouas medicamentorum comparationes. Quibus verbis, inquit Bellarminus, a duo indicat Hilarius: Vnum, prædicationem consubstantialitatis, esse Apostolicæ prædicationis, licet expresse non sit scriptum, Filium esse Patri consubstantialem: Alterum, nomen ipsum, ὁμοούσιος, esse quidem nouum, sed tamen retinendum, licet non sit scriptum, quia conforme est prædicationi Apostolicæ. Hæc ille.

a *lib de verb. Dei non script. cap. 7.*

Respondeo: Frigidissimum esse, & vanissimum, quod obiicit. Producant enim Pontificii nouum vocabulum, quod antiquam Scripturarum doctrinam retineat, & nos non erimus molesti: non enim de verbis litigamus, sed de rebus, de doctrina, & fide. Obiiciebant Arriani, ὁμοούσιον non fuisse totidem syllabis in Scripturis: Quid Patres? Num ad traditiones non scriptas recurrunt? Nusquam; sed ne latum quidem vnguem à Scripturæ doctrina se auelli posse profitentur. Docent igitur, rem ipsam, & doctrinam ipsam in Scripturis expresse contineri. Sic Hilarius, Basilius, Augustinus: *Doctrina consubstantialitatis expresse habetur in Scripturis.* Bellarminus ipse fatetur, hanc rem esse Apostolicæ prædicationis, & conformem Apostolicæ prædicationi. Dormitabat igitur Cardinalis, quum hæc produceret, vt doctrinam non scriptam probaret.

Ambrosius eandem doctrinam retinuit; sic enim docet: b *Discimus, nihil vel cautionis gratia*

b *lib de Paradis. cap. 12.*

tia iungere debere nos mandatos? Si quid enim vel addas, vel detrahas, præuaricatio quædam videtur esse mandati. Docet igitur nos præsentis seriei lectionis, neq; detrahere aliquid diuinis debere mandatis, neq; addere. Nam si Iohannes hoc iudicauit de suis scriptis: Si quis apposuerit, inquit, ad hæc, adiiciet in illum Deus plagas, quæ scriptæ sunt in libro isto: & qui dempserit de verbis libri prophetiæ huius, delebit Deus partem eius de libro vitæ: quanto magis nihil diuinis mandatis est detrahendum.

Hieronymus idem habet: a *Ecclesia Christi, quæ habitat bene, & in toto orbe Ecclesias possidens, Spiritus vnitate coniuncta est, & habet vrbes Legis & Prophetarum, Euangelij & Apostolorum, non est egressa de finibus suis, id est, Scripturis sanctis.* Ad hoc, & plurima huiusmodi, quæ nullam admittunt responsionem, prudenter Bellarminus dissimulando nihil omnino respondet. Nam si fines Ecclesiæ sunt Scripturæ, extra quos fines Ecclesia Christi non est egressa, profecto traditiones non scriptæ sunt extra fines Ecclesiæ. Idemque Hieronymus sic docet: b *Hoc, quia de Scripturis non habet autoritatem, eadem facilitate contemnitur, qua probatur.* Hæc ille.

a *lib. 1. in Isich. cap. 1.*

b *in Matth. cap. 23.*

Ad hoc testimonium respondet Bellarminus: Loquitur de particulari sententia, non vniuersaliter. Respondeo, verum esse, Hieronymum de particulari sententia loqui, sed tamen vniuersaliter, saltem indefinite. Sed nisi nugas ageret hic Sophista, ratio reddenda erat, quare, quum de vna particulari sententia

affirmet, non de quauis etiam alia particulari idem sit iudicandum? Deinde non hic propositionum quantitas, sed Hieronymi iudicium exquiritur. Grauissimum Hieronymi iudicium in quolibet particulari idem fuisse, quod in hoc fuerat, ratio conuincit, qua iudicat, Ecclesiam non esse egressam de finibus suis, id est, de sacris Scripturis. Hieronymus etiam Apostolicas confictas traditiones sic refutat: a *Quæ absq; autoritate & testimoniis Scripturarum, quasi traditione Apostolica fronte repetiunt, atq; confingunt, percutit gladius Dei.* Hæc sententia Tridentinos perturbat.

a in cap. 1. Ezech.

Sed Bellarminus, mirificus scilicet responsionum artifex, facile eludit: Patet, inquit, solutio: solum enim agit contra eos, qui confingunt aliquid, & tamen videri volunt figmenta sua esse Apostolicas traditiones. Cardinalis rem acu tetigit. Nam Pontificii traditiones confingunt, & tamen videri volunt, figmenta sua esse Apostolicas traditiones. Interea qui pro responsis tantas nugas affert, lectorẽ quærit, vel stupidum, qui inter verborũ sonitum, rerumq; cognitionem non possit decernere: vel pertinacem in errore, atque ita præiudicio obfirmatum, vt cuicunq; responsionis vmbræ vltro acquiescat. Neque enim pro veritate pugnare velle videtur, sed tantum pro mercede operam nauare, vt eos in errore retineat, qui sponte & industria ad veritatem cæcutiunt. Hieronymus præterea in illa verba: *Dominus narrabit in Scripturis populorum, & principum horum,*

non, qui fuerunt in ea. a *Videre*, inquit, *quid dicat, qui fuerunt, non, qui sunt: vt, exceptis Apostolis, quicquid postea aliud docetur, non habeat autoritatem.* Hæc Hieronymus. Num etiam ad hoc patet responsio? Plane patet. Nam efferre aliquid sine verecundia & pudore, hoc Cardinali est respondere. Respondet: Hieronymum eo loco reiicere ea, quæ sunt aliena à doctrina Apostolica, id est, contraria & repugnantia Scripturis. Hic est Achilleus ille clypeus, vel Delphicus gladius in manu Cardinalis, sine quo causa Pontificia in grauissimo Patrum Senatu stare non potest. Oportet Apostolum æquo hocanimo ferre, omnes Patres hoc libenter pati, scilicet vt eorum verba in alium sensum detorqueat Dominus Cardinalis, contra notum & communem verborum sensum: vt *præter Euangelium*, non sit *præter*, sed *contra*: in nullo à præscripto Scripturarum discedere, non sit hoc ipsum, quod verba sonant, sed aliud, quod vult Dominus Cardinalis: exceptis Apostolis nihil aliud doceatur, vt *nihil aliud*, non sit *nihil aliud*, quod verba sonant, sed *contrarium & repugnans*: nisi enim Apostolus Petrus, omnes sic sibi improbe illudi patiantur, Dominus Cardinalis non potest respondere. Quale cor habeat Dominus Cardinalis, nescio; ego certe non possum existimare, hunc hominem serio ad scribendum accedere, atque ex animo hæc dicere, qui non erubescit ita palam Apostolo Patribusque illudere.

a in Vsal. 86

Ruffi-

Ruffinus, enumeratis libris canonicæ Scripturæ: *Hæc*, inquit, *sunt, quæ Patres intra canonem concluserunt, ex quibus fidei nostræ assertiones confiare voluerunt.* Expos. in Symbol.

Ad Augustinum veniamus. Augustinus hic docuit: a *In iis, quæ aperte in Scripturis posita sunt, inueniuntur ea omnia, quæ continent fidem moresq; viuendi.* Hæc ille. Si omnia, quæ fidem moresque continent, aperte posita inueniuntur in Scripturis: aperte falsum est, quod Bellarminus è Tridentinis fontibus hausit: In Scripturis non contineri expresse totam doctrinam de fide & moribus. Imo vero, inquit Augustinus, non tantum expresse, sed & aperte in Scripturis inueniri omnia.

a *lib. 2. cap. 9. de doct. Christian.*

Respondet Bellarminus: Loqui Augustinum de illis dogmatibus, quæ necessaria sunt omnibus simpliciter, qualia sunt, quæ habentur in Symbolo Apostolico, & Decalogo. Hæc Bellarminus. At hæc responsio non potest expedire Bellarminum à mendacio, si verum doceat Augustinus. Nam si omnia, quæ continent fidem moresque, inueniuntur aperte in Symbolo & Decalogo: multo magis inueniuntur hæc aperte in vniuersis Scripturis. Non ergo requiritur verbum non scriptum in traditionibus. Imo vero, si nihil extaret præter Symbolum & Decalogum, tamen ex Augustini verbis, etiam à Bellarmino expositis, inutiles prorsus essent traditiones. Quem enim traditionibus Pontificiis locum relinquit, qui fatetur, omnia, quæ continent

fidem

fidem moresque, aperte contineri in Symbolo & Decalogo? quod fatetur Cardinalis. Quod vero addit, de iis, quæ necessaria sunt omnibus, & simpliciter, vt doceat, alia tradita esse omnibus, alia perfectis & Prælatis, hoc figmentum refutauimus supra in testimonio Irenæi. Hoc loco Bellarminus male sentire videtur de istis occultis doctrinis, quæ perfectis & Prælatis tantum prædicata affirmat. Nam neque fidem, neque mores continent: siquidem ea omnia, quæ fidem moresque continent, aperte posita inueniuntur in Scripturis. Quid ergo est, quod in istis clancularijs doctrinis quærunt Pontificij, in quibus, Bellarmini sententiâ, neque fides, neq; mores continentur?

Augustinus præterea sic docet: a *Siue de Christo, siue de Ecclesia eius, siue de quacunq; alia re, quæ pertinet ad fidem, vitamq; nostram, non dicam, si nos, nequaquam comparandi ei, qui dixit, licet si nos, sed omnino, quod secutus adiecit: Si Angelus de cœlo vobis annuntiauerit, præterquam quod in Scripturis Legalibus & Euangelicis accepistis, anathema sit.* Hæc Augustinus. Bellarmino facilis est responsio ad manum: *Præterquam* significat, inquit, *contra quam?* quasi dicat: Cui hæc responsio non placet, quærat, si potest, meliorem. At, si neque Augustinus, neque Apostolus ipse, neque Angelus de cœlo audiendus sit, nisi è Scripturis loquatur: facile nobis constare potest, quo spiritu corripiantur, qui tam facile, tam pertinaciter vocem audiunt Angeli, non

a *lib. 3. cap. 3. contr. liter. Petiliam.*

de

de cœlo, sed de puteo abyssi; non è Scripturis, sed è traditionibus suis loquentis.

a lib. de bono continent. c. 1. Amplius Augustinus: a *Quid inquit, amplius te doceam, quam id, quod apud Apostolum legimus? Sancta enim Scriptura nostræ doctrinæ regulam figit, ne audeamus sapere plus quam oportet. Non sit ergo mihi, aliud te docere, nisi verba ejus doctoris exponere, & de iis, quod Dominus docuit, disputare.* Respondet Bellarminus: Loquitur Augustinus non de omni dogmate, sed solum de professione viduitatis. Bellarminus sic dixit: sed Augustinus negat, se sic intelligendum esse. Nam in eodem capite, adeoq; etiam in eadem sententia exordium sumit Augustinus à generali sententia, & progreditur ad

b Ibid. hanc particularem: b *Quum in omni quæstione*, inquit, *quæ ad vitam moresq; pertinet, non sola doctrina, verum & exhortatio sit necessaria, quid amplius te docebo, quam id, quod apud Apostolum legimus? Sancta enim Scriptura nostræ doctrinæ regulam figit.* Ita connectit hæc Augustinus ex generali propositione. Deinde ridicula est Cardinalis responsio: quia Augustinus ait, Scripturam figere regulam doctrinæ nostræ. Regulam autem quis vnquam ante Cardinalem nostrum de vno particulari intellexit? Quum igitur hæc particularis professio viduitatis non habeat particularem hanc regulam, sed in hac communi regula cum aliis contineatur: Quid magis Iesuiticum videri potest, quam si dicas, communem Scripturarum regulam esse intelligendam de vnico viduitatis dono?

dono? Videbat Cardinalis, hanc responsionem fuisse ridiculam; itaque addit hæc verba Quod autem Augustinus generaliter ponit, Scripturam nostræ doctrinæ regulam figit: contra illos dictum est, qui ex proprio iudicio fingunt nouas doctrinas, quæ Scripturis consonæ non sunt. Hæc Cardinalis. Quomodo potuit Cardinalis inter flammas ambulare, vt non ambustus exiret? Pontificii doctrinas nouas confingunt, quæ Scripturæ consonæ non sunt. Nam vt alia dissimulem, hoc ipsum, de quo nunc agimus, confingunt; nouam fidei regulam excudunt, quam Ecclesia non nouerat ante Concilium Tridentinum. Hæc est doctrina Scripturis non consona, de regula fidei, atque de fundamento ipso. Hanc regulam esse vnicas Scripturas, Augustinus cum omnibus antiquis Patribus docuit. Scriptura doctrinæ nostræ regulam figit: Nihil igitur docere possumus in Ecclesia, nisi quod in Scripturis continetur. Hæc torquent Cardinalem, nec exitum videt. Primò dicit, Augustinum generaliter hæc posuisse contra eos, qui confingunt nouas doctrinas: At hæc non expediunt Cardinalem à mendacio. Nam hoc si verum sit, fallere voluit, & mentiri, qui dixit, Augustinum non hic loqui de omni dogmate, sed de professione viduitatis. Nam si generaliter ponit Augustinus, Scripturam figere regulam doctrinæ nostræ, loquitur de omni dogmate. Sed si hoc generaliter ponatur ab Augustino: quomodo possunt esse traditiones

tiones non ſcriptæ in regula fidei? Expediat hæc, qui poteſt.

a *cont. Fauſt. Manich. lib. 11. cap. 5.*

a *Excellentia canonicæ autoritatis veteris & noui Teſtamenti* (vt alia etiam ex eodem annectamus, ad quæ nihil reſpondet Cardinalis) *Apoſtolorum confirmata temporibus, per ſucceſſiones Epiſcoporum, & propagationes Eccleſiarum, tanquam in ſede quadam ſublimiter conſtituta eſt, cui ſeruiat omnis fidelis & pius intellectus*, inquit Auguſtinus. Quibus verbis probat, Tridentinum intellectum & ſpiritum nec fidelem, nec pium eſſe, qui huic autoritati non ſeruiat: qui hanc regulam, & autoritatis excellentiam per ſucceſſiones Epiſcoporum, & propagationes Eccleſiarum ad Tridentinum vſque Concilium in Eccleſia conſeruatam; tum primum immutare auderet, & ad verbum Dei, verbum Papæ in eadem autoritatis excellentia addere.

b *Epiſt. 19.*

b *Tantummodo ſcripturis canonicis*, inquit Auguſtinus, *hanc ingenuam ſeruitutem debeo.* At Tridentini non ſolis canonicis ſcripturis, ſed traditionibus non ſcriptis hanc ſeruitutem profitentur.

c *lib. 2. cap 3. de Baptiſm. contr. Donatiſt.*

c *Non afferamus*, inquit Auguſtinus idem, *ſtateras doloſas, vbi appendamus, quod volumus, & quomodo volumus pro arbitrio noſtro, dicentes, hoc graue, hoc leue eſt; ſed afferamus diuinam ſtateram de Scripturis ſanctis, tanquam de theſauris Dominicis, & in illis, quid ſit grauius, appendamus; imo non appendamus, ſed à Domino appenſa recognoſcamus.* Hæc ille.

Hæc igitur de Scripturis docuit Auguſtinus, & Eccleſiæ Catholicæ doctrinam retinuit:

tuit: Omnia, quæ fidem moresq; continent, aperte in Scripturis inueniri: Anathema esse, qui quicquam annuntiat, præterquam quod in Scripturis legimus: Scripturas doctrinæ nostræ regulam figere: Scripturas esse stateram Dominicam, esse thesaurus Dominicos. Respondeant Tridentini, & dicant nobis, quænam sint illæ stateræ dolosæ, vbi appendimus, quod volumus, & quomodo volumus pro arbitrio nostro? Pergamus, & reliquorum assensum apponamus. In quibus nullum nobis negotium facessit Cardinalis, sed alto indormit silentio.

Saluianus: a *Si scire vis, quid tenendum sit: habes litteras sactas, perfecta ratio est tenere, quod legere.* Leo primus: b *Sacerdotum, & cunctorum fidelium, ita demum erit plena deuotio, si in his, quæ per vnicum Dei filium, Deum verbum, pro nostra redemptione sunt gesta, nihil aliud sentiatur, quam quod ipse prædicari de se iussit, & credi.* c *Ab Euangelica Apostolicaq; doctrina nec vno quidem verbo licet discedere, aut aliter de Scripturis diuinis sapere, quam beati Apostoli & Patres nostri didicere, atque docuerunt.* Hæc Leo. Et quid ad hæc referat Cardinalis non video: forte priorem sententiam, eádem, qua Scripturas sactas, Patrumq; testimonia eluserat, audacia & inuerecundia, excipere potuisset: vt diceret, *nihil aliud*, non esse *nihil aliud*, sed *repugnans & contrarium*. At in secundo testimonio hæc audacia inutilis est; nam Leonis Papæ cautela Cardinalis impudentiam vicisse videtur. Nam si nec vno

a *lib. 3.*

b *Epist. 16. ad Theodos. Augusti.*

c *Epist. 40. ad Marcian. Augusti.*

verbo discedere licet à doctrina Prophetica & Euangelica, quomodo isti doctrinam nobis non scriptam obtrudere possunt? & verbum Dei non scriptum? Si forte obiiciat Cardinalis, temerarium fuisse Leonis iudicium, quod de vnico verbo dixerat, quia verba quædam non scripta recipiuntur, vt ὁμοούσιον, & reliqua eius generis: possumus grauissimum Leonis iudicium contra Cardinalem defendere: quia Leo non dixerat, non licere verba admittere, quæ licet totidem syllabis non habeantur in Scriptura, tamẽ doctrinam Scripturæ continent: sed nec vno verbo à doctrina Prophetica & Apostolica discedere. ὁμοούσιον, quamuis non sit verbum scriptum in sacris literis, non tamen quicquam discedit à doctrina Prophetica & Apostolica.

a *in Ezech. lib. 1. homil. 9.*

b *ibid. lib. 2. homil. 15.*

Gregorius etiam Magnus idem docuit: a *In hoc volumine (sacrarum Scripturarum) omnia, quæ erudiunt; cuncta, quæ ædificant, scripta continentur.* b *Scriptura continent ea omnia, quæ ædificant: & omnis munitio nostra in sacro eloquio continetur.* Hæc Gregorius. Nullum hic locum verbo Tridentino non scripto reliquit. Et bene se res habet, quod loquentibus Romanis Episcopis, Cardinalis obmutuit. Quid fortius aut disertius contra Tridentinas fabulas afferri potuit, quam quod Romani Episcopi docuerunt?

Gregorius de vnica fide ab omnibus pastoribus, per omnia secula seruanda, sic ait: *Gratias omnipotenti Deo agimus, qui immutatã pastoribus*

Vibio gregis sui fidem, quam semel sanctis Patribus tradidit, etiam post eos immutabilem custodit. lib. 9. indict. 4. Epist. 40.

Hæc est causæ nostræ fiducia: Habemus indubitata Scripturæ testimonia: habemus Ecclesiæ consensum: nostri sunt Patres: nostri sunt Romani Episcopi: nostra est Ecclesia vniuersa, vsq; ad Concilii Tridentini tempora. Hæc enim veritas in ipsis etiam tenebris lucebat: nec Satanas ipse post annum millesimum solutus, hanc lucem extinguere potuit. Scriptores igitur post annum millesimum eandem veritatem integram conseruarunt. Gratianus in hanc sententiam multa collegit, distinct. 8. ex Augustino, Cypriano, Gregorio.

Bernardus sic docuit: a *Beati, qui audiunt verbum Dei, & custodiunt illud. Vultis nosse, quam beati? Primum, quibus sonans in auribus anima vox diuina conturbat, terret, dijudicatque: sed continuo, si bene aduerterit, viuificat, liquefacit, calefacit, illuminat, mundat. Denique & cibus est noster, & gladius, & medicina, & confirmatio, & requies, & resurrectio quoque, & consummatio nostra. Nec mireris, quod verbum Dei tam nunc inuehiatur omnia in omnibus, quantum spectat ad iustificationem: siquidem & futurum est, omnia in omnibus ad glorificationem.* Hæc Bernardus. Nec veremur, ne quis hæc Iesuitica fronte rapiat ad verbum Dei, quod vocant non scriptum in traditionibus: nam quis narrabit nobis, quomodo traditiones istæ non scriptæ sint cibus noster, & gla-

a *Serm. de multiplici vtilitate verbi Dei.*

dius, & medicina, & confirmatio, & requies, & resurrectio, & consummatio? Quis docebit, quomodo verbum non scriptum Tridentinum viuificet mortuos in peccato? quomodo liquefaciat cor induratum? quomodo calefaciat inflammando, & ardorem immittendo? quomodo illuminet, vt lucerna pedibus, & lumen semitis nostris? quomodo mundet, vt nobis etiam dicat Christus: Vos mundi estis propter sermonem, quem locutus sum vobis? aut quomodo verbum hoc non scriptum Tridentinum nunc inueniatur omnia in omnibus, quantum spectat ad iustificationem? Si ad hæc demonstranda Iesuitæ cum suo illo verbo non scripto impares inueniantur, & sub hoc onere succumbant: restat, vt ex Patrum sententia concludatur: Sicut vnicum verbum scriptum deducit nos sine errore ad verbum æternum, Iesum Christum: sic verbum hoc non scriptum in traditionibus deducere Tridentinos per varios errores, ad verbum falsum, nempe Antichristum, filium illum perditionis, & impium illum, quem Dominus conficiet Spiritu oris sui, & illustri aduentu suo abolebit.

Iohan 15.3.

2. Thess. 2.8.

Bernardus etiam omnem doctrinam non scriptam reliciendam docet: a *Profecto*, inquit, *vnusquisque quod à magistro suo didicit, hoc in medium profert. Num in Euangelio legisti has differentias, aut in Prophetis, aut literis Apostolorum? Christi sum discipulus, Christi discipulis loquor. Ego, si peregrinum dogma induxero, ipse peccaui.* Ita Bernar-

a *in Cantic. Serm. 30.*

Bernardus ſacras Scripturas regulam ſibi doctrinæ propoſitam profitetur.

Pet. Lombardus ſic docet: a *Theologorum ſpeculatio ſtudioſa atq; modeſta diuinam Scripturam, formam præſcriptam in doctrina tenere adnitetur.* Hæc ille. Itaque regulam fidei integram cum ſuperioribus Patribus retinuit Lombardus. Idemque ſic etiam habet: b *Secundum autoritates Scripturarum verum fides ita ſe habeat, demonſtrandum eſt.* Hæc Lombardus. Si vero ſecundum autoritates Scripturarum fides Eccleſiæ demonſtranda ſit: certe traditiones non ſcriptæ Lombardi ſeculo non erant receptæ in regulam fidei.

a *lib. 1. ſent. diſt. 1.*

b *ibid diſt. 2.*

Aquinas etiam eandem veritatem retinuit: *Doctrina*, inquit, c *Prophetarum & Apoſtolorum dicitur canonica, quia eſt regula intellectus noſtri, & ideo nullus aliter debet docere.* Hæc Thomas. Ad quod teſtimonium quid poſſunt Ieſuitæ reſpondere? Doctrina Prophetica & Apoſtolica eſt regula intellectus & doctrinæ noſtræ. Sic Aquinas Eccleſiæ doctrinam retulit. Vbi eſt ergo regula Tridentina? Vbi ſunt, qui aliter intelligere, aliter docere audent? Idemque in eandem ſententiam: d *Innititur fides noſtra reuelationi Apoſtolis & Prophetis facta.* Hæc ille.

c *in 1. ad Timoth. cap. 6.*

d *Sum. par. 1. q. 1. art 8.*

Scotus etiam, qui in aliis multa corruperat, hanc tamen veritatem integram conſeruauit. Sic enim docet: e *Patet, quod ſacra Scriptura ſufficienter continet doctrinam neceſſariam viatori.* Hæc Scotus. Tridentinas igitur traditiones non agnouit Scotus.

e *in prologo ſent. q. 2.*

Qui sequuntur, Bonauentura, Nicolaus Lyra, Iohannes Gerson, Panormitanus, aliique hanc de regula fidei doctrinam integram ab Ecclesia antiqua exceptam, posteris tradidere. Quorum testimonia referre non videbatur necessarium, quia in istis non habemus Aduersarios repugnantes. Ita vt in hac re nulla fuerit mutatio, vsque ad tempora Concilii Tridentini.

lib 13. verbo, Scriptura.

Alphonsus de Castro, quem Pontificii pro suo numerant, contra Tridentinos disertus est. Sic enim scribit: *Quum sacra Scriptura sit mystica quædam turris Dauid, ex qua omnis armatura fortium & Catholicorum virorum pendet: ideo hæretici conantur sacras Scripturas minuere, ne arma habeamus, quibus eorum insanas doctrinas profligare valeamus.* Hæc ille. Multa in hanc sententiam habet lib. 1. cap. 2. Nec aliter scripserunt, aut senserunt, quicunque ante Concilium Tridentinum scripserunt.

CAPVT VII.

Corollarium de Regula Fidei.

HActenus perpetuam ab Apostolis vsque ad Concilium Tridentinum, atque immutatam Ecclesiæ doctrinam obseruauimus. Ex istis principiis quædam sequuntur, tanquam corollaria, à nobis proximo loco tractanda. Nam ex hoc Scripturarum, atque vniuersæ Ecclesiæ consensu, sequitur manifesta demonstratio, atque indubitata consequentia earum

earum rerum, quæ hoc noſtrum ſeculum maxime perturbant; de Regula fidei, de Iudice controuerſiarum in controuerſiis fidei, & de Traditionibus non ſcriptis. De quibus rebus Aduerſarii noſtri longe ab antiquorum ſenſu iudicioque, pro arbitrio ſuo diſputare ſolent, Quorum omnis cura cogitatioque in eo verſatur, vt Papa ſit in Eccleſia omnia in omnibus. Hic os Eccleſiæ, regula fidei, Iudex controuerſiarum, denique Eccleſia ipſa habeatur.

Vniuerſa hæc de regula fidei res eſt apud antiquos tam certa, tam explorata, vt poſteriores de hac re dubitare non poſſint, nec quiſquam ea de re dubitabat, ante exortos Ieſuitas. Iſti ſunt, qui primi in hoc negotio antiquam Eccleſiæ traditionem immutando negotium nobis faceſſunt. Legimus apud vnum ex iſtis Sophiſtis; Regulam fidei non eſſe Scripturas, ſed doctrinam & fidem Eccleſiæ. Cuius propoſitionis quis eſt ſenſus? Nam quum de regula fidei quæratur, fides hæc, cuius regulam quærimus, eſt fides Eccleſiæ. Quum vero regula eius fidei quæratur, quæ eſt fides Eccleſiæ? Si quis reſpondeat, regulam fidei Eccleſiæ, eſſe fidem Eccleſiæ: num quis exiſtimare poſſit, hunc hominem prius cogitaſſe, quid deinceps loqueretur? Sed hæc ad Eccleſiam eo conſilio referunt, vt ab Eccleſia in Papam transferantur omnia, qui eſt Eccleſia Ieſuitis.

Ex hoc intelligimus, nullam eſſe regulam iſtis, qui Scripturas ex alto deſpiciunt; nullum

finem loquendi, scribendi, garriendi, errandi. Quicquid enim istis arriserit (modo Romani Pontificis fastum contra Scripturas, & supra Ecclesiam extollat) continuo fides Ecclesiæ habenda iudicabitur. Scribant contra Scripturas, contra Patrum traditionem, sibiipsis etiam contradicant, loquantur sine autoritate, sine ratione, ex ipsorum sensu, imo vel sine sensu; tamen Ecclesiæ doctrinam egregie tractare videbuntur, modo Romani Pontificis autoritatem efferant. Non puto quenquam alium præter Iesuitas, nec ex ipsis Iesuitis, præter hunc vnum, nescio quem, Anonymum, tam insulse de regula fidei disputasse, vt dicat, regulam fidei Ecclesiæ, esse fidem Ecclesiæ. Et tamen habet hic sequaces suos.

Quanto doctius Cardinalis Bellarminus, qui de regula fidei sic scribit; a *Regula fidei certa, notaq; esse debet. Nam si nota non sit, regula nobis non erit, si certa non sit, ne regula quidem* Hæc ille. Et mox subiicit: b *At sacris Scripturis, quæ Propheticis & Apostolicis literis continentur, nihil est notius, nihil certius, vt stultissimum esse necesse sit, qui illis fidem esse habendam neget* Hæc ille. Deinde Scripturam esse regulam fidei, multis confirmat testimoniis & rationibus. Hæc recte Bellarminus contra Schwenckfeldianos, qui priuatum spiritum iactabant. Bellarmino multi assentiuntur: imo ipse multis. Nam & ante ipsum, & post ipsum, idem tradiderunt post Patres, de quibus diximus; Clemens Papa I. cuius verba sunt: c *Non sensum, quem extrin-*

a *lib. de verb. Dei, cap 2.*

b *ibid.*

c *dist. 37. c. 14. dicitur hic apud Gratian. Clem. I. vixit anno Christi 1047.*

trinſecus adulteretur, alienum, & extraneum debeat quærere, aut quoquo modo ipſum Scripturarum auctoritate confirmare, ſed ex ipſis Scripturis ſenſum capere veritatis, quum ex diuinis Scripturis integram quis & firmam regulam veritatis ſuſceperit.

Idem docuerunt a Durandus, b Cardinalis Cameracenſis, c Gerſon. d Conradus Clingius Scripturam vocat normam, vlnam, iudicem. e Ioſ. Acoſta hæc habet verba: *Nihil perinde Scripturam mihi videtur aperire, atque ipſa Scriptura. Itaq; diligens, attenta, frequens q; lectio, tum meditatio, & collatio Scripturarum omnium, ſumma regula ad intelligendum mihi ſemper eſt viſa. Itaq; quod in cœleſtium orbium motu fieri amat, vt ſuprema ſphæra mobilis rapiat ſuo motu inferiores planetarum ſphæras, quæ tamen ſuum habent obliquum & contrarium motum. Idem hic etiam vſu veniſſe videmus, vt ſummum vniuerſalis Eccleſiæ conſenſus, de regula fidei, inferiores & poſteriores omnes (etiam ipſos Ieſuitas) in aſſenſum rapiat:* quamuis iſti obliquo ſuo & contrario motu, ex Antichriſti ſchola nitantur. Nam quis contra Chriſtum & ſummum Eccleſiæ conſenſum agi ſe pateretur, niſi ex illa ſchola?

a *prafat. in ſent.*
b 1 *ſent. q* 1. *art* 3 1 *coroll. lit. H.*
c *de commun ſub. traq; ſpecie.*
d *locor. l.* 3. *ca* 29.
e *de veteulat. Antich apud Peſſeuin. Bibliothec. ſelect. lib.* 2. *cap.* 25.

Hinc eſt, quod Bellarminus, nunquam leuis autor, ſententiam ſuam mutet in hac re. Iſtorum hominum leuitas & inconſtantia mouere nos non debet; nec nouum videtur, ſi Ieſuitæ contra Scripturas, contra Patres, contra ſeipſos ſcribant: addo, nonnunquam etiam contra conſcientiam ſuam. Bellarminus contra Schwenckfeldium, regulam fidei nullam

agnoſcit, præter vnicas ſactas Scripturas: Quum vero pro traditionibus non ſcriptis pugnat, docet, Scripturæ finem non fuiſſe, vt eſſet regula fidei: deinde dicit, eſſe Scripturas regulam fidei, ſed partialem, non totalem: atque ita agit, vt qui ardentes prunas manu collegit, quas nec dimittere voluit, nec retinere valuit.

At ſi Scriptura ſit regula fidei contra ſpiritum Schwenckfeldii, quare non eſt eadem regula tenenda contra ſpiritum Pontificium? Regula vna eſt, nec mutari poteſt: non alia producitur ad hunc errorem, alia ad illum refutandum, ſed vna eademque ad omnia probanda. Quæſo igitur, quomodo poteſt Ieſuita refutare Schwenckfeldium? Ea probo, inquit Schwenckfeldius, quæ ſpiritus mihi dictat. Eas, inquit Ieſuita, probo traditiones, quæ Papa mihi dictat. Ergo vt Ieſuita Schwenckfeldium reuincat, de regula fidei, conuenire oportet. Scriptura, inquit, eſt regula fidei contra Schwenckfeldium. Recte quidem. Sed quid ſi Schwenckfeldius tuo te telo verberet? Nam ſi Scriptura eſt regula fidei contra ſpiritum Schwenckfeldii, regula hæc vna eademq; ſtabit contra traditiones. Nam traditiones iſtas tu quoq; iactas à ſpiritu profectas: quia & verbum Dei contendis eſſe traditiones tuas. Omne autem verbum Dei à Spiritu ſancto eſt. Si traditiones tuæ à ſpiritu ſint, tu ſpiritum tuum iactas non minus, imo multo magis, quam Schwenckfeldius ſuum.

Et

Et quia tu ſpiritum iactas: quæro, quomodo cognoſcam, vtrum hic ſit ſpiritus Chriſti, an priuatus ſpiritus, qualis ille eſt, quem iactat Schwenckfeldius. Ad hunc ſpiritum examinandum, de regula fidei conuenire oportet. Tu Scripturam ponis regulam fidei, contra Schwenckfeldii priuatum ſpiritum: quæro, per quam fidei regulam traditiones tuas examinabimus, ſi non per Scripturas? Hic Ieſuita reſiliendo, nugando, commentãdo turbatur. Scripturam eſſe regulam concedit; ſed partialem, non totalem: totalem autem regulam fidei, eſſe verbum Dei in Scripturis & traditionibus. Atqui de traditionibus iſtis controuerſia eſt. Non credo, traditiones non ſcriptas eſſe verbum Dei. Per quam fidei regulam hoc probas, vt credam? num per Scripturam? nequaquam, inquit, ſed per traditiones. Rem non æquam poſtulat Ieſuita, vt traditiones ſuas, de quibus eſt controuerſia, probet per traditiones ſuas. Nonne ſciſti fures & latrones manifeſtarios produnt, qui lucem fugiunt? Regula fidei certa, notaq; eſſe debet, vel iudice Bellarmino: traditiones nec certæ ſunt, nec notæ: ita omnia apud iſtos incerta erunt, quibus nec regula certa eſt.

Vt igitur cæcos iſtos incertosq; in tenebris ſuis relinquamus; Quum quæritur: quænam ſit regula fidei? hanc regulam duobus modis cognoſcere poſſumus; vel per Scripturas, vel per Eccleſiam. Si per Scripturas quæratur, nulla alia inueniri poteſt, quam ipſa Prophe-

phetica & Apoſtolica doctrina in ſacris literis deſcripta. Sin per Eccleſiam quæratur; affirmamus, nullam aliam fidei regulam in Eccleſia conſeruatam, prædicatam, traditam, manifeſtatam per omnia Eccleſiæ Chriſtianæ ſecula, & ſucceſſiones ab Apoſtolicis temporibus vſque ad tempora Concilii Tridentini, quam illam vnicam, Propheticam, & Apoſtolicam doctrinam in Scripturis deſcriptam. Non dico, Eccleſiæ fidem eſſe regulam fidei: ſed Eccleſiam conſeruaſſe, prædicaſſe, fideliter & conſtanter tradidiſſe hanc vnicam regulam, vt per teſtimonium Eccleſiæ cognoſcamus, quænam illa ſit.

Eligant Pontificii vtrum velint, regulam fidei per Scripturas, an per Eccleſiam probari. Si dixerint, neque per Scripturas, neque per Eccleſiam, ſed per traditiones ſuas: quid aliud referemus iſtis miſeris, quam vt libenter miſeros eſſe iubeamus, qui per Scripturas conuicti, Eccleſiæ etiam iudicium refugiunt? Si dicant, Eccleſiæ ſe iudicio ſtatutos, modo Romanam Eccleſiam intelligamus: Reſpondemus, vniuerſalis Eccleſiæ ſententiam à nobis quæri, nec Romanam excipimus. Nam Romana Eccleſia ad noſtra vſque tempora, non aliam ſuſcepit regulam fidei, quam ſacras Scripturas. Proferant illi, ſi poſſunt, vel vnicum teſtimonium, non dico antiquorum, ſed vel ipſorum Pontificiorum, qui Scripturas canonicas negauerit eſſe totalem canonem, ſeu fidei regulam: vel qui ad defectum Scripturarum

rum ſupplendum traditiones non ſcriptas, in fidei regulâ poſuerit. Et quid magis inſanum aut furioſum dici aut cogitari poteſt, quam ſi quis dixerit, regulam fidei in Eccleſia nunquam notam, agnitamque fuiſſe ante Concilium Tridentinum? Certum autem eſt, regulam iſtam, quam Ieſuitæ iactant, nunquam antea fuiſſe agnitam, nullo conſenſu probatam, nulla autoritate firmatam.

Nos vero, vt fidei regulam probemus, Scripturas primum, deinde Eccleſiæ vniuerſæ iudicium proferimus. Scriptura inprimis hanc ſibi autoritatem vendicat: quia qui præter Euangelium quicquam aliud annuntiat, anathema eſt: quia doctrina Dei integra eſt, & perfecta: quia quæcunque ſcripta ſunt, ad noſtram doctrinam ſcripta ſunt: vnde igitur doctrina noſtra regulam habere poteſt, quam ex eo, quod ad noſtram doctrinam à Deo eſt inſtitutum? quia errant, qui neſciunt Scripturas: quia omnis ἐπιδιδασκαλία prohibetur, hoc eſt, quicquid in Scripturis non continetur: quia Scripturæ docent veritatem, redarguunt hæreſes, corripiunt vitia, erudiunt ad pietatem, vt homo Dei perfectus ſit ad omne opus bonum perfecte inſtructus: quod perfectos nos ad omne opus bonum perfecte inſtructos reddit, eſt regula perfecta. Si ergo Scripturas conſulamus, ipſæ Scripturæ ſunt regula fidei noſtræ perfectiſſima.

Sin Eccleſiæ iudicium expectemus, in illis, quæ ſuperius à nobis producta ſunt, teſtimoniis,

piis, certum habemus Ecclesiæ consensum. Sic enim Ecclesiæ doctores tradiderunt: Ecclesiastica regula est consensus veteris & noui Testamenti: è solis Scripturis examinationes sunt petendæ: manifestus est à fide lapsus, & superbiæ signum, aliquid docere, quod non est scriptum: in nullo debemus à Scripturarum præscripto discedere: regula fidei est vna, immobilis, irrefragabilis: constitutio fidei est indemutabilis: controuersiæ fidei tractandæ sunt tantummodo per ea, quæ scripta sunt: Ecclesia non est egressa de finibus suis, hoc est; de sacris Scripturis: Scriptura doctrinæ nostræ regulam figit: ab Euangelica, Apostolicaque doctrina, nec vno verbo discedere licet: in sacris Scripturis cuncta, quæ ædificant, omnia, quæ eruiunt, scripta continentur: omnis munitio nostra in sacro eloquio continetur: doctrina Prophetarum & Apostolorum ideo dicitur canonica, quia regula est intellectus nostri.

Hæc omnia superius ex Ecclesiæ proceribus produximus. Pro regula fidei habeatur, quæ hactenus pro regula fidei in Ecclesia habita fuit: non autem noua ista, incerta, mutabilis, conficta nuper in Concilio Tridentino, excepta à Iesuitis (ecquis vero nobis præstabit, vt non reiecta ista, aliam denuo confingant?) quam isti sua tantum autoritate obtrudunt, sine Scripturæ autoritate, sine consensu Patrum, de qua ante nostra secula in Ecclesia nihil fuit auditum, quæq; in hunc finem con-

confícta eſt, vt omnia ad vnius Papæ arbitrium reuocentur, quem in Eccleſia adorandum docent Ieſuitæ. Quanquam autem Ieſuitas ſuperbum genus hominum cognouimus, hæc tamen incredibilis ſuperbia cum pari ſtultitia coniuncta eſt, ſi putent de re longe grauiſſima, qualis eſt regula fidei, figmenta ſua pro oraculis in Eccleſia habenda eſſe, quamuis nullum habeant antiquitatis conſenſum. Sic ergo præſcribimus Tridentinis: Eccleſiæ officium & miniſterium in eo verſatur, vt regulam fidei vnam, immobilem, integram conſeruet: quam tamen iſti mutarunt: quid iſtis igitur cum Eccleſia Chriſti? a *Expedite præſcribimus*, inquit Tertullianus, *adulteris noſtris; illam eſſe regulam veritatis, quæ veniat à Chriſto tranſmiſſa per comites ipſius, quibus aliquanto poſteriores diuerſi iſti commentatores probabuntur.* Eandem hanc regulam, b vnam, immobilem, irreformabilem vocat. Hæc igitur eſt illa regula aurea, quæ veritatem Pontificiis tenebris immerſam reſtituit nobis. Hæc regula Eccleſiam ab iſtis obſcuratam euidenter oſtendet. Veritas eſt, quæ cum hac regula conſentit. Eccleſia eſt, quæ hanc regulam immutatam conſeruauerit. Hæc ſuccincte de regula fidei diximus. Dicamus eâdem breuitate de Iudice controuerſiarum. Nam ex iis, quæ ſuperius produximus, expeditior erit harum rerum tractatio.

a *Apolog. cap. 47.*

b *lib. de virgin. veland. cap. 1.*

CAPVT

CAPVT VIII.

Corollarium de Iudice controuersiarum.

DE iudice controuersiarum quoties disputant Pontificii, triumphus statim decernitur Romano Pontifici. Sine hoc iudice Ecclesiam esse mutam, imbellem clamitant: nec autoritatem habere, nec potestatem vllam, ne vocem quidem. Ac proinde nos miseros esse, qui controuersias religionis non possumus definire, quippe qui Papam, vnicum scilicet Iudicem non agnoscamus.

Respondemus, controuersias definiendi eandem apud nos remanere rationem, quæ apud antiquam Ecclesiam valuit. Vel enim Episcopi conuocabant Synodos intra suas diœceses, vel Metropolitani prouinciales. Et si Ecclesiæ necessitas postulabat, plures Metropolitani in vnum cogebantur, non imperio coacti à quoquam, sed vnitatis & charitatis vinculo cohærentes coibant. Loquor de primis Ecclesiæ temporibus. Hæc antiqua conuocandi Synodos ratio omnis apud Pontificios antiquata est. Concilia, inquit Bellarminus, Romana particularia exoleuerunt, & in eorum locum Consistoria Cardinalium successisse videntur. Cognoscite igitur, quinam sint, qui Conciliorum vim autoritatemque, ipsorum confessione, mutarunt, labefactarunt, & exoletam reddiderunt. Apud nos antiqua hæc ratio viget, valetque. Si ergo de prouin-

Apolog.

uincialibus Synodis quæstio sit; sine fronte loquuntur, & scribunt, nullam esse eius rei rationem apud nos, quum tantum apud nos antiqua ratio valeat, quæ apud istos exoleuit.

Si de generalibus Conciliis loquantur, nullus in illis Romanus Iudex inuenietur. Nam antequam Romani Imperatores religionem susceperant, Concilia quædam conuocata sunt, quæ maiora erant prouincialibus: sicut erat Concilium Antiochenum, in quo Episcopi diuersarum prouinciarum conueniebant: & Paulus ille Samosatenus damnatus est, inquit Eusebius, ab omnibus, quæ sub cœlis sunt, Ecclesiis Christi. Num hic Romanus Pontifex Iudex sederat? nequaquam; tantum re gesta, scripserunt ad Romanum Episcopum, sicut & ad Alexandrinum. Non erat hic locus Romano supra alios: quis ergo Iudex erat? De iudice mox dicemus: illud tantum hic monitum volumus, Romanum non alio fuisse loco, quam alios Episcopos: nec conuocasse, nec præfuisse; tantum assensum præbuisse cum reliquis. Quid enim iuris Romano esse potuit in Græcos Episcopos? quid in Asia & Oriente? At postquam Christiana religio apud Romanos Imperatores inualuit, autoritas conuocandi Concilia generalia, & potestate coactiua firmandi canones Conciliorum, ad Imperatores deferebatur ab Ecclesia, ab iisque exercebatur. Imperatores interea non erant iudices controuersiarum, sed sicut Romani Episcopi eos appellant, cu-

Euseb lib. 7. cap. 25.

Leo Imp. ad. 18 synod. sexta.

ſtodes diſciplinæ Eccleſiaſticæ. Quis eſt ergo iudex controuerſiarum?

Ex antiquis regulam fidei ſupra deduximus: ea nos regula quaſi manu ducet ad iudicem controuerſiarum. Controuerſias enim iſtas intelligimus, controuerſias de fide. Fides autem Eccleſiæ vna eſt, non diuerſa; conſtans, firmaque eſt; non dubia, non controuerſa. Pulchre Tertullianus: a Regula fidei à Chriſto inſtituta, nullas habet apud nos quæſtiones, niſi quas hæreſes inferunt, & quæ hæreticos faciunt. Controuerſiæ ergo, quæ oriuntur, ab hæreticis excitantur. Et quia hæretici fidem vnam, perpetuam, conſtantem Eccleſiæ, conantur euertere, idcirco aduerſus hæreticos Eccleſia diſcernit controuerſias fidei ſecundam regulam fidei. Quid ergo? Num Eccleſiam dicimus eſſe iudicem controuerſiarum? Non dicimus: quia ante nos nemo ita dixit. Eccleſia teſtis eſt, non iudex. Vos eritis mihi teſtes in Ieruſalem, & in tota Iudæa, & Samaria, & vſque ad vltimas terras. Non iudices eſſe voluit, quos teſtes conſtituit. Ipſa igitur prædicatio teſtimonium dicitur. Prophetarum prædicatio quid eſt, niſi teſtimonium? Huic omnes Prophetæ teſtimonium dant, remiſſionem peccatorum acceptarum per nomẽ eius, qui crediderit in eum. Apoſtolorum prædicatio quid eſt niſi teſtimonium? Non recipient teſtimonium tuum de me. Vniuerſa prædicatio Euangelii quid eſt niſi teſtimonium Chriſti? Teſtimonium Chriſti,

a *lib. præſcrip. cap. 14.*

Act. 1. 8.

Act. 10. 43.

Act. 22. 18.

Christi, inquit Apostolus ad Corinthios, confirmatum fuit in vobis. Prædicatio igitur Ecclesiæ testimonium est, & Ecclesia testis. Testis autem nihil addit, nihil subducit, sed ex regula veritatis loquitur. Deinde in eadem causa quis potest esse testis & iudex? Iam vero quum vniuersa Ecclesiæ prædicatio testimonium sit, & Ecclesia testis: Si quis inter Ecclesiæ membra excellat, num in maiori loco habendus erit, quam testis loco? Certe quicunque in Ecclesia excelluerunt, & columnæ videbantur, testimonium tantum perhibebant, testes erant, non iudices. Itaque Iohannes Baptista, quo maior non est ortus inter natos mulierum, non venit vt iudex, sed venit ad dandum testimonium de luce. Petrus Apostolus nusquam dicitur iudex, sed tantum testis afflictionum Christi. Ita Apostoli omnes testes fuerunt, non iudices. 1. Cor. 1. 6. Iohan. 1. 7. 1. Pet. 5. 1.

Nullusne igitur iudex est controuersiarum? Est certe. Quis igitur? Ille est, cui testes isti seruiunt; cuius mandato testimonium perhibent, qui testimonium eorum examinat, & diiudicat. Nam quicunq; est iudex controuersiarum fidei, erit iudex fidei; quia in controuersiis de fide, vbi quæritur, quid sit credendum: iudex est, qui potest dicere, hoc tibi mando, vt credas: qui credentes remunerat: qui incredulos iudicat. Iudex ergo controuersiarum de fide, est iudex fidei nostræ. Qui vero iudex est fidei nostræ, est dominus fidei nostræ. Dominus autem

fidei noſtræ non eſt Petrus, non Paulus.
2. Cor 1.24. Non dominamur fidei veſtræ, inquit Apoſtolus. Atqui dominatur fidei, qui iudex eſt fidei. Ergo inter Eccleſiæ membra iudex inueniri non poteſt, quia dominus fidei inueniri non poteſt in membris. Iudex igitur de fide Eccleſiæ, eſt caput Eccleſiæ. Hoc etiam Pontificii videbant, ac proinde Papam conſtituunt & caput Eccleſiæ, & iudicem de fide.

Nos vero affirmamus, Eccleſiam Chriſti in controuerſiis fidei non alium agnouiſſe iudicem, quam Chriſtum in Scripturis ſuis loquentem. Clamitant hic Pontificii, Scripturam eſſe obſcuram, indigere interpretatione viua, & iudice viſibili. Clament, quantum volunt, ringantur, rumpantur: at non alium inuenient iudicem in controuerſiis fidei. Videte primo, quomodo iſti, tanquam cæci & amentes in ſuos gladios ruant. a Scripturis Propheticis & Apoſtolicis nihil eſt, inquit Bellarminus, certius, nihil notius, vt ſtultiſſimum eſſe neceſſe ſit, qui illis fidem habendam eſſe negat. Quod eſt certiſſimum & notiſſimum, quomodo eſt ita obſcurum, vt non intelligatur, imo quomodo iudicem quærit? vnde tot controuerſiæ? Sed vere dicitur Scriptura certiſſima & notiſſima. Et controuerſiæ excitantur ab hæreticis; qui controuerſias induſtria induxerunt, & quotidie augent, vt ex eo iudicem etiam viſibilem inducant. Sed intelligite ſophiſmatum artifices. Docemus nos, vel potius Eccleſiæ Catholicæ doctrinam,

a lib. 1. de verbo Dei, cap. 2.

refe-

referimus, retinemus: Scripturas esse apertas & manifestas in omnibus ad salutem necessariis. Quid Iesuitæ? Probant scilicet, multos Scripturæ locos esse obscuros. Et quis negat? Deinde ad incautos decipiendos tale sophisma struere solent: Scriptura in multis locis est obscura, ergo iudex visibilis est statuendus. Respondeo, consequentiam plane nullam esse. Nam quæ necessaria sunt ad salutem, non obscure, sed aperte posita sunt in Scripturis: inane igitur est hoc sophisma, ponens non causam pro causa, propter quosdam Scripturæ locos obscuros, iudicem esse statuendum de locis apertis. De summa Scripturarum perspicuitate in necessariis magnus est antiquæ Ecclesiæ consensus. a *Iuxta*, inquit Augustinus, *quæ aperte in Scripturis posita sunt, inveniuntur ea omnia, quæ continent vitam moresq;.* Clemens Alexand. b *Nullis*, inquit, *celatum est verbum, lux est communis, omnibus illuxerit hominibus, nullus est in verbo Cimmerius. festinemus ad salutem, ad regenerationem.* c Chrysostomus, *Apostoli*, inquit, *& Prophetæ omnia conscripserunt manifesta clara, quæ prodiderunt. Exposuerunt omnibus, veluti communes verbi doctores, vt per se quisq; discere possit ea, quæ dicuntur è sola lectione. Et hoc ante prænuntians Propheta, dicebat: Erunt omnes docti à Deo, & non docet quisq; proximum suum; noste Deum, quoniam omnes noscent me à minimo ipsorum, vsque ad maximum. Cui non manifesta, quæcunq; in Euangelio scripta sunt?*

a *lib. de spir. & lit. cap. 33.*

b *Protrept.*

c *Homil. 3. de Lazar.*

Respondeo secundo, non posse istos hoc

sophismate probare, talem iudicem de Scripturis statuendum in locis obscurissimis. Probat obscuritas, interpretes quidem esse necessarios, non autem iudicem: quia obscura & profunda Scripturarum eruuntur, non per potestatem aliquam, aut iurisdictionem iudicis alicuius, sed per industriam & scientiam interpretum. Sic semper fugiunt caulæ cognitionem, vt verbis inanibus incautos fallant. Scriptura interpretatione indiget, Ecclesia igitur per omnia secula interpretes habuit, & habitura est, qui obscura loca exponant. Sed quid hoc ad iudicem? Nam neque interpretes ipsi iudices habiti sunt Scripturarum, quas exponunt; neque Romanus Pontifex interptetum istorum iudex in Ecclesia vnquam est habitus: multo minus ipsarum Scripturarum iudex: nemo enim potest esse iudex earum rerum, quas non recte cognouerit. Itaq; per ipsos Pontificios canones distinguitur iurisdictio à scientia interpretandi; & iurisdictio Rom. Pontificibus; at interpretandi scientia interpretibus defertur. Quum igitur longe aliud sit, causas forenses audire, aliud sacras Scripturas tractare, canones ipsi Pontificii Romanos Pontifices cum iurisdictione sua, & dignitatis apice, quam vocant; ad causas forenses statuunt; ad sacras vero Scripturas exponendas non Romanos Pontifices, sed sactos interpretes assignant. De qua re Gratianus sic habet: a *Diuinarum Scripturarum tractatores, etsi scientia Pontificibus eminent, tamen*

a dist. 20.

quia

quia dignitatis eorum apicem non sunt adepti, in sacrarum quidem Scripturarum expositionibus eis præponuntur, in causis vero definiendis, secundum post eos locum merentur. Hæc Gratianus. Ex quibus verbis constare potest figmentum hoc Iesuitarum de Papa iudice in controuersiis fidei, non fuisse excogitatum Gratiani seculo: tum quidem causas canonicas ad Romanam Curiam attrahere, magno studio certabatur, vt in illis causis Romanus Pontifex summus sederet iudex. At de hoc iudice in controuersiis de fide tunc temporis ne somniabant quidē. Sed quū Rom. Pontifex ex vna præsumptione in aliam subinde transire soleret, tandē etiam se iudicem interponere voluit in controuersiis fidei. Sed hoc figmentum sero innotuit, & nouitate sua defensores perturbat. Scripturas affirmant esse obscuras: at nihil promouent; nam quod nos docemus, ipsi etiam concedunt, Scripturas apertas esse in iis omnibus, quæ fidem moresque continent, vnde controuersiæ de hde sunt definiendæ. Obscuritas autem Scripturarum, interpretes probat, non iudicem. Miseri ergo Pontificii, dum iudicem quærunt, interpretes tantum probant, in quo munere Papa est, ipsorum confessione, inutilis & ineptus. Nos interpretes multos concedimus, iudicem istum repudiamus: nec quenquam alium iudicem, præter vnum Christum, in Scripturis suis loquentem, in Ecclesiæ controuersiis de fide habitum fuisse affirmamus.

In Concilio Nicæno, Constantinus iudicem controuersiæ accurate descripsit his verbis: a *In disputationibus rerum diuinarum habendis (Episcopi) sanctissimi Spiritus doctrinam perscriptam. Euangelici enim, & Apostolici libri, necnon antiquorum Prophetarum oracula plene instruunt nos: proinde sumamus ex dictis diuini Spiritus explicationes quæstionum.* Hæc ille. Constantinus à Catholicis Episcopis edoctus, Ecclesiæ Catholicæ fidem ita proposuit, vt Tridentinas frandes luculenter præuerterit. 1. In disputationibus rerum diuinarum docet sancti Spiritus doctrinam esse perscriptam. A quo igitur spiritu est doctrina Tridentina, & verbum hoc non scriptum? 2. Euangelici, & Apostolici libri, & Prophetarum oracula plene nos instruunt: Scriptura igitur Prophetica & Apostolica est regula fidei totalis, non partialis, vt isti innouatores obganniunt. Quod enim plene nos instruit, non tantum ex parte, est regula completa, non partialis. 3. Sumendas esse docet ex dictis diuini Spiritus explicationes quæstionum; Diuina igitur Scriptura, vt lex Christi dictata à Spiritu sancto, ad omnes fidei controuersias definiendas sufficit: quia error potest esse in dictis omnibus, quæ non sunt dicta sancti Spiritus. Hæc est Catholicæ Ecclesiæ sententia, quæ per successiones Episcoporum conseruata est, & retenta in Ecclesia, vsq; ad Concilium Tridentinũ. Ecclesia nec aliam regulã, nec alium iudicẽ in controuersiis de fide agnouit præter sacras Scripturas.

a *Theodor. hist. lib. 1. ca. 7.*

Cypria-

Cyprianus ſic docet: a *Legat hic vnum verbum, & in hoc mandato meditetur Chriſtiana religio: & inueniet ex hac Scriptura omnium doctrinarum regulas emanaſſe, & hinc naſci, & huc reuerti, quicquid Eccleſiaſtica continet diſciplina.* a *lib. de Baptiſm. Chriſti.*

Optatus eandem doctrinam retulit: b *Nemo vobis credat, nemo nobis; omnes contentioſi homines ſumus. Quærendi ſunt iudices. Si Chriſtiani de vtraque parte dari non poſſunt, quia ſtudijs veritas impeditur. De foris quærendus eſt iudex: Si paganus, non poteſt noſſe Chriſtiana myſteria; ſi Iudæus, inimicus eſt Chriſtiani baptiſmatis. Ergo in terris de hac re nullum poteſt reperiri iudicium: de cælo quærendus eſt iudex. Sed ad quid pulſamus ad cælum, cum habeamus hic in Euangelio?* Hæcille. Ieſuitæ noſtri hunc ſanctum Patrem vel cæcum fuiſſe dicent, vel delirum ſenem, vel indoctum, vel inuidum Papæ detectatorem, qui quum de iudice controuerſiarum ex profeſſo diſputarit, tanto ſeſe labore fatigarit quærendo, nec tamen hunc iudicem in terris inuenerit. At quam facile Papam controuerſiarum iudicem pronuntiare potuiſſet, ſi iſtum iudicem Eccleſia tunc agnouiſſet? Hoc Ieſuitas dolet, quod Papam penitus excluſerit. Excluſit omnino, quum in terris iudicem controuerſiarum de fide inueniri nullum poſſe profiteatur. Senſum Eccleſiæ illius ſeculi magna fide refert Optatus, Papam non habitum fuiſſe Chriſti in terris Vicarium, non iudicem controuerſiarum, non caput, non os Eccleſiæ. Hæc ſunt recentia fratrum figmenta, antiquis Patribus inaudita monſtra. b *lib. 3.*

Augustinus eodem modo, quum de controuersiarum iudice differit, nullum iudicem in Ecclesia agnoscit, præter vnicum Christum in Scripturis suis loquentem. a *Ista*, inquit, *controuersia iudicem quærit: iudicet ergo Christus.* Et mox: *Iudicet & cum illo Apostolus: quia in Apostola ipse loquitur Christus.* Idem alibi sic scribit: b *Neq; hinc tanta tam salubri vigilantia canon Ecclesiasticus est constitutus, ad quem certi libri Prophetarum & Apostolorum pertinent: quos omnino iudicare non audeamus, sed secundum quos de cæteris literis, vel fidelium, vel infidelium, libere iudicemus.* c *Non oportet de tam sublimi autoritate iudicare, neq; de ipso libro tuo, etiamsi quid ibi non lucet: quoniam submittimus ei nostrum intellectum.* Hæc Augustinus. Notanda sunt, quæ de controuersiarum iudice tam diserte habet Augustinus. Diserte affirmat, Christum, & Apostolicas literas, in quibus Christus loquitur, esse controuersiarum iudicem. Diserte affirmat, Ecclesiasticum canonem in Scripturis Propheticis & Apostolicis constitutum, esse regulam illam fidei, secundũ quam de omnium scriptis iudicat Ecclesia. Diserte negat, quemuis hominem esse iudicem, quamuis, vt eodem loco scribit, d spiritalis homo sit, & renouatus in agnitionem Dei, secundum imaginem eius, qui creauit eum. Quanto magis si hodie inter viuos esset, hunc locum negaturus fuisset carnalibus, & impuris Pontificibus?

a lib. 2. ca. 33. de nupt. & concupisc.

b ad Crescon. lib. 2. cap. 31.

c Confess. lib. 13. cap. 23.

d lib. 11. cap. 23. Confess.

Hæc eadem veritas de iudice in contro-

uer

uersiis fidei conseruata fuit in Ecclesia, nemine contradicente, vsque ad annum Christi milletimum. A quo tempore, soluto iam Satana, adulatores Romanæ Curiæ cœperunt Romani Pontificis authoritatem sine modestia efferre. At contra illos adulatores, fratercules dico, & Canonistas, Ecclesia Romana egregie in hac re veritatem, & antiquam Ecclesiæ Catholicæ consuetudinem conseruarat, vsque ad Concilii Tridentini tempora. Nam quum in Concilio Basiliensi quæstio orta fuisset de iudice controuersiarum, & Bohemi ad disputationem accedere nollent, nisi prius de iudice conuenirent. Quid Basilienses? Num Papam iudicem iactabant de fide controuersiis? Nusquam: sed antiquam Ecclesiæ Catholicæ sententiam de iudice retinuerunt. Sic enim statuunt: a *Lex diuina, prauis Christi, Apostolica & primitiua Ecclesia, vna cum Conciliis, decretisque, fundentibus se veraciter in eadem, pro veritate, & indifferente iudice in hoc Basiliensi Concilio admittentur.* Hæc Basilienses. Quibus verbis Ecclesiæ Romanæ iudicium, & sententia refertur. Itaque ad illud tempus Ecclesiæ Catholicæ sententia immutata constiterat. Euoluant origines suas Iesuitæ, & Iesuitis paulo antiquiores fratercules, & inuenient, figmentum hoc de Papa Iudice, vel ab ipsis confictum, vel cum ipsis natum, cum ipsis moriturum, in Ecclesia nunquam receptum.

a Sess. 4. Epist. 4.

Iam

Iam quia Romana Curia controuersiam hanc contra Ecclesiam Catholicam susceptit, (nam quod contra nostras Ecclesias pugnant, ferendum videretur, nisi & nostræ Ecclesiæ in hac re cum Catholica communionem haberent: Itaque quicunque contra nos de iis rebus controuersias instituunt, in quibus communionem habemus cum Catholica, non contra nos tantum, sed contra Catholicam etiam Ecclesiam pugnant) Quia igitur hanc litem cum Ecclesia Catholica habet Romana Curia; & Pontificis mancipia Iesuitæ in eo operam suam strenue ponunt, vt Papa habeatur Ecclesiæ os, & Caput, & Rector, & Rex, & summus Iudex in fidei controuersiis: illud nobis non obseruatione tantum, sed & admiratione dignum videtur, quod isti, dum hæc agunt, non sentiant, se Antichristum ipsis Ecclesiæ ceruicibus imponere. Quis enim non videt, hunc esse ἀντικείμενον, qui se in Ecclesiam, supra Ecclesiam, contra Ecclesiam, contra Scripturas statuit? Nam hoc vere est, quod dicit Apostolus, 2. Thess. 2. 4. ὥστε αὐτὸν εἰς τὸν ναὸν τοῦ θεοῦ, ὡς θεὸν καθίσαι. Apostolus dicit eum sessurum εἰς τὸν ναὸν τοῦ θεοῦ, non in templo tantum, sed in templum: non in Ecclesia tantum, sed in Ecclesiam, contra Ecclesiam, & tanquam Deum supra Ecclesiam. Quis enim est supra Ecclesiam, nisi vnus Deus? Nonne igitur hic, qui se supra Ecclesiam ostentat, sese tanquam Deum ostentat. Quem igitur totum Ecclesia Catholica vni Christo semper seruauit, vt sit Ecclesiæ

siæ Caput, & Rector, & Rex, & Iudex. Huius loci honorem Romana Curia contra Ecclesiam Catholicam Romano Pontifici defert. Vt nobis merito mirandum videatur, quomodo Iesuitæ contra Scripturas, contra Ecclesiæ consensum, tam sordide Romano Pontifici adulari possint, vt non conscientiæ suæ vim inferant, & videntes, viuentesque in horrendam se præcipitare ruinam intelligant.

CAPVT IX.

Corollarium de Traditionibus non scriptis.

HAbemus contra Pontificios vnanimem Ecclesiæ vocem, eamque non interruptam, de autoritate Scripturarum. Quid Pontificii contra? Scripturas scilicet, & Patres iactant. Sed mirifica est horum hominum Dialectica: non enim concludunt: neque illud magnopere curant: tantum Scripturas, non ad vincendi spem, sed ad ostentationem adducunt. Sic enim colludunt: *Cætera, cum venero, disponam, 1. Cor. 11. Tenete traditiones, quas accepistis, siue per sermonem, siue per Epistolam, 2. Thessal. 2. Sapientiam loquimur inter perfectos, 1. Corin. 2. O Timothee depositum custodi, 1. Tim. 6.* Ex quibus locis Bellarminus concludit, Scripturas non sufficere ad salutem, sed requiri traditiones non scriptas; hoc est, aliud verbum Dei non scriptum, quæ cum verbo scripto regulam fidei compleat. Aliis ex iisdem locis

cis Missæ sacrificium, Romani Pontificis primatum, invocationem Sanctorum confirmant. Denique quicquid Tridentini vident, se ex Scripturis probare non posse; luculenter confirmatum somniant ex huiusmodi testimoniis; *Cætera, cum venero, disponam, &c.* Hæc Scripturarum testimonia antiqui hæretici contra antiquos Patres producere solebant. Nuper vero Romanæ Curiæ adulatores eadem testimonia proferre cœperunt contra Ecclesiam. a Quod offendiculum, inquit Iohannes Gerson, positum erat per multos, determinantes ex textibus grosse, & non ad regulam Euangelicam acceptis. Æneas Syluius de huiusmodi Scripturæ testimoniis ab adulatoribus Romanæ Curiæ productis, sic scribit: b *Hæc hi homines miro modo sublimant, expositionibus sanctorum doctorum omnino posthabitis.* c *Nec considerant miseri, quia quæ prædicant tanquam verba, aut ipsorum summorum Pontificum sunt fimbrias suas extendentium: aut eorum, qui eis adulabantur.* Has igitur artes adulatorias, & in sacris Scripturis peruertendis impostoras, ab ipsis Pontificis, imo vero ab ipsis Pontificibus explosas, nos quoq; merito reiicimus.

a *Serm. pro Viagio Reg. Rom. diræct. 1.*

b *act. Concil. Basil.*
c *ibid.*

Superius obseruauimus, istas antiquorum hæreticorum artes olim explosas ab Irenæo, Tertulliano, Athanasio, Augustino, in quibus tamen strenue pergunt Pontificii. Quia igitur è Scripturis nihil habent, (nam vt cum Tertulliano loquamur, Scriptura negat, quod non notat: & insignis est impudentia, adeoq; Anti-

Antichristianæ Ecclesiæ peculiaris, contra Scripturarum autoritatem Scripturas producere velle) Patrum testimonia conuertunt vndique Pontificii. Nos vero, quanquam controuersiarum, quæ sunt de fide, Patres arbitros non admittamus; (neque ed consilio hæc agimus, sed vt è Pontificiorum manibus omnia excutiamus arma,) non possumus tamen admirabilem Dei prouidentiam non suspicere, qui Patrum animos & linguas ita gubernauit, vt in hac controuersia, sicut & in aliis pluribus, ne vnum quidem testimonium antiquorum ad hunc vsque diem protulerint Pontificii, quo probare possint, in Scripturis non contineri expresse totam doctrinam de fide & moribus, ac proinde præter verbum Dei scriptum requiri etiam verbum Dei non scriptum in traditionibus. Huius sententiæ ratio constabit, si monstremus, quomodo Patres de traditionibus disputare soleant.

Traditionis vox varie apud Patres sumitur. 1. Traditionem vocant doctrinam traditam, quæ eadem semper è Scripturis per omnes Ecclesiæ successiones seruanda est. Sicut enim perpetuus ille ignis altaris, qui de cœlo venerat, per sacerdotum successiones idem semper ante Dominum lucere debebat: sic vnam eandemque doctrinam semper in Ecclesia per omnes successiones permanere oportet, vt nihil extraneum ad sactam Scripturam addatur, inquit Theodoretus. Haec doctrina vna eademque in Ecclesia conseruata, ab Ecclesiæ

q. 9. in Lenit.

cleſiæ Patribus Eccleſiæ filiis tradita, traditio
2. Cor. 11. 23. vocatur. Quo ſenſu Apoſtolus traditionem vocat doctrinam à Chriſto acceptam, Eccleſiæ traditam. Ego accepi à Chriſto, quod & vobis tradidi. Sic Irenæus: a *Non per alios diſpoſitionem ſalutis cognouimus, quam per eos, per quos Euangelium peruenit ad nos, quod quidem tunc præconiauerunt, poſtea vero per Dei voluntatem in Scripturis tradiderunt.* Hæc ille. Itaque prouocat Irenæus ad Epiſcoporum Romanorum ſucceſſiones, qui hanc traditionem integram tum conſeruabant. Sic enim ait: *Traditione, quæ eſt ab Apoſtolis, ſic ſe habente, & permanente apud nos.* Permanebat igitur hæc traditio apud Eccleſiam. Apud quos autem hæc traditio Apoſtolicæ doctrinæ integra conſeruata eſt, apud eos non dubia manebat Eccleſiæ nota: quam notam ponit Irenæus, non in traditione ſimpliciter, ſed in traditione Apoſtolicæ doctrinæ puræ, ab Epiſcopis orthodoxis in Eccleſia conſeruatæ. Atque hinc fraudem eorum exploratam tenemus, quum ea è Patribus pro ſuis traditionibus proferant, quæ ab illis afferuntur pro doctrina Apoſtolica per miniſteria Epiſcoporum Eccleſiæ tradita. Hic error animaduerſus, plurima Patrum teſtimonia à Pontificiis praue detorta oſtendet.

a lib. 3. c 1.

ibid. cap 3.

ibid. cap. 5.

2. Obſeruandum præterea eſt, traditiones à Patribus ſæpius pro externis Eccleſiæ ritibus vſurpari. De qua traditione Auguſtini ſententia celebris eſt huiuſmodi: b *Quæ non ſcripta, ſed tradita cuſtodimus, quæ quidem toto terrarum*

b epiſt. 118.

orbe

orbe obſeruantur, datur intelligi, vel ab ipſis Apoſtolis, vel plenariis Conciliis, quorum eſt in Eccleſia ſalubérrima autoritas, commendata atq; ſtatuta retineri: ſicut quod Domini paſſio, & reſurrectio, & aſcenſio in cœlum, & aduentus de cœlo Spiritus ſancti anniuerſaria ſolemnitate celebrantur. Alia ſunt, quæ per loca terrarum regionesq; variantur. Hæc Auguſtinus. De quibus variantibus ceremoniis, quas ille traditiones vocat, grauiſſima eſt Auguſtini ſententia, quæ contentionis funem præſcindere poterat apud animos, veritatis & pacis cupidos. a *Senſi*, inquit Auguſtinus, *ſæpe dolent, & gemens, multas infirmorum perturbationes fieri per quorundam fratrum contentioſam obſtinationem, vel ſuperſtitioſam timiditatem, qui in rebus huiuſmodi, quæ nec Scripturæ ſanctæ autoritate, nec vniuerſalis Eccleſiæ traditione, nec vitæ corrigendæ vtilitate ad certum poſſunt terminum peruenire (tantum quia ſubeſt qualiſcunq; ratiocinatio cogitantur, aut quia in ſua patria ſic ipſe conſueuit, aut quia ibi vidit, vbi peregrinationem ſuam, quo remotiorem à ſua, eo doctiorem factam putat,) tam litigioſas excitant quæſtiones, vt, niſi quod ipſi faciunt, nihil rectum exiſtiment.* Hæc ille. Quæ igitur de ceremoniis Eccleſiaſticis contra Epiſcopos nuper excitatæ fuerant controuerſiæ, eaſdem olim ſuſcitatas teſtatur Auguſtinus; qui nudioribus quidem verbis, non tamen vanis, affirmat hanc de ceremoniis contentionem, non à conſcientia profecta, ſed à contentioſa obſtinatione, & ſuperſtitioſa timiditate. De ceremoniis eius generis Ambroſii reſponſum

a *ibid.*

(quo profitebatur, se dum Romæ esset, Romanæ Ecclesiæ consuetudinem obseruare, quum Mediolani esset, aliter fecisse, ac proinde moneret, in quacunq; Ecclesia quis viuat, vt eius Ecclesiæ morem in ceremoniis sequeretur.) Augustinus fatetur, se tanquam ex cœlesti oraculo profectum suscepisse. a Ego, inquit, de hac sententia etiam atque etiam cogitans, ita semper habui, tanquam ex cœlesti oraculo susceperim. Insignem hanc modestiam viri, insigni pietate, acerrimoq; iudicio prædi-

a *ibid.*

ti, proposui, vt moneamur, & nostro, & publico bono, pacem Ecclesiis præstare. Sed videte veritatem contentionibus immersam, & fere obrutam, velut scopulum inter repugnantes fluctus extantem. Pontificii traditionibus non scriptis eandem autoritatem tribuunt, quam Scripturis deferūt. Alij, vt ab hoc errore quam longissime refugiant, nullum prorsus locum traditionibus non scriptis in Ecclesia relinquunt. Errant vtrique: neq; istorum pernicio-

b *Epist. 86.*

sior error, contentiosam horum obstinationē excusat. Patres mediā viam ingressi sunt, quam si nobiscum omnes etiam sequeretur, exoptatissima Ecclesiis pax redire potuisset. b *In his rebus*, inquit Augustinus, *de quibus nihil certi statuit Scriptura diuina, mos populi Dei, vel instituta maiorum pro lege tenenda sunt.*

Sed ne in domesticis nostris contentionibus lætentur inimici, attendite Pontificiorum impostura. Patres non reiiciunt omnes traditiones non scriptas. Nam quæ in externis ritibus

bus ſunt, quæ toto terrarū orbe obſeruantur, omnino retinendas iudicant. In iis vero, quæ per regiones variantur, cuiuſq; Eccleſiæ more pro lege tenendum ſtatuunt: nec vltra lites excitari volūt. Pontificij vero pro traditionibus ſuis, quæ doctrinam continent non ſcriptam, quam tamen Scripturis ipſis coæquant, & verbum DEI vocant: teſtimonia Patrum producunt, quæ de ritibus Eccleſiæ externis intelliguntur. Atque ita fruſtra colludunt.

3. Obſeruandum etiam eſt, in traditionibus Eccleſiæ diſcernendis alium fuiſſe apud Patres Eccleſiæ ſtatum, alium apud nos eſſe. Patres enim, qui conſeruabant Eccleſiæ traditiones, erant fideles, incorrupti, integri à ſuperſtitione. Itaque aliquando innocentiæ ſuæ fiducia prouocant ad traditiones, nempe contra hæreticos, qui, vt ait Irenæus, quum ex Scripturis arguuntur, in accuſationem conuertuntur ipſarum Scripturarum. Ad iſtos hæreticos conuincendos, qui Scripturas ſine traditionibus inſufficientes fuiſſe clamitabant (quod hodie etiam faciunt Pontificii) Patres Eccleſiæ primitiuæ, ex fiducia bonæ conſcientiæ, quod ſe dogmata Scripturæ neceſſaria per verbi miniſterium tradita, cordibus ſuis fideliter retinuiſſe crederent: ita reſpondent nonnunquam, vt dicant, ſi Scripturæ nullæ extarent, tamen conuincere ſe poſſe hæreticos per traditionem, hoc eſt, per doctrinam à prædicatione acceptam, tradi- *lib. 3. cap. 2.*

a *lib.3.c 4.* tamque. Itaq; Irenæus scribit: a *Quid autem, si neque Apostoli Scripturas reliquissent nobis, nonne oportet ordinem sequi traditionis, quem tradiderunt iis, quibus committebant Ecclesias? Cui ordinationi assentiuntur multæ gentes barbarorum, sint characteres, & atramento scriptam habentes per Spiritum in cordibus nostris salutem.* In quam sententiam

b *lib. præscrip. cap.19.* Tertullianus ait: b *Non ad Scripturas prouocandum esse, nec in his constituendum certamen cum hæretico, sed disputandum esse, quibus competat fides, cuius sint Scripturæ, à quo, & per quos, & quando sit tradita disciplina, qua fiunt Christiani.* Quibus verbis non contra Scripturas disputat, aut hic, aut ille: sed hæreticos etiam sine Scripturis conuinci posse docent: quia si Scripturæ non extarent, tamen doctrina Scripturarum tam firmiter fidelium cordibus infixa erat, vt per eam hæretici facile conuinci possent. Si tamen ab istis duobus quæras, quomodo ipsi solerent refutare hæreticos? nonne per Scripturas? Negari non potest, hoc ab iis diligenter semper per Scripturas agi. Non ergo qui hæc dicunt, Scripturas accusant quasi imperfectas; nam de Scripturarum perfectione nihil addi potest ad ea, quæ ab istis dicuntur: sed hæc dicta primitiui seculi sanctimoniam fidemque probant. Illa enim tum virginis Ecclesiæ florebat pudicitia, vt hæretica figmenta nullum in Ecclesia locum inuenire possent. At nunc fidelis illa ciuitas ab Antichristo oppressa, violata, & nonnulla ex parte meretrix facta non eandem retinet in traditionibus castimoniam,

niam, fidem, & sanctitatem. Huius rei ratio est etiam à veteribus perspecta & prodita. Itaque autor operis imperfecti in Matthæum, obseruat, non eundem futurum Ecclesiæ statum sub Antichristo, qui fuerat viuentibus Patribus. a Docet enim, Ecclesiam Christi quondam variis modis distingui solitam à gentilitate: sed regnante Antichristo, nullam aliam viam reliquam futuram cognoscendi Ecclesiam veram, nisi tantummodo per Scripturas. Atque hæc etiam temporum ratio obseruata, ostendet, ex diuersitate temporis traditiones à Patribus receptas, quas propter venerandam ipsorum integritatem non habemus suspectas, longe alio habendas esse loco, quam Pontificias sub Antichristo excogitatas & extrusas, non tantum suspicionis, verum etiam superstitiosæ cæcitatis atque insaniæ plenas.

a *Homil. 49.*

4. Nec vero in traditionibus discernendis omnino negandum est, aliquas traditiones Apostolicas in Ecclesia reseruari. Dicam libere, quod sentio, paratus meliora monstranti libenter acquiescere. Sentio, quasdam traditiones Apostolicas conseruatas, semperque conseruandas in Ecclesia. Nec enim frustra Augustinus: b *Quod vniuersa tenet Ecclesia, nec Conciliis institutum, sed semper retentum est, non nisi auctoritate Apostolica traditum rectissime creditur.* Hæc ille. Sic probat, baptismum paruulorum esse traditionem Apostolicam. Sicut & ante illum Origenes: *Ecclesia*, inquit Origenes, *ab Apostolis traditionem suscepit, etiam paruu-*

b *lib. 4. de Baptism. contra Donatist.*

in 6 cap ad Rom. lib. 5.

in baptiſmum dare. Ab Apoſtolica etiam traditione ſuſcepimus genuinum Scripturæ canonem, & genuinum canonis ſenſum, per veram prædicationem, ſucceſſionibus Eccleſiæ conſeruatam. Hinc etiam diem Dominicam Eccleſia celebrat. Addam, quod Eccleſiæ patribus & filiis examinandum propono.

Apoſtolus 2. Theſſal. 2. hæc verba habet: *Nonne meminiſtis, quod iam, quum apud vos eſſem, hæc dicebam vobis? Et nunc, quid obſtet, noſtis, vt is ſuo tempore retegatur. Nam myſterium iam operatur iniquitatis, tantum qui nunc obſtat, obſtabit, donec de medio ſublatus fuerit.* Ex his verbis Apoſtoli, Patres magno conſenſu traditionem Apoſtolicam retinuerunt. Nam vbi quærunt, quid ſit, aut quis ſit, qui è medio tollendus eſt, quod obſtat, donec de medio tollatur, ne Antichriſtus retegatur, quam is de medio prius ſublatus fuerit: ad hanc quæſtionem Patres magno conſenſu reſpondent, hoc ſcilicet eſſe Romanum Imperium. Romanum dicunt Imperium eſſe, quod prius è medio tollendum eſt, quam Antichriſtus conſpicuus eſſe poſſit. Ita ſublato Imperio, Antichriſtum tandem, in eadem Imperii ſede, ſublimem extollendum, & vacantem Imperii ſedem occupaturum. Hæc habent Cyrillus Hieroſolymitanus *a*, Chryſoſtomus *b*, Oicumenius, Theophylactus, Tertullianus *c*, Lactantius *d*, Ambroſius *e*, Hieronymus *f*, Auguſtinus *g*, Primaſius *h*. Qui omnes vno conſenſu exponunt locum illum Apoſtoli de Antichriſto in Roma-

a *Catech.* 15.
b *in hunc lic.*
c *Apolo.* c 32.
d *lib.* 7. *c.* 17.
e *in* 2. *Theſſ.* 2.
f. q 11. *ad Algaſ.*
g *lib* 20. *cap.* 19. *de ciu. Dei.*
h *in* 2. *Theſſal.* 2.

Romana vrbe Imperii loco ſeſſuro. Ita hæc Apoſtolica traditio videtur, quam proximi ab Apoſtoli ore ſuſceptam, aliis deinceps tradiderunt. Loquitur enim Apoſtolus tanquam de re nota: *Nonne meminiſtis?* Iterumque: *Et nunc, quid obſtet, uoſtis.* Ergo de re nota loquitur, quam voce tradiderat, ſcriptis vero ſupprimit. Si quis quærat, quare Apoſtolus non aperte dixerit, Romanum Imperium deſtruendum, vt Antichriſtus retegatur? Reſpondet Hieronymus: a *Si aperte audaſſet dixiſſet, Non veniet Antichriſtus, niſi prius Romanum deleatur Imperium, tuſta cauſa perſecutionis in orientem tunc Eccleſiam conſurgere videretur.* Hæc ille. Ratio igitur euidens & conſpicua apparet, quare Apoſtolus ſcriptis noluit committi hoc, quod de Antichriſti reuelatione viua docuerat voce. Neque veremur, ſi quaſdam concedamus traditiones Apoſtolicas, ne feneſtram aperiamus Pontificiis figmentis. Neque enim quasliber pro libidine hominum impoſitas agnoſcit Eccleſia traditiones Apoſtolicas: ſed quæ originis ſuæ nobilitatem monſtrantes, in ipſis Scripturis radice ſua inhærent, deinde indubitata veteris Eccleſiæ confeſſione, & non interruptis, non litigioſis Patrum teſtimoniis confirmantur. Oſtendant nobis Pontificii traditionem ex tam cõſpicua Scripturæ veſtigiis prodeuntem; tanto Patrum conſenſu exceptam, omnibus in vnum conſentientibus, nemine interim contradicente; tanta Eccleſiæ experientia, rerumque euentu

a *ad Algaſ. q. 11.*

comprobatam; tantis rationibus communitam; & nos Apostolicam fatebimur.

5. Fit etiam aliquando, vt Patres traditiones non scriptas nimium videantur extollere. Vt recte intelligantur, æquissimam rem postulabimus. Ita accipiantur Patrum verba, ne sibi ipsis contradicentia posuisse videantur: & quum diuersa dicere videntur, sententia genuina Patrum ex ipsorũ verbis disertis agnoscatur, non ex nostris commentis. Hæc monui propter vnum Basilii locum. Nam quæ ex Epiphanio, Tertulliano, Augustino, aliisve adferunt Pontificii, omnia sunt vel de doctrina Scripturæ tradita, vel de ritibus externis, nec attingunt hanc quæstionem. Locus vero Basilii aliquid videtur in speciem continere, quo incauti possunt falli. Et quia Basilii verba acrius vrgent Pontificii, quasi traditionibus suis propensius fauentia, is locus erit nobis accuratius examinandus. Verba sunt huiusmodi: a *Quæ in Ecclesia seruantur, & prædicantur instituta, partim ex conscripto doctrina habemus, partim ex Apostolorum traditione in mysterio ad nos delata accepimus: quæ vtraq; pars ad pietatem vim habent.* Hæc ille.

a *lib. de Spiritu S. cap. 27.*

Respondemus, hunc locum nihil pro traditionibus Pontificiis facere; quia loquitur Basilius tantum de externis ritibus. Quod quum obseruasset Chemnitius: Respondet Bellarminus, Basilium non solum ritus quosdam, sed etiam quædam essentialia referre; vt confessionem fidei, id est, Symbolum Apostolicum,

licum, quod ex traditione habemus, & olei vnctionem in Sacramento Confirmationis. Hæc Bellarminus. In quibus egregiè sophistam agit. Nam quod de olei vnctione habet, & Sacramento Confirmationis: Respondeo, Basilium de Confirmatione nec vnum verbum facere: sed de Baptismo, a & de vnctione in baptismo: Hanc autem vnctionem nec ipsi Pontificii inter essentialia numerare solent. Certe Bellarminus ipse hanc vnctionem, quæ est in Baptismo, inter externos ritus connumerat lib. 1. de Sacrament. Baptism. cap. 25. Quod vero de fidei confessione refert, & symbolo Apostolico, quod ex traditione habemus: Dicimus, conseruationem Symboli in Ecclesia esse: ipsum autem Symbolum ex manifestis Scripturis. Et quantum hoc à proposito? Nam in Symbolo non continetur aliqua doctrina, quæ in Scripturis non habetur. Bellarmino vero, nisi prævaricari voluisset, aliqua doctrina non scripta producenda erat, quæ quum in Scripturis non habeatur, suscipienda tamen sit, tanquam verbum Dei. Quod nusquam facit. Fallere ergo voluit Sophista, quum dicat, Basilium quædam essentialia referre, vt confessionem fidei. Nam confessio fidei, & Symbolum Apostolicum, non continet doctrinam aliquam non scriptam. Deinde ipsa fidei confessio, & Symbolum ipsum, est quidem inter essentialia fidei: At Basilius loquitur de Symboli recitatione in Baptismo; quod inter externos ritus numerandum esse,

a ἀλλὰγὰρ διὰ τὸ ὕδωρ τὸ βαπτισμὸν, καὶ τὸ ἔλαιον τῆς χρίσεως, καὶ σφραγῖδα αὐτῶν τὸ βαπτιζόμενον τὸ ὄνομα τοῦ ἐλαίου τῆς χρίσεως, &c. Basilius ibidem.

quis neſcit? quis negat? Denique quicquid intelligat Baſilius per illa verba, τὴν ὁμολογίαν τῆς πίστεως, Pontificij cauſa cadunt: nam vel ipſum Symbolum intelligit, vel Symboli recitationem. Si Symbolum, nihil continet non ſcriptum. Quomodo igitur ex hoc loco probabunt Pontificii, verbum aliud non ſcriptum? Sin recitationem Symboli intelligat; de externis rebus agit. Ita ex hoc loco nihil adiuuantur Pontificij.

Quoniam vero de Baſilij ſententia diſputamus, ipſe ſui interpres optimus, exponat ſe, & mentem ſuam ſenſumq; aperiat. In Scripturæ auctoritate vindicanda nemo conſtantior Baſilio: in traditionibus non ſcriptis refutandis, quæ doctrinam continēt à Scripturis alienam, nemo fidelior. Epiſtola octogeſima docet, hæreticos obiicere Catholicis trium hypoſtaſeon doctrinam non eſſe in Scriptura. Quid Baſilius? Num traditionem vrget? Minime. Atqui ſi quis alius, profecto hic locus maxime opportunus erat pro iactandis traditionibus. Sed Baſilius traditionem reiicit, & conſulēdam monet diuinitus inſpiratam Scripturam. *Et apud quos*, inquit, *inuenta fuerint dogmata diuinis verbis conſonantia, his accedas veritatis ſuffragium.* Atq; hoc ipſo lib. de Spiritu S. ad eos, qui Patrū traditiones iactabāt, ſic reſpōdet: *a Sicut dixerunt patres noſtri, ita & nos dicimus: ſed hoc non ſufficit nobis, quod Patrum traditionē habemus, nam & illi Scripturæ ſenſum ſecuti ſunt.* Hæc Baſilius. Illuſtrem ergo regulam hāc de tradi-

a cap. 7.

tio-

tionibus Basilius fixit; secundum quam de Patrum omnium sententiis iudicandum censuit Basilius: vt agnoscamus Patrum traditiones, non quia ita tradunt illi, sed quia è Scripturis tradunt. Hæc Basilij regula incõcussa maneat, quoties de fidei controuersiis agitur. Ergo si quid Basilius ipse tradat non secundum Scripturas, reiiciendum erit, ipsius Basilij iudicio. Æquum profecto postulamus, vt Patrum testimonia secundum ipsorum regulas examinemus. Itaque quamuis hæc verba Basilij genuina esse concedamus, nihil tamen ex iis habent Pontificij, quo doctrinas suas non scriptas stabilire possint.

Sed hunc locum Basilij viri doctissimi suspectum habent, quod non sint Basilij verba, sed à quodam nebulone inserta. Nam quis veterum nefarias manus adulterantium antiqua scripta, effugere potuit? Neque enim soli Iesuitæ interpolatrices & expunctrices artes exercuerunt. In hoc libro Basilii, fraudem ex diuersitate styli, olfecit Erasmus nasutissimus in Patrum scriptis censor. Et profecto quemuis appello lectorem cordatum, qui paulo attentius Basilii scriptis assueuerit: num ea, quæ sunt in medio huius capitis vicesimi septimi, libri de Spiritu sancto, conueniant vel Basilio, vel præsenti disputationi? Basilius ingenii acrimoniam iudicii grauitate temperans, nusquam aberrat à scopo, nihil habet incommodum, aut inconsequens: semper vigilat, semper sui similis decurrit.

At

At hoc loco ſuſcepta diſputatio omnino perturbatur: aliud proponitur, aliud vero tractatur. Et quæ propoſitam diſputationem ſequuntur, nihil ad rem faciunt. Primum medio, medium imo diſcrepat. Quæ vero initio capitis proponuntur, optime cohærent cum illis, quæ in fine tractantur; media autem, quæ inſeruntur περὶ ἀγράφων, omnia impediunt, & initio, & fini plane contradicunt. Nam ſuſcepta diſputatio erat, vt oſtenderet, quam vim habeat hæc vox σὺν: quum dicitur, σὺν τῷ πνεύματι. & quomodo congruat cum Scriptura: πῶς συμφωνὸς ἐστι τῇ γραφῇ: hæc diſertis verbis proponuntur. Statim ſequitur illa diſputatio, de agraphis; cui diſputationi nullus erat hic locus. Deinde quum velut ad ſe rediit Baſilius, probat optime diſputationem initio ſuſceptam. Docet enim in fine capitis, quum dicimus, σὺν τῷ πνεύματι, nihil noſtrum dicere nos, ſed loqui ex canone Chriſti. Probat etiam rem ipſam, ſententiamq; eſſe Scripturæ: etſi verba non ſint; certe verba eſſe, quæ eandem vim habeant. Probat poſtremo, verba ipſa eſſe in Scriptura, idque ex Apoſtolo. Ergo inutilis erat omnis illa diſputatio περὶ ἀγράφων: vt, niſi hæc ab alio inſerta intelligantur, Baſilius ſibi cohærere non poſſit; nec Baſilius Baſilio reconciliari. Nam qui grauiſſimum doctrinæ caput probandum è Scripturis ſuſceperit (quod hoc loco ſuſcepit Baſilius, æqualitatem ſcilicet Spiritus ſancti cum Patre & Filio) quid huic negotii erit cum agra-

agraphis? cum traditionibus non ſcriptis? Deinde diſputat Baſilius, non de ritibus externis, ſed de graniſſima fidei controuerſia. Hæc autem, quæ inferuntur de non ſcriptis traditionibus, ſunt omnino in ritibus externis. Quid hæc ad controuerſiam fidei?

Et ne cui forte mirum videatur, quod in Baſilii ſcriptis verba quædam ab aliquo nebulone, improbo ſtudio, ſint interpolata: non erit abs re, ſi digreſſiuncula hoc loco referamus veterum hæreticorum audaciam, & impudentiam, in corrumpendis antiquorum ſcriptis. Ita facilius intelligemus Pontificiorum flagitioſas impoſturas, artesque ab ipſis inferis inter fumum abyſſi euocatas, quæ nunc inſano ſtudio à Tridentinis exercentur, in expungendis, reſecandis, interpolandis ſcriptoribus antiquis & recentibus. Incredibile equidem videri poterat, quod de antiquorum hæreticorum improbitate legimus, niſi eaſdem artes palam à Tridentinis multo maiori cum impudentia atque audacia tractatas hodie videremus. Ita tandem intelligimus, qui ſint, qui dicunt: Percuſſimus fœdus cum morte, & cum inferno fecimus pactum; quia poſuimus mendacium ſpem noſtram, & mendacio protecti ſumus. Eſa. 28. 15.

Teſtatur Cyrillus Alexand. Epiſtola, quæ in Chalcedonenſi Concilio habetur, actione prima, Athanaſij Epiſtolam ad beatum Epictetum, rectam fidem continentem, corruptam tamen ab hæreticis; in eaque quædam eſſe

esse inserta, atque immutata, ab Athanasii sententia aliena. In Concilio Florentino Græci hunc ipsum Basilii librum, de Spiritu sancto, corruptum queruntur. Latini sic respondent: Ex vetustissimarum vestrarum Synodorum actis appareat, corrumpendorum librorum vitium & malignitatem apud vos, à nostræ religionis hostibus ortum fuisse. Præterea hæreticis studium fuisse corrumpendi Basilii, constare potest ex quarta actione Concilii Niceni secundi. Nam Patres in illo Concilio hæretici, pro adoratione imaginum pugnantes, Basilium obtorto collo trahere laborabant in eam sententiam, vt scilicet libro de Spiritu sancto, cap. 30. dicat, honorem imagini exhibitum, ad prototypum referri: quum de imaginibus per totum illum librum nihil quicquam, vel vigilans, vel somnians protulerit Basilius. Hæc ideo protuli, vt qui dixerint Basilium corruptum alicubi ab hæreticis fuisse, nihil noui dixisse; imo vero cum magnis autoribus sensisse videantur. Et ratione maxima huc adducimur, quum manifestarios suppositores, velut in flagranti plagio deprehensos proferamus, neque nouæ sunt istæ artes apud hæreticos. Narrat Ruffinus in Apologia pro Origene, incredibilem hæreticorum audaciam in istis criminibus deprehensam. Exempla nos quædam ex Ruffino subiiciemus. Clementis libro, qui *Recognitio* inscribitur, ea sunt ab Eunomianis inserta, quæ Ecclesiastica regula omnino non recipit. Eadem de Clementis

tis Alexandrini libris narrat. Eadem de Dionyſii libris; propter quod Athanaſius compulſus erat, apologeticum pro libris eiuſdem Dionyſii ſcribere. Maxime vero iſtæ hæreticorum impoſturæ in Origenis libros inualuerunt; vnde & Pamphilus Martyr Apologeticum etiam edidit pro Origene. Origenis autem Epiſtolam profert Ruffinus querimoniæ plenam. Conqueritur enim Origenes, quod ſe viuente, libros ſuos corruptos edere auderent hæretici. Hilarius Pictauienſis viuens etiam, videnſque, idem paſſus eſt. Inter Cypriani Epiſtolas librum Tertulliani reprehenſibiliter ſcriptum, inquit Ruffinus, hæretici inſeruerunt. Adiiciam, inquit Ruffinus, vnius facti exemplum, quod eſt memoriæ recentioris, & quod omnes veterum fabulas vincat. Damaſus Epiſcopus, quum de recipiendis Apollinariſtis deliberatio haberetur, fidei editionem mandabat conſcribendam cuidam presbytero, cui editioni ſubſcriberent Apollinariani. Quum in ea hominem Dominicum legerent Apollinariani, offenſi, nouitatem verborum accuſant. Sed quum in Athanaſii libello eadem verba oſtenderentur vni eorum, ille, quaſi iam perſuaſus, rogauit ſibi dari codicem, quo & aliis ignorantibus, & contradicentibus, ſatisfaceret. Accepto codice, verba illa rasit, deinde eadem verba rurſus ſcripſit, quæ raſerat. Codex redditus, ſimpliciter receptus eſt. Mouetur iterum de iiſdem verbis quæſtio; ad probationem codex profertur:

inue-

inueniuntur verba, sed super lituram posita: fides Codici derogatur. Sed quoniam hæc viuenti facta sunt, & à viuente, fraus perspecta & nudata est, & infamia in sceleris autorem redundauit. Quod si tot ac tanta auderent hæretici in veterum scriptis adulterandis, quis Basilium intactum iudicabit? Imo vero, quis potest Patrum scripta tam impudenter ab hæreticis depranata, sine Basilii regula illa aurea suscipere: *Patrum scilicet traditionem recipiendam, non quia Patres ita tradunt, sed quia è Scriptura tradunt.*

Hæc diximus, vt Tridentinorum immanes impostoras in corrumpendis, expungendis, & interpolandis veterum monumentis obseruemus. Nam isti antiquos istos hæreticos, in mendacio magistros, sequuntur; imo Diabolum, mendaciorum patrem. Neque Basilium ideo respondemus corruptum esse, quia putemus, verba illa esse contra sententiam nostram, aut pro Tridentinis: sed quia verba illa Basilij non cohærent cum reliquo Basilio. Vera quidem sunt, quæ eo loco inseruntur, de ritibus externis non scriptis: vera sunt hæc, quis negat? Dicit Basilius, quæ in Ecclesia seruantur, & prædicantur instituta, vel ex doctrina conscripta, vel ex traditione esse. Quæ verba sic resolui possunt, vt quædam dicat esse, quæ seruantur, quædam quæ prædicantur. Quæ prædicantur, esse ex doctrina conscripta; quæ seruantur, ex traditione. Ita ex hoc loco nulla probatur doctrina

non

non ſcripta. Si quis putet Baſilium (vt demus hæc eſſe Baſilii) non recte de externis ritibus doctuiſſe, quùm ritus iſtos ita cum doctrina contulerit, vt vtraque dicat parem ad pietatem vim habere: Reſpondeo, non eſſe mirum, ſi ea nonnunquam Patribus excidant, quæ aliquando in ſcriptis noſtrorum hominum inueniuntur, quamuis nec male ſentientium, & ad doctrinæ puritatem plurimum vigilantium. Quis enim in hoc negotio Theodoro Beza vigilantior? qui tamen eodem modo diſciplinam cum doctrina contulerat, quo Baſilius hoc loco, vel quicunque hæc ſcripſit. Bezæ verba, Baſilii verbis parallela, ſunt hæc: *Si quis (hanc diſciplinam) vel per ſe, vt malam, damnare, vel nobis eripere conetur; illam non minus, quam ipſius doctrinæ defenſionem à nobis deſeri poſſe profitemur.* Hæc ille. Nimio fortaſſe affectu vterque de traditionibus non ſcriptis. Nam & diſciplinam illam, quam Beza cum doctrina contulerat, inter traditiones non ſcriptas numerandam eſſe conſtat. *a tract. contra Eraſtum, de excomm.*

Eligant iam Pontificii, vtrum velint hæc ab alio inſerta, vel genuina eſſe: ſi inſerta ſunt, quid vrgent adulterata ſcripta? ſi Baſilii ſunt, nihil habent, quod nos negamus. Quis enim negat ritus diſciplinæ externos non eſſe conſcriptos, aut in Scripturis expreſſe contineri? Quæcunq; autem de traditionibus non ſcriptis aliquando vel dixerit, vel ſcripſerit Baſilius, quæ incommodam ſententiam continere videri poſſunt: ea retractat Baſilius, tractatu

de Fide; quo loco sic scribit: *Manifestum est prolapsus à fide, & superbiæ certissimum argumentum, vel reijcere aliquid eorum, quæ scripta sunt, vel quicquam, quod non est scriptum, introducere; Apostolo vehementissime hoc prohibente, exemplo humani testamenti, cui nec detrahere, nec quicquam superaddere licet. Itaq; & vocem omnem, & cogitationem alienam à doctrina Domini nostri semper & vbique fugiendam, monet Basilius.* Deinde subiicit hæc verba: *Proposito siquidem, quod nunc tractamus, plurimum discrepante ab ijs casibus, in quibus aliter aliquando, vel scribendo, vel dicendo prouecti sumus; quia tunc refutatio hæresis, & subuersio Diabolica fraudis agebatur, nunc vero sanæ fidei confessio, & simplex ac genuina manifestatio proponitur.* Hæc Basilii verba, siue dicamus continere retractationem superioris sententiæ, siue eiusdem pleniorem, ac luculentiorem declarationem; illud certe constat, Basilium, vtcunque in Polemicis contra hæreticos, traditiones aliquando non scriptas adhibendas putarit, in controuersiis tamen de fide, omnia penitus reiicienda iudicare, quæ non ex manifestis Scripturis sumuntur. Iam vero quum tam diserte, tam accurate ipse mentem suam explicet; quis de Basilii sententia dubitare potest, nisi qui veritate reiecta, contentiosam obstinationem vnicum sibi scopum proposuit? In Basilio vindicando longiores fuimus; quia quum Aduersarii, ad ostentationem, & speciem plurima Patrum nomina producant, larvas scilicet, & stramineas imagines antiquo-

quorum, ad incutiendum terrorem meticulosis, & imbellibus: non ferendum videbatur, si nostrâ ignauiâ, vel vnicum ex antiquis nobis eripi pateremur. Indignum enim videri possit, si dolus & improbitas Aduersariorum in peruertendis Patribus plus valeret, quam industria nostra in eo, vt eosdem honoremus, intelligamus, & vindicemus ab infamia errorum istorum, à quibus ipsi se immunes, & inuiolatos, maxima sua cura & vigilantia præstiterunt. Hactenus de autoritate Scripturarum, de regula fidei, de iudice controuersiarum, de traditionibus non scriptis disseruimus; restat, vt de erroris huius origine quæramus.

CAPVT X.

De erroris origine.

DE origine errorum in controuersiis, quas tractandas suscepimus, eo libentius disputabimus, quia Pontificii contra nos semper obiicere solent religionem, sensumq; Patrum, & maiorum nostrorum: vt nos à viis patrum nostrorum aberrasse, imo vt nostro iudicio omnes maiores nostros damnatos insimulent. Necessaria igitur videtur hæc disputatio, vt postquam Ecclesiæ Catholicæ consensum aperuerimus, quumq; nostra cum Ecclesia superiori cõmunio cõstet: cognoscamus itidem, quinam sint, qui ab Ecclesiæ tam penitus recepta doctrina defecerint, & quando

hic defectus ignoscitur. Ita non solum nostra communio cum Ecclesia antiqua, sed & Patrum nostrorum communio cum Romana Ecclesia constabit. Quæ quidem Romana Ecclesia in maximis fidei negotiis, veritatem contra Romanam Curiam egregie confirmauerat, & conseruauerat. Quum igitur constiterit patres maioresque nostros in fide ac religione Romanæ Ecclesiæ, communionem retinuisse cum Ecclesia antiqua: Aduersarii nostri nihil contra nostram, nihil contra patrum nostrorum fidem producere possunt, nisi recentia quædam Romanæ Curiæ decreta: quæ quia in Ecclesia recepta non sunt, autoritatem apud nos promereri nullam possunt. Nos igitur, vt & maiores nostri perpetuam Ecclesiæ doctrinam secuti sumus, quæ doctrina ab Ecclesiæ primordiis vsque ad patrum nostrorum memoriam, cum antiquæ, tum vero Romanæ Ecclesiæ certissima testimonia habet. Aduersarios denique nostros, vtcunque antiquorum nomina iactent, originem erroris sui non ab Ecclesia, sed à Romana Curia traxisse constabit.

Vt igitur erroris huius origo aperiatur, non est huius mali antiquitas altius quærenda. Ignobile monstrum est in ipso Conciliabulo Tridentino nuper natum. Quamuis enim has artes antiquas hæreticorum inueniamus, vt traditiones non scriptas, ex iisdem Scripturæ locis proferre consueuerint, ex quibus hodie Pontificii eas colligunt; quia tamen nobis pro-

propoſitum hoc loco eſt, originem eorum, qui in Romanam Eccleſiam ſubrepſerunt, errorum obſeruare; antiquos hæreticos miſſos facimus; & erroris huius originem notamus, quum primum in Romana, quæ ſic dicitur, Eccleſia, locum inuenerit: quod profecto ante Tridentini Concilii tempora fruſtra quærimus. Nam Eccium, Prierium, reliquosque, qui primum contra Lutherum diſputarunt, commentum hoc latebat. Nam quæ è Scripturis probare non potuerunt illi, ea tum ſub Eccleſiæ titulo iactabant. Quæcunque Eccleſia ſtatuerat, ita tum defendebantur, quaſi parem haberent vim atque autoritatem cum iis, quæ è Scripturis manifeſtis producta fuerant. At qui in hac acie deinceps ſucceſſerunt, quum viderent cauſam ſuam verbi diuini gladio confoſſam, illuſtribus Scripturæ teſtimoniis obrutam: vt inane Eccleſiæ nomen contra tam manifeſtas Scripturas non videretur ſufficere: hoc tandem commentum excogitarunt, vt, quia nouas ſcripturas condere, opus arduum videbatur, magis compendiaria via graſſati, verbum Dei verbo Dei opponerent. Itaque duo poſtulata ſumunt: Primum, traditiones Apoſtolicas eſſe verbum Dei non ſcriptum, ac proinde cum verbo ſcripto pari reuerentia ac fide ſuſcipiendas. Alterum poſtulatum, quod ſumunt itidem, non probant, hoc eſt, Quicquid Romana Eccleſia tenet, ſeruatque, quod non poteſt probari è Scripturis, illud pro Apoſtolica traditione habendum

dum esse. Hoc illud est, quod Bellarminus in quinta traditionum regula sic profert: *Id sine dubio credendum est, ex Apostolica traditione descendere, quod pro tali habetur in illa Ecclesia, vbi est integra, & continuata successio ab Apostolis.* Et subiungit: *Quia defecit certa successio in omnibus aliis Ecclesiis, praterquam in Romana; ideo ex testimonio huius solius Ecclesiæ sumi potest certum argumentum ad probandas Apostolicas traditiones.* Hæc ille. Atque vt sensum istorum hominum certius teneamus, Petri à Soto verba etiam in eandem sententiam audiamus: *Infallibilis*, inquit, *est regula, & Catholica: Quæcunque tenet, credit, & seruat Romana Ecclesia, & in Scripturis non habentur, illa ab Apostolis esse tradita.* Et enumerat: *Oblationem sacrificij altaris, inuocationem Sanctorum, merita operum, primatum Romani Pontificis, consecrationem aquæ in Baptismo, elementa, verba, & effectus Sacramenti Ordinis, Matrimonij, & Extremæ vnctionis, orationes pro defunctis, enumerationem peccatorum sacerdoti faciendam, necessitatem satisfactionis.* Hæc ille.

Videmus ergo quam necessaria Aduersariis nostris sit hæc de traditionibus non scriptis contentio, quæ nullo negotio causam Pontificiam stabiliat: quæ omnes illas cogitationes, omnem illam sublimitatem, quæ extollitur aduersus cognitionem Dei, omnia denique istorum insomnia, tanta cum confidentia ac securitate recipienda docet, ac si in Scripturis exprimerentur omnia. Num quis magis

magis insignem in Spiritum sanctum contumeliam excogitare potuit, quam vt quæcunque profanis hominibus placuerint, ea omnia tam sancta, tam veneranda autoritate in Ecclesia valere debere affirmet: ac si Spiritus sancti dogmata ab ore Dei profecta, & in sacris Scripturis depositata forent? Quo impudentius sese in hac re iactat Antichristus, verba & institutas sua verbo Dei conferens: quoq; magis reuelatur homo ille peccati, & filius perditionis, opponēs sese, atq; effe. ēs aduersus Deum, adeo vt in templum Dei, supra Ecclesiam, tanquam Deus sedeat (nam qui verba traditionesq; suas ab Ecclesia recipiendas mādat, tanquā verbum Dei, nonne is supra Ecclesiā tanquam Deus sedet?) quo, inquā, furiosius sese effert Antichristus; eo certe maiorē nos fidem industriamq; adferre debemus, viri Academici, ne per nostrā locordiam in hoc abblādiente seculo, veritatē nobis eripi patiamur. De cōtrouersiis Pontificiis aliter fortasse iudicāt alij; Ego vero, vt, q; sentio, fatear, nullā existimo, nec in regno Pontificio, nec apud quoscunq; alios hæreticos, tā pernicioſam sentē iam, vllo seculo inualuisse, quā ea est, q̄ hodie sub traditionū nomine prōponitur. In qua Pōtificii ꝓ traditionibus pugnāt, nos ꝓ Scripturis, illi pro verbo suo, nos pro verbo Dei; illi de honore Papę solliciti, de ejusdē autoritate, amplitudine, potestate; nos de diuino honore. Neq; n. nobis cōcedi volum⁹, q; illis negam⁹, tantū sacris scripturis honorē suū vindicam⁹. Itaq; vel

apud peruicaces auditores facile constare potest, quinam sint, in quibus regnet amor veritatis, quinam sint etiam, quos spiritus erroris, & efficacia deceptionis transuersos abripiat; vt ludibrio habeant sactas Scripturas, cum quibus sua etiam commenta comparanda existimant.

Bellarminus, qui cum magnis antiquorum nominibus hanc aciem turbidus ingreditur, nihil nouum attulit: tantum profligatas quasdam cohortes recolligit, quas nostri multo ante dissiparunt: ad ea vero, quę nostri posuerunt, nihil omnino respondet. Mart. Chemnitius, quum traditiones in certas quasdam classes distinctas reposuerit, quas Andradius, aliiq; Pontificii consulto confusas esse voluerunt, vt sub communiori vocis significatione facilius fallerent, sicut sophistæ solent: sæpius atque accuratius monuit Aduersarios, si syncere agere velint, non debere eos ostendere è Patribus traditiones, quas illi, vel doctrinam è Scripturis traditam intelligunt, vel in externis ritibus esse volunt: sed ostendant id, quod est in controuersia, nempe dogma aliquod fidei suscipiendum esse, tanquam verbum Dei, quod non contineatur in Scripturis. Agimus Deo gratias, quod post aliquot secula in contentionis studio ablumpta, post tot volumina, tot clamores strepitusque, tot litigantium successiones, dum vnus contentionis funis trahitur, ac retrahitur; Aduersarii non potuerint ad hunc vsque diem vel vnam sententiam, vel vni-

vnicam antiquitatis vocalem proferre, qua probent semel, quod semper ingerunt, quod vbique ingeminant, quod ante Concilium Tridentinum Ecclesia Christi nunquam audiuerat: esse doctrinam aliquam fidei suscipiendam in Ecclesia, quæ è Scripturis probari non possit. Hoc illud est, quod iam per aliquot secula ab Aduersariis petimus. Prodeunt noui scriptores Iesuitæ, orbem terrarum voluminibus onerant. Clamores suos repetunt ranæ istæ, causam fugiunt. Quid Bellarminus? Egregius scilicet sophismatum artifex: semper in ambigua & communi verbi significat one sese abscondit, de traditionum distinctione horret audire. Ad ea copiosissimus est, quæ non sunt in controuersia. Illud vero, ad quod omnes Pontificios tam sæpe, tam sollicite reuocant nostri, ne leui quidem digito attigit. Clamoribus agunt. Antiquorum nominum nectatione, quasi vento omnia complent. Ad id, quod est in controuersia, muti sunt. Quid aliud facere possunt, qui mercede conducti, honoratiis stipendiis illecti, in præscriptam emissi militiam, iussi bellum contra sacras Scripturas concitare, iussi ingenium, literas, nerues omnes in hoc conuertere, vt hoc, tanquam ex Pythio oraculo profectum, adorent: Quæcunque Romana tenet, creditque Ecclesia, quæ è Scripturis probari non possunt, ea esse Apostolicas traditiones, esse verbum Dei non scriptum, sed verbo scripto conferendum. Atque hoc nusquam probant, tantum tan-

quam verbum Dei alieni adorant. Isti sunt Dii tui, ô Roma. Deus hic magnus est: & Deus necessario. Quis enim negare possit, Deum esse, cuius verbum est verbum Dei? Iesuitæ in eo mirifice sudant, vt dicant (non enim docent, non probant, dicunt tantum) verba, & traditiones, quascunque è cathedra probat Romanus Pontifex, esse indubitatum Dei verbum. Nonne igitur Papa Deus? Certe, atque etiam adorandus. Adorandum, affirmat Bellarminus, sed non vt Deum. Atqui adoratio soli Deo competit. Quum enim Matth. 4 10. Diabolus adorari voluit à Christo, reiectus est, quia solus Deus est adorandus. Solus Deus est adorandus, non ergo Diabolus. Solus Deus est adorandus: non ergo Diaboli primogenitus Antichristus. Et tamen Papa adorandus est, inquiunt, sed non vt Deus. Recte. Nam non adoratur vt Deus verus, sed vt Deus vanus, vt Deus alienus. Papa adoratur à Pontificiis: ergo Deus est adorantibus ipsum. Papæ verbum est verbum Dei: Papa igitur Deus est. Deum esse necesse est, cuius verbum est verbum Dei. Sed hic Deus non erat in principio, sicut nec hoc verbum huius Dei. Nam ante Concilium Tridentinum traditiones Ecclesiæ Romanæ non erant verbum Dei. Nuper igitur factum est verbum Dei, quod antea non erat. Nonne curuas animas merito dixeris, & cœlestium inanes, quibus vniuersa religio & fides in istis fictionibus consistit? Ad istos sco-

ſcopulos traditiones non ſcriptæ infanos homines adegerunt.

Vt igitur traditionum abyſſum intueamur: Si inuocatio Sanctorum, merita operum, Miſſæ ſacrificium, Romani Pontificis primatus, reliquaque huius generis, quæ nullo Scripturæ teſtimonio nituntur, probanda fuerint: hæc probatio elegans, & expedita videtur, ſi dicant, eſſe Apoſtolicas traditiones. Quid quæris amplius?

Atqui hîc nobis magnum occurrit myſterium, mirumque videtur, quod, qui negant, hæc è Scripturis probari poſſe, ſed tantum à traditione ſumenda eſſe docent: Scripturas tamen adducunt, vt ea, quæ è Scripturis probari poſſe negant, è Scripturis tamen probare velint. Verbi gratia: Primatum Romani Pontificis, affirmant, non è Scripturis, ſed ex traditione conſtare. At vero ad hanc rem confirmandam, Scripturas plurimas adducunt; nempe: *Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam.* Et: *Paſce oues meas*: & alias Scripturas eius generis. Si hoc non è verbo ſcripto, ſed è traditionibus, id eſt, è verbo non ſcripto petendum ſit; quare verbum ſcriptum adducunt? Audite abyſſum. Nam vt in myſterio CHRISTI, ſic in myſterio Antichriſti, abyſſus abyſſum inuocat. Verus ſenſus, inquiunt,

quiunt, horum verborum: *Tu es Petrus*: aut eorum, *Pasce oues meas, &c.* ex traditione petendus est. Traditio autem Romanæ Ecclesiæ verba illa ad Romani Pontificis principatum stabiliendum conuertit. Atque hoc satis est.

Sed vt in aliam abyssum feramur: sensus hic Pontificius eorum verborum primum inuentus est in Decretalibus antiquorum Pontificum Epistolis, quas confictas fuisse, affirmant plurimi Pontificii scriptores: nec audet Bellarminus negare. Nam Patres, qui plurimi ista Scripturę verba interpretantur, non istum verborum sensum, sed longe alium affernnt. Quod ergo è Scripturis probari non potest; quod à Patribus Scripturæ sensum tradentibus reiicitur; quod ex Pontificum Epistolis primum producitur, vel ipsorum Pontificiorum iudicio, confictis falsatisque: illud quia sic tenet Romana Ecclesia, erit Apostolica traditio, verbum Dei non scriptum, non minori reuerentia & autoritate suscipiendum, quam verbum scriptum. Hic Pontificii viri docti & nasuti sese expediant. Sensus horum verborum, *Pasce oues meas*, aliorumque eius generis, sicut hodie est in Romana Ecclesia receptus, estne traditio Apostolica? Est plane, per infallibilem regulam, inquit Soto. Est sine dubio, inquit Bellarminus. Atqui hanc Apostolicam traditionem, id est, illum Scripturæ sensum, vnde primum habuit Romana Ecclesia? Ex Decretalibus Epistolis. At Epistolas illas omnino confictas fuisse, testantur

lib. 2. cap 14. de Rom. Pont.

Pon-

Pontificii. At continent verbum Dei non ſcriptum, traditiones Eccleſiæ Romanæ ſactis Scripturis conferendas. Vel ſeſe Romanus anguis in omnia conuertat, ſicut Proteus, nunquam tamen ſophiſtica lubricitate elabetur: vel confiteatur, non eſſe Apoſtolicam traditionem verbo ſcripto conferendam, quicquid Romana tenet Eccleſia, quod è Scripturis probari non poſſit: vel concedat, non dico hominum ſcripta, ſed nequiſſimorum nebulonum figmenta ſactis Scripturis comparanda eſſe.

Denique poſtremo loco reuocemus, quæ prius monuimus, Pontificios antiquorum hæreticorum filios, parentum ſuorum veſtigiis inhærere. Quum olim à Patribus è Scripturis conuincerentur hæretici, nec ſe poſſe Scripturarum teſtimoniis deliria ſua probare viderent, ad ſacrum illud κηποφύλαξ recurrebant, habere ſe ſua dogmata ex traditione Apoſtolorum. *a* Euſebius teſtatur, Artemonem ad hæreſis ſuæ confirmationem attuliſſe, eam ſcilicet antiquitus ab ipſis Apoſtolis traditam fuiſſe. Baſilides hæreſis ſuæ teſte *b* Clemente, magiſtrum proferebat Glauciam, qui, ſicut ipſe gloriatur, fuit Petri interpres. Hæreſes, quæ à Valentino, Marcione, Baſilide appellatæ ſunt, gloriantur, ſe Matthiæ opinionem adducere, inquit idem *c* Clemens Alexandrinus. Plura in hanc ſententiam ſuperius annotauimus ex Irenæo, Tertulliano, Athanaſio, Auguſtino, qui hanc antiquam hære-

a *lib. 5. ca. 28.*

b *Clem. Strom. li. 7.*

c *ibid.*

hæreticorum fraudem aperuerunt, vt quæ è Scripturis probare non possent, ea ad Apostolorum traditiones non scriptas retulerint.

At omnes istos hæreticos, quanquam traditiones suas ad Apostolos referentes, sese etiam verbum Dei non scriptum, sed traditum habere iactantes, Patres veris Scripturæ testimoniis refutabant. Quum igitur eundem abyssi puteum aperiat Romanus Pontifex, Angelus ille abyssi, vt locustas suas è traditionum fumo emittat, quia rex est locustarum: Vtcunque locustæ istæ de traditionibus glorientur, vtcunque os in cœlum aperiant, sordes suas in sanctum sanctorum iectent, traditiones Apostolicas ex confictis & corruptis lacunis hauriant, libros falsatos & suppositios non solum in lucem, sed & in cœlum efferant, Scripturas nouas, & Sacramenta noua excudant, Patrum genuina scripta per indices expurgatorios infringant, commutent, corrumpant; vtcunque tartara cœlo, & lucem tenebris immisceant: Nos tamen per viam regiam, quam ante nos sancti Patres tenuerunt, incedentes, Patrum nostrorum inhærentes vestigiis, nihil istas laruatas locustas metuemus. Nec istorum hominum aut ferocia, aut insania, aut inanis confidentia impediet nos, imo vero expeditos magis, ac vigilantes acuat, atque excitet, vt & Deo suam gloriam, & sacris Scripturis suum honorem, & Patribus suam reuerentiam exhibeamus.

Nec

Nec moramur audaculas iſtas locuſtas, quanquam faſtigio turgentes, capillis mulierum, ac dentibus leonum armatas, quæ eſt eorum nota iam, & perſpecta omnibus laſciuia cum ſanguinaria crudelitate coniuncta. Vtcunque præ ſe ferant equorum ſpeciem, qui iam ad bellum parantur: quæ omnia furores iſtos præmonſtrant, quos iſti in ſanctos quotidie excitant, coniurationes, bella, cædes, clades, quas per orbem terrarum, per ſingulas regiones, per oppida, per domos, armis, veneficiis, puluere tormentario, ſecretis conſpirationibus meditantur, & conflant: vtcunque iſti ita palam in furores ferantur, vt furentem ipſorum audaciam nec cohibere, nec diſſimulare poſſint: Nos tamen in Chriſti aduentum ſpe atque expectatione propendentes, omnia pericula, quæ nobis propter veritatem intentantur, vel contemnendo, vel ſubeundo, magno animo, hoc eſt, Chriſtiana tolerantia vincimus.

SECVN-

SECVNDA CONtrouerſia,

DE ECCLESIA.

THESES PONTIFIciorum.

Noſtra ſententia eſt, Eccleſiam vnam tantum eſſe, non duas, & illam vnam, & veram, eſſe coetum hominum eiuſdem Chriſtianæ fidei profeſſione, & eorundem Sacramentorum communione colligatum, ſub regimine legitimorum paſtorum, ac præſertim vnius Chriſti in terris Vicarij, Romani Pontificis. Bellarm. lib. 3. cap. 2. de Eccleſia.

Vt aliquis abſolute dici poſſit pars veræ Eccleſiæ, de qua Scripturæ loquuntur, non putamus requiri vllam internam virtutem, ſed tantum externam profeſſionem fidei, & Sacramentorum communionem, quæ ſenſui ipſo percipitur. Bellarm. ibid.

CAPVT I.

Via quærendi, ratio, & inueniendi Eccleſiam demonſtratur.

QVum Eccleſiæ Catholicæ nomine, & nudo titulo glorientur Pontificii, erroresque varios, tanquam ſub Eccleſiæ velo recondant, vt tenebras iſtas excutiamus, inprimis neceſſarium erit, è Scripturis Patribusque exquirere, quid ſit Eccleſia Catholica, tum qua ratione cognoſcatur. Ita enim fucus omnis

omnis aperietur, quum constiterit, per Ecclesiam Catholicam longe aliud intelligi, quam quod somniant Pontificij.

Duo sunt, quæ Ecclesiam maxime ostendunt, Caput, & Membra: quorum ignorantia facit, vt plurimi hodie Ecclesiam quærentes errẽt. Ante ostium subito scotomate percussi, sicut viri Sodomitæ ante ostium Loth ceciderunt. Qui hæc duo recte nouerit, Ecclesiam ignorare non potest; qui hæc non recte tenuerit, Ecclesiam nunquam inuenict. De his duobus inter Ecclesiam Catholicam, & partem Tridentinam, magna est hodie controuersia. Caput Ecclesiæ ponunt illi, Romanum Pontificem; nos vnicum CHRISTVM agnoscimus: Membra Ecclesiæ Catholicæ statuunt illi etiam homines malos, in quibus nulla est interna virtus, sed tantum externa professio fidei, & Sacramentorum communio, quæ sensu ipso percipitur; at Ecclesia Catholica semper docuit, membra Ecclesiæ Catholicę non esse alios, quam homines iustificatos, & sanctificatos, in quibus est vera fides, & gratia Christi, quæ sensu non percipitur.

Hanc igitur controuersiam de Ecclesia, omnium grauissimam intelligunt Aduersarii. At in quærenda Ecclesia, præscriptionibus suis imperitos circumducunt, vt nisi Ecclesia Romæ quæratur, frustrà quæri videatur. At nos Catholicam quærimus Romanæ Ecclesiæ matrem. Hinc enim habuit Romana, vt sit Ecclesia, si modò sit Ecclesia. Ipsam sponsam quę-

rimus, non filias sponsæ, non ancillas. Respondent Tridentini, Romanam Ecclesiam esse ipsam sponsam, Papam vero sponsum. Sic Bellarminus. Sed non satisfaciunt. Nam Ecclesia Catholica non est adultera, sed vni tantum viro coniuncta, nempe Christo. Quæ igitur Romano Pontifici, id est, alteri viro coniuncta est, sponsa Christi quomodo potest esse? Neque enim sanctus Apostolus Paulus ausus est se sponsum dicere, sed seruum sponsi, qui Ecclesiam sponso desponsaret, vt vni viro virginem castam sisteret Christo. Iohannes Baptista, quo maior non est ortus inter natos mulierum, nunquam se sponsum nominare ausus fuit, sed amicum sponsi. Et ne quis sit fallaciæ locus in quærenda Ecclesia, alle amicus sponsi (qui ad hoc præcurrit, vt ostenderet) ostendit, inquam, Christum per Ecclesiam, & Ecclesiam per Christum. Qui habet sponsam, sponsus est: amicus autem sponsi, qui stat, & audit eum, gaudio gaudet propter vocem sponsi; hoc ergo gaudium meum implerum est. Quibus verbis tria docet: 1. Quis sit sponsus: 2. Quæ sit sponsa: 3. Qui sint amici sponsi, siue membra sponsæ. Sponsus est, qui habet sponsam, hoc est, vnus Christus est, qui habet Ecclesiam suam. Habet autem sponsam, quia peculiarem sibi, & propriam tenet, sicut vir vxorem propriam. Habet, quia diligit, ducit, regit: ita Christus cognoscitur per Ecclesiam. Nec minus Ecclesia per Chri-

Bellarm. lib. 2. cap. 31. de Rom. Pont.

2. Cor. 11. 2.

Ioan. 3. 29.

Christum. Nam sponsa est, quæ habetur à sponso, id est, quæ ab vno viro tenetur, ab vno pendet, non se alteri prostituit: ab vno diligitur, ducitur, regitur. Sic Ecclesia cognoscitur per CHRISTVM. Amici etiam sponsi, & membra non minus innotescunt: Amicus sponsi stat, & audit vocem sponsi, & gaudio magno gaudet propter vocem sponsi. Membra enim Ecclesiæ cognoscunt, se membra esse ex delectatione, quam habent in voce CHRISTI: quia oues Christi vocem eius audiunt; alienum autem fugiunt. Itaque ad regenda ac dirigenda Ecclesiæ membra, nulla alia restat via aut regula, quam vox & doctrina Christi in Scripturis sonans. Quantum hæc sunt omnia apud Pontificios mutata? Pro Christo substituunt Romanum Pontificem. Imo, inquiunt, nos CHRISTI Vicarium agnoscimus in vniuersa Ecclesia Romanum Pontificem. At viri isti boni intelligere nolunt, sponsum in lecto suo Vicarium non instituisse. Pro sponsa ostendunt isti nobis Romanam meretricem: pro amicis sponsi, homines impuros, in quibus nulla est virtus: pro voce sponsi, verbum suum non scriptum. Dominus noster IESVS CHRISTVS peregre profectus, vt regnum suum acciperet, reliquit sponsam hic suam, quam amicis suis commendauit. Romanus Pontifex, qui quondam erat vnus ex amicis sponsi, qui-

bus Christus sponsam suam dilectam commendauerat; fidem suam violauit, & non iam custodem, aut amicum se, sed adulterum ostentat. Pulchre Augustinus: a *Ponite*, inquit, *aliquem peregre profectum commendasse amico suo sponsam. Vide, quæso te, charus meus es, ne forte me absente, pro me aliquis ametur. Qualis ergo ille, qui custodiens sponsam vel vxorem amici sui, dat quidem operam, vt nullus alius ametur, sed fisc amari pro amico voluerit, quam detestandus vniuerso humano generi apparet.* Hæc Augustini verba Romani Pontificis caput demulcent. Iraque pergit Augustinus: b *Quare tibi vis arrogare, quod tuum non est? Vsq; adeo absens est, qui hic reliquit sponsam suam? Nescis, quia ille, qui à mortuis resurrexit, ad dexteram Patris sedet?* Et mox de gaudio amici, propter vocem sponsi: c *Non, inquit, gaudeo propter vocem meam, sed propter vocem sponsi gaudeo. Ego sum in audiendo, ille in dicendo: Ego sum illuminandus, ille lumen: Ego sum auris, ille in verbo.* Chrysostomus in eandem sententiam: d *Sponsalia hæc fiunt, per vocem sponsi videlicet, & doctrinam. Ita Ecclesia consiliatur Deo. Quamobrem Paulus inquit: Fides ex auditu, auditus autem per vocem Dei.* Ambrosius etiam: e *Qui habet sponsam, sponsus est: hoc est, ipse solus est vir Ecclesiæ.* Hæc ille. Videmus igitur ex Patrum iudicio, quam se humano generi detestandum exhibuerit Romanus Pontifex, qui primus in Ecclesia se sponsum vocari voluit. Iohannes Baptista, & Apostoli, seruos se, ministros, & amicos sponsi profitentur, & nemo

a *tract. 13. in Iohan.*

b *ibid.*

c *ibid.*

d *Homil 28. in Iohan.*

e *lib. de benedictionib. Patriarch. cap. 4.*

mo se sponsum vocare ausus fuit ante Romanum Pontificem. Num ergo filius iste perditionis latére potest, qui se Apostolis maiorem iactat? Illi se tantum ministros & amicos sponsi professi sunt, iste autem sic proclamat in Ecclesia: Ego sum sponsus, & Ecclesia est mea sponsa. Illi non se habere sponsam, sed vni viro, nempe Christo, desponsare eam satagebant, & in sponsi voce ac doctrina exultabant: iste autem vocem suam, tanquam oracula sponsæ proponit, nec audit vocem sponsi cum gaudio, sed sponsæ dominatur cum superbia & ludibrio. Aliena sunt hæc à Scripturis, aliena à Patrum iudicio. S. Bernardus quasi orientem prospiciens hanc immanem barbariem, & superbiam, Eugenium sic admonuit: a *Si amicum sponsi es, ne dixeris dilectam eius, principem meam, sed principem, nil tuum in illa vindicans, nisi quod pro ea, si oportuerit, etiam animam dare debes.* Hæc Bernardus. a *Epist.* 237.

Quærimus ergo Ecclesiam, hoc est, sponsam Christi, non Petri, non Pauli, non Iohannis Baptistæ, non Papæ, sed Christi sponsam. Si enim omnia Papæ tribuamus, quæ vel Apostolo Christi tribuenda sunt, hoc certe ei non debemus dare, quod negamus Apostolis, vt sit sponsus Ecclesiæ. Itaque inter alios Antichristi titulos hunc etiam sibi arrogare ausus est Romanus Pontifex, quem neuro Prophetarum aut Apostolorum arrogare potuit. Quomodo igitur inueniemus, quam quærimus dilectam illam, pudicam, castam,

vnicam columbam, hortum conclusum, fontem signatum, puteum aquæ viuæ, paradisum cum fructu pomorum. Istis enim titulis, ad nostros amores excitandos, ad nostram diligentiam obstrmandam, in quærendo rem tanti pretij, sponsum suam insignivit sponsus. Si inuisemus loca illa, in quibus quondam hospitari solebat hæc sancta Ecclesia, videmus omnia mutata: vrbem quondam fidelem, factam nunc meretricem. Nec miramur, si mortalia mutentur. Nam in istis locis non erat hæreditas sponsæ, in quibus ipsam videmus pressam, pulsatam, dejectam, & de immortali sua hæreditate suspirantem.

Sed quis nos melius adiuuare poterit in hoc scrutinio, in quo sponsam scrutamur, quam sanctus ille amicus sponsi, qui hanc nobis lucem præfert: Qui sponsam habet, sponsus est: amicus autem sponsi gaudio magno gaudet propter vocem sponsi. Quæris, quæ sit vera Christi Ecclesia? Respondet eam esse, quam habet Christus sibi vni, quæq; regitur & delectatur voce sponsi. Vox autem sponsi sunt sacræ Scripturæ. Ad hanc vocem Iohannes remisit omnes, qui volunt esse amici sponsi, & membra sponsæ. Ecclesia igitur optime cognoscitur per Scripturas. At clamant Pontificij, Scripturas cognosci per Ecclesiam. Neq; illud negamus. Mutuas enim operas inter se præstant Scriptura & Ecclesia. Quæris, quænam sint canonicæ Scripturæ, atque harum

rum Scripturarum quis sit sensus, quæ intelligentia? Ecclesia hoc docet. Alias enim Scripturas suscipere non audeo, nisi quas Ecclesia demonstrauit canonicas esse. Quærimus, quænam sit Christi vera Ecclesia? vbi quærenda? Scripturæ nobis illud demonstrant. Aliam enim Ecclesiam non audeo agnoscere, nisi quam veram esse sacra probauit Scriptura. Sed pergunt vltra contentiosi homines, & quærunt ex istis duabus rebus, cuius maior sit autoritas? Scripturæne, qua Ecclesiam cognosco? an Ecclesiæ, per quam Scripturas agnosco? Magnum est, quod quæritur; sed si contentionis studium ponatur, via quæsitæ veritatis non magno sese labore ostendet illis omnibus, qui cum humilitate quærunt, quod cum charitate retineant. Vtrumque est res DEI, Ecclesia, & Scriptura. Ecclesia est regnum DEI, Scriptura est verbum DEI. Sed hoc regnum administratur per illud verbum. Ecclesia parit filios DEO, Scriptura sapientiam DEI continet. Sic isti filii sunt per hanc sapientiam. Quum vero sapientia illa autoritatem habeat in filios sapientiæ: certe verbum DEI, quæ est sapientia Ecclesiæ, autoritatem obtinet in Ecclesiam, atque in filios DEI, non autem illi in hanc sapientiam. Mutuas ergo operas præstant Ecclesia, & Scriptura; sed autoritas est Scripturæ, ministerium vero Ecclesiæ. Ostendit Ecclesia Scripturas, sed ministerio suo: Ostendit Scriptura Ecclesiam,

siam, sed autoritate sua. Recte ergo faciunt, qui Scripturas, earumq; sententiam in Ecclesia quærunt, quia Ecclesia est columna, & stabilimentum veritatis, nempe quæ ministerio suo custodit, confirmat, & prædicat veritatem. Et recte faciunt, qui Ecclesiam in Scripturis quærunt, quia amici sponsi, vocem sponsi summo gaudio excipiunt: quia oues Christi vocem pastoris sui audiunt.

Quum vero Scripturæ prædicamus autoritatem, Ecclesiæ autem ministerium: non simpliciter negamus Ecclesiæ autoritatem. Ecclesia enim ministerio suo exercendo, habet autoritatem, & in filios suos, & contra omnes inimicos suos. Verum quoties inter Ecclesiam & Scripturas instituitur comparatio: autoritas est Scripturæ, ministerium tantummodo Ecclesiæ. Nam quæ autoritatem in suos habet, & contra inimicos, omnes hæreticos; non habet in Scripturas aliquam, sed à Scripturis habet omnem. Itaque quum in sacris Scripturis legimus; Ecclesiam esse domum Dei viuentis, columnam & stabilimentum veritatis; ministerium tantummodo intelligitur: quia fidem continet, & prædicationem, inquit Chrysostomus. Nam columna dicitur, & firmamentum veritatis, non à natura sua, sed ab officio suo. Ac proinde Apostolus de Ecclesia Israelitica differens, affirmat, illis concredita fuisse eloquia Dei. Atque hinc est, quod Ecclesia columna dicitur, & firmamentum, ab eloquiis Dei, quæ concredita Ecclesiæ esse docet

1. Tim. 3. 15.

Rom 3. 2.

docet Apostolus. Hæc omnia officium & ministerium demonstrant. Quoties igitur sancti Patres de autoritate Scripturarum loquuntur, solent dicere, *autoritatem mirabilem, summum & cœleste autoritatis culmen, autoritatis fastigium.* Hæc passim apud Augustinum aliosq; leguntur. At iidem Ecclesiæ demonstrantes ministerium, Ecclesiam proponere solent, Scripturas legentem, Scripturas docentem, Scripturis credentem, Scripturas tanquam cœlestes thesauros custodientem. Hæc omnia ministerium probant.

Quia vero in hoc ministerio suo, autoritatem habet in suos filios, & contra hæreticos: secundum autoritatem sacrarum Scripturarum, quæ summum retinent autoritatis fastigium; sanctæ Ecclesiæ autoritatem maxime veneramur, qua maiorem in hoc mundo non inuenimus. Siue igitur quæramus Ecclesiæ ministerium ad Scripturas legendas, docendas, tractandas, aperiendas: siue autoritatem in nos, qui in hoc gloriamur, quod sumus filii matris Ecclesiæ: Vbinam vel vtilius quæritur, vel certius inuenitur hoc ministerium, hæc autoritas, quam in sacris Propheticis & Apostolicis Scripturis? Deinde post Prophetas & Apostolos, apud sanctos & venerandos Patres? in quorum ministerio, Ecclesiæ ministerium, in quorum autoritate, Ecclesiæ autoritatem magna ex parte constitutam videmus. Quid ergo, dicet mihi quispiam, num quæris Ecclesiam in Ecclesia? Ego vero hoc ipsum

ago. Et post diuinas Scripturas interrogabo matrem meam, vt sese ostendat: & vbi quærenda sit Ecclesia, ipsa doceat Ecclesia. Nec meruam fraterculorum clamores, nec me impedient noui isti turbatores, quo minus Ecclesiam Christi me certo inuenisse sperem, quum & certissima Scripturarum auctoritate, & fidissimo Ecclesiæ ministerio, & confessione constiterit, quænam sit illa, quam quærimus, Ecclesia Dei. Nam indubitatam Ecclesiæ de se confessionem, indicabunt nobis Patres illi sancti, & venerandi, quos gloriosos filios suos Ecclesia Christi per diuersa secula peperit, atque educauit.

De notis Ecclesiæ, quibus cognoscatur, multas turbas concitare solent, qui tenebras quærunt. Bellarminus quindecim notas seu proprietates posuit. Alii aliæ. Nos vero, quia de re maxima, de Ecclesiæ Catholicæ possessione agitur, non sequemur turbulentam disputationem, sed præsidia certa causæ nostræ ponemus in illis proprietatibus, quæ sunt tam manifestæ, tam claræ, tam apud omnes confessæ, rem ipsam, quam quærimus, tam euidenter demonstrantes: vt eas nemo (qui de Ecclesia quicquam audierit) ambigat continere certissimam Ecclesiæ descriptionem: quas tamen tam manifestas notas fugit Cardinalis Bellarminus, tanquam latro crucem. Qui igitur nos profitemur Christianos, credimus in Symbolo Apostolico, Ecclesiam sanctam, catholicam, Sanctorum communionem.

nem. Alias notas, vt cuique placet adiiciat. Nos ioptimis istas exequiemus; quæ sine dubio Ecclesiam demonstrant: neque tam notas Ecclesiæ, quam ipsam rei euidentiam sequemur. Si ad hanc formam erecta constituerit Ecclesia Romana, dabimus ei honorem reuerentiamque matris, veram Dei Ecclesiam esse fatebimur, nos ipsos denique accusabimus, quod ab hac Ecclesia discessimus: Sin vero Romana hæc Curia, quam Pontificii quidam Romanam Ecclesiam vocant, tantum absit ab hac forma, quam è Symbolo traditam tenemus; vt nulla in re conueniat: defectionis & separationis crimen in illos recidet, qui ab ea defecerunt Ecclesia, quam in Symbolo profitemur omnes Christiani, quam solam veram esse credimus. Quid si ipsorum Pontificiorum confessione probauerimus, Ecclesiam nunc Romanam, nec esse sanctam, nec catholicam, nec sanctorum in ea esse communionem? Nonquid causæ est, quod litem nobis coram vero & iusto Ecclesiæ iudice vlterius intentent, qui istas notas, quæ sunt Ecclesiæ proprietates, prorsus inseparabiles, ita à seipsis reiiciunt, vt nihil ad se pertinere arbitrentur? Quæstio agebatur inter Booz & illum agnatum eius, coram senioribus populi, vter ex illis vindicaret agrum Elimelechi. Agnatus ille, sibi debere, clamabat, seque vindicaturum dicebat. Esto, inquit Booz: sed possessio illa hanc habet legem annexam, vt vna cum agro illo, Ruthan etiam Moabitidem vxorem accipias. Ruth. 4.

cipias: quo audito, agnatus ille renuntiat agro. Quæstio itidem coram senioribus Ecclesiæ hodie agitur, inter nos, & Pontificios, de Ecclesiæ possessione. Clamant Pontificii, possessionem illam ad se pertinere. Respondemus illis, si ius suum ostendere velint, intelligant vna cum hac possessione, sponsam Christi se vindicare debere, sanctam, catholicam, sanctorum communionem. Quod si huic sponsæ renuntiant, profecto Ecclesiæ possessionem tenere non possunt. Nos igitur singulas istas notas Ecclesiæ examinabimus ordine. Prima Ecclesiæ proprietas est, vt sit sancta.

CAPVT II.

Credo Ecclesiam sanctam.

SAnctam credimus Ecclesiam, cuius omnes sordes Christus suo sanguine abstersit: vt
Ephes. 5. 26. sanctificaret eam, & mundaret lauacro aquæ per verbum: vt sisteret eam sibi gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam, aut rugam, aut quicquam huiusmodi, sed vt esset sancta & inculpata. Hæc autem sanctitas est à
Ephes. 4. 16. Capite in membra, vt membra omnia adolescant in eum, qui est caput, nempe Christus: ex quo totum corpus congruenter coagmentatum, per omnes commissuras, ex vi intus agente, pro mensura vnius cuiusque membri, incrementum capit corpori conueniens, ad ipsius ædificationem per charitatem.

Ex istorum locorum collatione facile constat,

ſtat, Eccleſiam ſanctam eſſe duobus modis. Primo imputatiue, deinde inchoatiue. Imputatiue, cui ſanctificatio Chriſti imputatur: atque hoc modo Chriſtus ſiſtit ſibi glorioſam Eccleſiam, inculpatam, ſine macula aut ruga; nempe imputatione ſanctitatis ipſius, quæ vna eſt, & ſola ſine macula & ruga. Itaque docet Apoſtolus, Chriſtum à Deo nobis factum ſa- 1 Cor. 1. 30.
pientiam, iuſtitiam, ſanctificationem, & redemptionem. Nam ſapientia illa, atque illa iuſtitia, illa ſanctificatio, quæ Deo placeat, & ſatisfaciat, perfecta eſt: nihil enim imperfectum Deo placere aut ſatisfacere poteſt. Noſtra autem ſapientia ſtultitia eſt, nempe ſapientia carnis, quæ inimica eſt Deo; Legi enim Dei non Rom. 8. 7.
eſt ſubiecta, nec ſubiici poteſt. Noſtra iuſtitia Eſa. 64. 6.
eſt quaſi pannus menſtruatæ. Vt igitur coram Deo noſtro ſiſtamur, ſanctificemur oportet ſanctificatione perfecta: quod quia noſtra inhærente ſanctitate fieri non poteſt; idcirco ex Dei concilio & beneplacito, Chriſtus factus eſt nobis à Deo ſanctificatio. Hæc eſt illa perfecta noſtra ſanctificatio, ſanctitas Chriſti nobis credentibus imputata. Deinde Eccleſia eſt etiam ſancta inchoatiue, propter renouationem. & nouam obedientiam, quam Spiritus ſanctus, qui datus eſt credentibus, operatur in ipſis, & quotidie auget per charitatem. Hoc eſt quod docet Apoſtolus, omnia Eccle- Eph. 4. 16.
ſiæ membra incrementum accipere à Capite, ad ipſorum ædificationem per charitatem. Eccleſia ergo eſt corpus Chriſti: membra ve-

ro

rò Ecclesiæ, hoc est, membra huius corporis, cuius caput est Christus, accipiunt virtutem & sanctificationem à Capite, & in hoc corpore consistunt per charitatem. Sic nos docuit verbum Dei; vox sponsi, quæ nec falli, nec sponsam fallere potest.

Ex hoc initio statim excluſos ab initio videmus omnes Pontificios hodiernos, & suâ quidem confessione excluſos. Nos sanctam Ecclesiam credimus: negant illi, hanc sanctitatem requiri in Ecclesia sua. Num igitur quicquam proferre possunt; quare non reiecti haberentur ab Ecclesia sancta, qui in Ecclesia, quam vnam profitentur, sanctitatem non requiri contendunt? Neque vero nos hæc dicimus in eorum mores profanos, impudicos, sanguinarios, ne conuitium protuliſſe nos insimulent: quanquam hæc omnia sine conuitii suspicione, orbi iam vniuerso cõstent. Verum ipſorum professionem doctrinamque proferimus. Publicè enim hoc profitentur, habere se Ecclesiam, in cuius membris non requiritur sanctitas. Bellarminus, postquam docuit; Ecclesiam esse cœtum hominum sub regimine Romani Pontificis: ad Capitis formam membra subiungit hoc modo: vt aliquis absolutè dicatur pars veræ Ecclesiæ, non requiritur vlla interna virtus, sed tantum externa professio fidei, & Sacramentorum communio, quæ sensu ipso percipitur. Videte, quomodo Bellarminus seiungat ac separet Ecclesiam illam, cuius caput est Romanus Pontifex,

lib. 3. cap. 2. de Eccles.

fex, ab illa Eccleſia, cuius caput eſt Chriſtus. Nec immerito. Nam membra illius Eccleſiæ, cuius caput eſt Chriſtus, ſine interna virtute eſſe non poſſunt: quia membra huius Eccleſiæ incrementum capiunt à Capite, ſicut & vniuerſum hoc corpus pro menſura vnius cuiuſque membri, incrementum capit: corpus connectens, ad ædificationem ſui per charitatem: quod docet Apoſtolus. At membra illius Eccleſiæ, cuius caput eſt Romanus Pontifex, poſſunt eſſe, ſicut illud caput eſt, ſine omni virtute interna.

Eccleſia Catholica dicitur ſancta, & corpus Chriſti, & mater omnium noſtrûm, & quæ ſurſum eſt Hieruſalem, Gal. 4. 26. Sed ea, quæ ſurſum eſt, Hieruſalem, nihil habet coinquinatum, aut abominandum, ſed qui ſcripti ſunt in libro vitæ Agni, Apoc. 21. 27. Ergo Eccleſia Catholica, quæ eſt ſancta, quæ eſt corpus Chriſti, & mater omnium noſtrûm, nihil habet coinquinatum, aut abominandum, ſed ſanctos tantum, & conſcriptos in libro vitæ Agni. Huius ſyllogiſmi propoſitio eſt Pauli Apoſtoli: aſſumptio Iohannis Apoſtoli. Sequitur itaque, Eccleſiam Romanam, quæ Pontificiorum confeſſione multos habet coinquinatos, abominandos, reprobos, non eſſe ſanctam Eccleſiam Catholicam. Fruſtra hic adhibebitur diſtinctio, Eccleſiæ triumphantis, & militantis: nam Eccleſia vna eſt, vna in omnibus mundi partibus, vna in omnibus temporum ſucceſſionibus, vna in cœlo, & in

ter-

terris. Ecclesiæ status & conditio alia est in militante parte, alia in triumphante: non autem alia Ecclesia, sed vna semper, & vbique. Nec est aliqua particularis Ecclesia, in terris militans, (sit modo vera Ecclesia) quæ non vnitatem hanc retineat cum reliquo corpore. At qui nullam habent internam virtutem, non possunt hanc vnitatem retinere cum reliquo Ecclesiæ corpore.

Nam ad memoriam subinde reuocandum est, nos hic Ecclesiam quærere Catholicam, matrem nostram. Ego vero nego, illam Ecclesiam esse matrem meam, quæ filios parit sine omni interna virtute. Mater mea est illa, quæ ex semine viri sui parit filios Deo: & fratres mei illi sunt, qui sanctificantur a fratre maiore. Nam & qui sanctificat, & qui sanctificantur, ex vno sunt omnes. Quam ob causam non erubescit eos vocare fratres; dicens: Annuntiabo nomen tuum fratribus meis, in medio Ecclesiæ tibi hymnos canam. Itaque Christus Dominus dicit: Eorum causa ego sanctifico me ipsum, vt sint & ipsi sanctificati in veritate. Videant ergo illi, in qua Ecclesia sint, qui non sunt fratres sanctificati, nec cohærent cum eo, qui sanctificat. Si quæramus Caput Ecclesiæ sanctæ, is est, quem Pater gloriæ sedere fecit à dextra sua in cœlis, supra omnes principatus, & Potestates, & virtutes, & dominationes, & super omne nomen, quod nominatur non solum in hoc seculo, sed & in futuro, & omnia subiecit sub pedibus eius, eumq;

Hebr. 2. 11.

Iohan. 17. 19.

Ephes. 1. 22.

eumq; ſuper omnia dedit Caput Eccleſiæ, quæ eſt corpus & complementum eius, qui omnia in omnibus complet. Sed quis eſt caput Eccleſiæ eius, cuius membra non ſunt ſancta? Certe quorum caput non eſt Chriſtus, eorum caput Diabolum eſſe, vel Antichriſtum, neceſſe eſt. Eligant Pontificii, & agnoſcant patrem ex iſtis duobus, quem velint, non enim ſubterfugere poſſunt. Sancti omnes & iuſtificati habent Chriſtum pro capite, reliqui omnes Diabolum, ex Scripturarum Patrumque conſenſu: id eſt, ex Dei & Eccleſiæ ſententia. Iam viderint iſti, quænam ſit illa Eccleſia, quæ non eſt Eccleſia Chriſti, ſed Satanę ſynagoga. Nam quis negare poteſt, eam eſſe Satanæ ſynagogam, cuius membra non ſanctificantur; quique Chriſtum non habent pro capite. Clamat Bellarminus, in Eccleſiæ ſuæ membris non requiri internam virtutem & ſanctitatem. Clamant Scripturæ Patresque: Qui non habent internam virtutem & ſanctitatem à capite Chriſto, eſſe membra Diaboli. Num quis firmius aut euidentius probare poterit, Romanam hodiernam Eccleſiam eſſe Satanæ ſynagogam, quam faciunt iſti, qui ſe Eccleſiæ quidem Romanæ membra eſſe iactant, ita tamen, vt illis liceat virtutibus eis renuntiare, per quas Eccleſia Chriſto capiti coniungitur?

Hic mihi audire videor eorum murmura, qui me, velut iniecta manu reuocant. Quid ergo? Num malos bonosque hic in Eccleſia permiſtos negas? Num zizania vna cum trici-

co, non vis hic crescere? Ego vero illud libenter concedo. Zizania cum tritico in agro Dominico vna in hoc seculo crescere vsque ad tempus messis; bonos malosq; pisces simul in reticulo Dominico comprehensos: hoc est, in Ecclesia præsenti, bonos malosque simul collectos permistosque; atq; ita permistos, vt nos lateant sæpenumero. Hoc autem discrimen inter bonos malosq; diiudicare, non est meum. Mihi satis est, verbis Capitis mei admonito, vt patienter exspectem vsque ad tempus messis. Itaque si mali, anari, raptores, fœneratores, aliiq; huiusmodi Ecclesiæ præponantur, modo sedeant in cathedra Christi: quæcunq; agunt in Christi & Ecclesiæ nomine, sine omni hæsitatione suscipio: siue baptizauerint, siue ordinationem contulerint, siue quod aliud Ecclesiæ munus peregerint: tam sunt apud me salua, & sana, quæcunq; hac autoritate effecerint, ac si vel sanctissimi homines, vel ipsi Apostoli, vel Angeli de cœlo eadem præstitissent: quia Ecclesiæ instituta non à dignitate ministrorum, sed à Christo pendent. Hæc omnia, sicut apud Ecclesiam firmata constant, ita sine controuersia suscipimus.

Sed attendite quæso, in quo huius disputationis controuersia consistat. Contendimus hic de Ecclesiæ Catholicæ membris. Pontificii docent, Ecclesiam Catholicam vnam esse, nó duas, non plures. Huius autem vnius Ecclesiæ Catholicæ membra esse clamitant, impios sine fide, sine charitate: nam aliter nullum sibi in

Eccle-

Ecclesia locum relictum verentur. Nos penitus negamus, impios & profanos homines esse membra Ecclesiæ huius, quæ vna est, & sancta, & corpus Christi, & catholica. Non negamus, malos esse permistos in Ecclesia, sed Ecclesiæ huius partes aut membra esse negamus; quia Ecclesia est sancta, & corpus Christi, & complementum eius, qui omnia in omnibus complet. Sunt in Ecclesia, non vt membra, aut partes in corpore, sed vt pales in frumento, vt zizania in tritico. Atq; de hac re prouocabimus ad omnes Patres, imo ad omnes scriptores Ecclesiasticos, qui ante annum Christi millesimum scripserunt, nec vnum excipiemus. Quicunq; enim de hac re disputant, non aliter docent. Atq; vt de Pontificiorum sententia in hac re certi simus: Bellarminus pluribus verbis hoc agit lib. 3. de Eccles. militante, cap. 2. reprehendit Confessionistas, & Philippum, & Brentium, reliquosque; quod malos docerent non esse partes veræ Ecclesiæ. Ex proinde, inquit Bellarminus, caute Philippus nō dicit, Ecclesiam constare ex bonis malisque; sed dicit, malos admisceri Ecclesiæ: & Brentius dicit, malos esse aliquo modo in Ecclesia, sed non de Ecclesia. Hæc Bellarminus. Atq; hoc eos nomine reprehendit. Deinde docet, malos esse Ecclesiæ partes. Credimus igitur Ecclesiam esse sanctam. Num hoc negant Pontificii? Certe de Ecclesia sua ita disputant, quasi non de sancta Ecclesia Dei, sed de profano impiorum cœtu loquerentur.

Imo, inquiunt, Ecclesia nostra sancta est. Audiamus ergo. Nam si vel professionem eorum saltem audiremus, aliquid viderentur vel præstitisse, vel tentasse ad hanc inuidiam amoliendam: sed ita alte in hac re dormitant, vt cauere videantur, ne nos existimemus, vitæ sanctimoniam quicquam ab illis curari. Bellarminus enim, quum Sanctitatem Ecclesiæ notam posuisset, ita vt omnium exspectationem excitasse videretur, aliquid certe hoc loco de Ecclesiæ sanctitate dicturum eum; sic eo labitur: a Octaua nota, inquit, est sanctitas doctrinæ. Vera enim Ecclesia non solum est Catholica, sed etiam sancta, vt habet Symbolum Constantinopolitanum. Constat autem, sanctam dici Ecclesiam, quia professio eius sancta est, nihil continens falsum, quoad fidei doctrinam, nihil iniustum, quoad doctrinam morum. Hæc ille. Quæ verba admiratione digna videbantur: videmus enim, vitæ sanctimoniam, vt rem inutilem, nihil ad Ecclesiam pertinentem, plane repudiatam. Constat, inquit, sanctam dici Ecclesiam, propter doctrinæ sanctitatem. Quomodo hoc constat? Ex qua traditione? Certe apud antiquos Patres constat, Ecclesiam non aliter sanctam dici, quam qua ratione vnumquodque Ecclesiæ membrum sanctum dicitur, b *Sancti omnes sunt*, inquit Chrysostomus, *qui fidem rectam sanctitati vitæ coniunctam habent, etsi signa non faciant illi, nec eiciant dæmonia, sancti sunt*, c *Sancti sunt*, inquit Augustinus, *qui in terra viuentium*

a *lib. 4. ca. 11. de Eccles. militant.*

b *in 1. Tim. 5. Hom. 13.*

c *in Psal. 15.*

tium spem suam posuerunt ciues Hierusalem cœlestis, quorum conuersatio spiritalis per ancboram spei in illa patria figitur, qua vsque Dei terra nominatur: quamuis adhuc & in hac terra carne versantur. Quibus verbis probat, membra omnia Ecclesiæ militantis, dum in carne versantur, esse ciues cœlestis Hierusalem. Plura non profero, quia non est necesse. Quis enim ante Iesuitas, fraterculosque natos, sanctitatem vitæ ab Ecclesia & Ecclesiæ membris reiecit? Deinde: Sancta, inquit, est Ecclesia, sicut habet Symbolum Constantinopolitanum. Nonne quis miretur, quod Symbolum Constantinopolitanum adducat, quum idem habeatur in Symbolo Apostolico? nisi quod sacræ literæ, & Symbolum Apostolicum iamdudum sordere cœpissent Pontificiis. Sed illud maxime admiratione dignum videtur, quod, quum Ecclesiæ sanctitas quærenda proponitur, doctrinæ sanctitas concluditur. Ecclesiæ proprietas est, vt sit sancta. Quæro ex te, Domine Cardinalis, estne Ecclesia illa sancta, cuius caput est Papa, cuius tu es illustrissimum membrum? sanctane est Ecclesia? Quo fugis? quid tergiuersaris? Dic aliquid certum. Doctrina, inquit, est sancta. Quum de Ecclesiæ sanctitate quæsierit, & respondeat de sanctitate doctrinæ, nonne profitetur, se nihil habere, quod de vitæ sanctitate proferat? At quum Ecclesia sancta dicitur, non doctrinæ puritas, sicut hic nugatur, sed vitæ nouitas demonstratur. Videmus interea, quales nobis circulos faciunt

circulatores isti. Quum enim de doctrina impugnantur, ad Ecclesiam confugere solent. At quum de Ecclesiæ sanctimonia contenditur, ad doctrinæ sanctitatem se conferunt. Quid enim facere possunt, qui spem nullam certam habere se demonstrant? de meritis gloriantur: de vitæ autem sanctimonia ne cogitant quidem.

Ad eandem carnalis suæ nuditatis confessionem, imo confusionem pertinet, quod in decima nota dicit: *a* Decima, inquit, nota est, sanctitas vitæ autorum, siue primorum Patrum nostræ religionis. Inter hos autores numerat ordinũ religiosorum Institutores, Dominicum & Franciscum. Miseram Ecclesiam narrat, quæ sanctitatem suam mutuat, non à sancto sanctorum, sed à sanctulis, nescio, quibus, Dominico & Francisco. Hanc igitur sanctimoniæ notam, vel ad Romani Pontificis res gerendas incommodam, vel ad fratercularum ministeria inutilem, vel, vt rem, carnis viribus, & mundi sapientia, qua regitur Romana Curia, maiorem: ab Ecclesia sua, ac proinde & ab Ecclesia sancta reiciunt.

a lib. 11. c. 14. de Eccl. milit.

At alibi *b* etiam sanctam docet Ecclesiam dici propter tria. Primum, propter baptisma, quod sanctum esse, nemo negare potest. Secundo, propter professionem Christianam. Tertio, propter vnionem membrorum inter se, & cum Capite, Iesu Christo æternam. Hæc ille.

b lib. 3. c. 2. de Eccles. milit.

Respondeo, primum & secundum nihil es-

se ad

se ad rem: Quæstionem non esse de Sacramentis, & professione, de quarum rerum sanctitate non dubitamus, sed de membris Ecclesiæ. Quod autem tertio loco refert, de vnione membrorum inter se, & cum capite; hic rem tenet: sed addit, vnionem hanc esse externam: quibus verbis omnia conturbat. Nam in vnione externa, Papam intelligit Caput: in cuius capitis membris, ipse Bellarminus docet, sanctitatem non esse quærendam. Quod igitur de sanctitate membrorū dixerat, sub hoc Capite, inanis est sine re verborum lenitus; mera nugæ. Sed addit ibidē, Ecclesiam etiam sanctam dici posse, quia caput eius est Christus, sanctus sanctorum. Hic tandem aliquando profert, quod res est: inuitus quodammodo, & reluctans, quasi Cerberus ad lucem, ad hæc verba protrahitur. At hæc verba vno velut ictu iugulant causam Pontificiam: quia Christus est sanctus sanctorum, ideoque Caput Ecclesiæ. Hæc verba numero paucissima (Sanctus sanctorum) admirabili nexu coniungunt caput, & membra Ecclesiæ. Christus igitur habet suos sanctos, quos sanctificat; Sancti habent suum Christum, à quo vitam & sanctitatem accipiunt. Hic sanctus, & illi sancti: sed hic sanctus sanctorum, illi sancti sanctificati: hic sanctum caput, illi sancta Ecclesia, sancta membra: hic sanctus, qui sanctitatē membris suis largitur; illi sancti, qui sanctitatem suam ab eo omnem mutuantur, qui propter ipsos sanctificauit seipsum.

Christus ergo est sanctus sanctorum. Atqui fatetur, Christum Ecclesiæ suæ caput, esse sanctum sanctorum: quomodo is dicere potuit, in membris huius sanctis? Capitis sanctitatem non esse quærendam? Imo vero, quia Christus, qua caput est Ecclesiæ, ea est sanctus sanctorum; sequitur, non esse membra huius capitis, qui non sunt sancti. Christus igitur non est caput eorum, qui nullam habent interiorem virtutem.

Deinde vnde est Ecclesia vocata? De mundo. Mundus autem quid est, nisi mali in mundo, in quibus nulla est interna virtus. Ecclesia igitur vocata est ex illis, in quibus nulla est interna virtus, vt iidem illi homines ex regno Satanæ in regnum Christi, & sortem sanctorum ducantur. Cardinalis autem in sanctis rebus tractandis, & cum sanctis ludere voluit. Mediam enim viam quærit, antea incognitam, qua Christum & Belial coniungat, lucem cum tenebris, fideles cum infidelibus societatis & concordiæ vinculo colligat. Nam & Ecclesiam retinere voluit, nec tamen mundum dimittere, ex quo vocata est Ecclesia. At Christus de Ecclesia sua, quæ est & regnum ipsius,

Iohan. 18. 36. sic respondet: Regnum meum non est ex hoc mundo. Ecclesia Christi, est regnum Christi: non est autem ex hoc mundo, id est, non consistit ex malis illis, in quibus nulla est interna virtus. Ita vt si verba hæc resolvas interpretando in suum proprium sensum: quid aliud volunt, quam vt dicat aliis verbis: Ecclesia

mea

mea non consistit ex hominibus, qui sunt omnino huius mundi, in quibus nulla est interna virtus? Nam alioqui regnum Christi est in hoc mundo, id est, viuit, & versatur in hoc mundo, & inter malos istos tempore militiæ suæ; quia Dominus dicit: Non rogo, vt tollas eos de mundo, sed vt serues eos à Malo. Ecclesia igitur per orationem Christi seruatur à Malo. At isti, in quibus nulla est interna virtus, non seruantur à malo: non sunt igitur Ecclesia Christi, aut Ecclesiæ huius membra. Nam Ecclesiæ huius membra seruantur à Malo, & Spiritu Dei reguntur. Sic enim docet Apostolus: Qui Spiritum Christi non habet, hic non est eius. Membrum igitur Christi esse non potest, qui nullam habet virtutem internam. Apostolus etiam in eandem sententiam alibi docet: In vno Spiritu nos omnes in vnum corpus baptizati sumus. Est ergo Spiritus Christi, qui nos in hoc Ecclesiæ corpus incorporauit: ac proinde, qui Spiritum Christi non habent, in quo statu sunt omnes illi, in quibus nulla est interna virtus, Christi membra esse non possunt. Iohan. 17. 15. Rom 8. 9. 1. Cor. 12. 13.

Ante Bellarminum, qui scripserunt Pontificii, communiter concedere solebant (istis forte atque huiusmodi rationibus permoti) impios homines, qui nullam haberent internam virtutem, non fuisse membra Ecclesiæ, nisi æquiuoce. Quæ sententia certe catholica est. Qui autem docuerunt, homines malos non esse Ecclesiæ membra, nisi æquiuoce, de-

pitionem membri istis competere posse negabant. Improbi igitur Cardinalis audacia deprehenditur, qui contra communem Ecclesiæ sententiam, definitionem membri Ecclesiæ mutare ausus fuit. Hanc autem prius fuisse communem Ecclesiæ sententiam, fatetur Bellarminus his verbis: a A multis solet concedi, malos non esse membra vera, nec simpliciter corporis Ecclesiæ, sed tantum secundum quid, & æquivoce. Ita Iohannes de Turrecremata, lib. 1. cap 57. vbi id probat ex Alexandro de Hales, Hugone, & B. Thoma. Idem docent Petrus à Soto, & Melchior Canus, & alii: qui tamen, etsi dicant, malos non esse membra vera, dicunt nihilominus, vere esse in Ecclesia, siue in Corpore Ecclesiæ. Neq; enim sola membra sunt in corpore, sed etiam humores, dentes, pili, & alia, quæ non sunt membra. Hæc ille. Hanc igitur fuisse antiquorum sententiam, fatetur Bellarminus. Itaque de membris Ecclesiæ sententia nostra est, quam Bellarminus ante ipsum, communem fuisse Ecclesiæ sententiam concedit. Quare igitur Dominus Cardinalis non sequitur hanc sententiam, quam Ecclesia communiter ante ipsum sequuta est? Quia scilicet Tridentina sapientia antiquam Ecclesiæ sapientiam contemnit, & nova quotidie monstra ex Satanæ profunditatibus exorientia colligit, & amplectitur. Operæ pretium videtur, obseruare rationem illam, qua permotus Cardinalis, antiquam Ecclesiæ doctrinam, de membris Ecclesiæ

a lib. 3. cap. 9. de Eccles. militante.

clesiæ commutauit. Nam postquam antiquorum sententiam retulisset, contra eam sic disputat: a At si ita est, sequitur, Pontificem malum non esse caput Ecclesiæ, & alios Episcopos, si mali sint, non esse Capita Ecclesiarum suarum. Hæcille. Deinde respondet, malum doctorem esse membrum mortuum, & proinde non verum, quantum attinet ad rationem membri, tamē esse verum membrum, ratione instrumenti. Quibus verbis tacita confessio contineri videtur, se quidem nō tantum consensu Ecclesiæ, sed & ratione omnino victum, pertinacem tamen in opinione, nec Ecclesiæ consensui, nec rationibus cessurum. Nam qui dicit, malum hominē sine interna virtute non esse membrum Ecclesiæ, ratione membri, sed tantum ratione instrumenti: dicit, non esse membrum, sed instrumentum: quod neminem existimo negare. Membrum mortuum, non est membrum, nisi æquiuoce. Malum doctorem esse membrum mortuum concedit: definitio igitur membri in eum competere nullo modo potest. At quod membrum non est, potest esse instrumentum: quis negat? Ergo nugacissimus deprehenditur Cardinalis, qui post longam disputationem de membris Ecclesiæ; quæ definiuerat esse membra, tandem aliquando veritate victus, concludit, non esse membra, sed instrumenta.

a ibid.

Nec valet Bellarmini ratio, quod malus doctor propterea Ecclesiæ membrum sit; quia ratione instrumēti potest esse vtilis ad Ecclesię ædi-

ædificationem. Nam ad membrum Ecclesiæ constituendum, requiritur charitas, sine qua non possunt consistere in hoc corpore, nec adolescere in eum, qui est caput, nempe Christus; nec incrementum capere corpori conueniens, ad ædificationem sui per charitatem. Quæ quidem omnia in Ecclesiæ membris necessaria esse, docet Apostolus. At qui non est membrum Ecclesiæ, potest esse vtilis ad Ecclesiæ ædificationem; sicut qui malus est vir, potest esse vtilis architectus; sicut mali illi architecti, qui arcam Noë ædificarunt, etiamsi vera fide Deo non seruiebant, vtiles tamen ad arcam construendam fuerunt. Et sicut in veteri Testamento Prophetica reuelatio nonnunquam malis hominibus à Deo concessa

1 Reg. 13. 21. Num. 23. a in 1. Reg. 13. fuerat, quemadmodum Prophetæ illi seni, qui habitabat in Bethel; atque etiam Balaamo. Prophetia enim, inquit a Nicolaus Lyra, respicit actum intelligendi; charitas autem, quæ facit hominem bonum, est actus voluntatis; prius potest esse sine posteriori, & ideo reuelatio Prophetica potest esse sine charitate: ita etiam in Ecclesia mali homines per doctrinam & intelligentiam possunt esse vtiles ad Ecclesiæ ædificationem, qui tamen Ecclesiæ membra non sunt. Nam administratio Ecclesiæ vel est interna per Spiritum, vel externa per disciplinam. Per internam administrationem fiunt homines filii Dei, & membra Ecclesiæ. At hoc non fit per externam administrationem in disciplina. Quanquam enim externa administratio

ſtratio ad internam referatur, tanquam ad ſuum finem: tamen mali homines, auari, ſuperbi, ambitioſi, qui Spiritu Dei non reguntur, ſubſiſtunt hic, & omnino commorantur in externa adminiſtratione, nec ad internam attingunt. Ea autem, quæ mali faciunt in externa adminiſtratione, prorſus nihil differunt ab iis, quæ in externa adminiſtratione boni & fideles faciunt: quia ſancti in externa adminiſtratione nihil plus conferre poſſunt, quam mali homines in eadem adminiſtratione: faciunt vtrique, quod ſerui facere poſſunt: reliqua ex interna Spiritus adminiſtratione pendent. Itaque ſicut in Regni terreni adminiſtratione non tantum Regum filii, ſed & famuli in regimine ſtatuuntur: ita fit in Eccleſia, vt non tantum filii Dei ad externam adminiſtrationem vocentur, ſed & ſerui nonnunquam impii. Externa autem adminiſtratio non facit aliquem membrum Eccleſiæ, ſed interna, qua membra cohærent cum Capite, ad ædificationem ſui per charitatem.

Colligimus iam, quæ hactenus diſputauimus. Eccleſiæ veræ genuina proprietas eſt, vt ſit ſancta: Eccleſia nunc Romana, non eſt ſancta: Ergo Eccleſia illa non eſt vera Eccleſia. Eccleſiam autem nunc Romanam, non eſſe ſanctam, probant ipſi Pontificii, qui in membris huius Eccleſiæ nullam internam virtutem quærendam docent. Quæ quidem exectanda ſententia à fraterculis primum inuecta, à Tridentinis nuper publice promulgata,

gata, mutat Ecclesiam sanctam, in Ecclesiam scelleratam. Si enim ideo sancta dicitur tantummodo, quia vna pars eius est sancta: certe ideirco etiam scelerata dici potest, quia vna pars, imo & maior pars scelerata esset. Nec valet responsio, denominationem fieri à meliori parte: quia nulla ratio reddi potest, quare maior pars, quæ sæpenumero vincit & dominatur, non etiam aliquando denominet, seu nomen tribuat. Restat nunc, vt de sanctitate membrorum Ecclesiæ antiquorum Patrum testimonia referamus.

CAPVT III.

Continet Patrum testimonia, demonstrantia, Ecclesiæ membra non esse alios, nisi sanctos.

DE Theologorũ sententia habemus Cardinalis confessionem, sicut superius obseruauimus, Alexandrum de Hales, Thomam Aquinatem, aliosque docuisse, malos non esse membra Ecclesiæ. Hoc loco antiquorum Patrum sententiam de hac re proferemus.

a *In Genes. Homil. 1.*

b *in Luc. Homil. 2.*

Origenes sic docet: a *Ipsi, qui non habent maculam, aut rugam, aut aliquid huiusmodi, sunt vera Ecclesia.* Atque alibi: b *Ecclesia sancta & immaculata dicitur, non quod à principio immaculata fuerit; hoc enim suspicari de homine non potest quo: sed quod reputatur pura atq; sincera.* Hæc ille. Ita Ecclesiæ sanctitatem à sancto Capite mutuatam, atq; imputatam, docuit Origenes.

Basi-

Basilius: a *Ecclesia, inquit, vna, perfecta columba, quæ in dextrum Christi locum eos accipit, qui benefaciendo sunt exercitati, ac velut pastor oues ab hœdu, probos separat ab improbis.* a *in Psal. 44.*

Chrysostomus in illa verba: *In magna domo non sunt tantum vasa argentea & aurea, sed lignea & fictilia,* sic scribit: b *Non refert eam similitudinem ad Ecclesiam, sed ad mundum vniuersum. Quippe in Ecclesia nullum est vas fictile, aut ligneum, sed argentea omnia, & aurea. Ibi enim est corpus Christi, casta virgo, non habens maculam aut rugam.* Idem habent Theodoretus, & Theophylactus. b *in 2. Epist. ad Tim. Homil. 3.*

Respondet Bellarminus ad Chrysostomi locum: c Non negat Chrysostomus, malos esse in Ecclesia, sed dicit, nõ esse necessarium, vt sint in Ecclesia. Et subiungit Dominus Cardinalis egregiam rationem, quia Ecclesia non indiget malis. Hæcille. Antiquos Patres sub ferula sua castigandos reuocat Dominus Cardinalis, atque eos, tanquam puerulos balbutientes instituit, monetque, quid dicere, & quomodo debuissent: quasi vero Patres elingues essent, nisi hic magister eloquutionis eorum formator adesset. At Chrysostomus non dicit, quod eum dicere Cardinalis affinxerat. Scribit enim diserte, in Ecclesia nullum esse vas ligneum. Et rationem reddit: quia Ecclesia est corpus CHRISTI, casta virgo, sine macula. Bellarminus hæc verba ita sub ferula sua transmutat, quasi diceret, non esse necessarium, vt sint mali c *lib 3. cap. 3. de Eccles. militant.*

in

in Ecclesia: & Ecclesiam non indigere malis. Quantæ ineptiæ? quasi vero mundus indigeat malis. Pergamus.

a *in Esa lib. 4. cap. 4.* Cyrillus Alexand. a *Quum Ecclesiam dicimus, non circuitu murorum vim huius dictionis accommodamus, sed piorum potius in ea sanctissimam multitudinem significamus.* Sic docuerunt Græci, audiamus etiam Latinos.

b *lib. 4. c. 38.* Irenæus ait: b *Ecclesia est semen Abrahæ per Christum, cui adoptio redditur, & hæreditas, qua Abrahæ promissa est.* Idemque: *Vbi Ecclesia, ibi Spiritus, & vbi Spiritus Dei, ibi Ecclesia, & omnis gratia. Spiritus autem veritas.* Hæc ille. Si adoptio, hæreditas, gratia, Spiritus, veritas, sunt proprietates & dotes veræ Ecclesiæ, falsum docent, qui affirmant, nullam hic internam requiri virtutem.

c *Epist. 27. Pamm.* Cyprianus etiam sic docuit: c *Ecclesia in Episcopo & Clero, & in omnibus stantibus est constituta. Absit enim, nec Domini misericordia & potestas eius inuicta patiatur, vt Ecclesia esse dicatur lapsorũ numerus.* Hæc ille. Quod si lapsorum numerus non potest dici Ecclesia, profecto nec numerus eorum, qui nullam habent virtutem internam. Idemque Cyprianus sic docet: d *Nec in Ecclesia Dei remanere possunt, qui Deificam & Ecclesiasticam disciplinam, nec actum sui conuersationis, nec morum pace tenuerunt.* Atque iterum: e *Ecclesiam, id est, plebem in Ecclesia constitutam, fideliter & firmiter in eo, quod credidit, perseuerantem, nullaui separare potest à Christo.* Atque alibi: f *In Ecclesia non nisi concordes & vnanimes habi-*

d *Epist. 49.*

e *Epist. 63.*

f *Epist. 76.*

habitant, loquente in Psalmis Spiritu sancto, & dicente: Deus, qui habitare fecit vnanimes in domo.

Aliis testimoniis missis, & dissimulatis, ad hoc postremum testimonium respondet Bellarminus, a loqui Cyprianum non de quacunque concordia, sed de illa, quæ opponitur schismati proprie dicto: agit enim ibi de Novatianis schismaticis. Hæc ait Bellarminus, vt probet, malos homines esse membra Ecclesiæ, schismaticos autem non esse.

a *lib. 3. cap. 9. de Eccl. milit.*

Respondeo, S. Augustinum longe aliud colligere ex iisdem Cypriani verbis. Nam Augustinus citat hunc ipsum locum Cypriani, vt probet, malos non esse Ecclesiæ membra. Ait enim Cyprianus: *Alienus fiat, & profanus Dominicæ pacis, ac Dominicæ vnitatis inimicus, non habitans in domo Dei, id est, in Ecclesia Christi, in qua non nisi concordes atq; vnanimes habitant.* Hæc Cyprianus. Subiungit Augustinus: b *Si in Ecclesia Christi non nisi concordes & vnanimes habitant, proculdubio nō habitabant in Ecclesia Christi, quamuis intus esse viderentur illi, qui per inuidiam & contentionem, sine charitate Christum annuntiabant: quos ipse intelligit, non hæreticos aut schismaticos, à Paulo Apostolo commemoratos, sed falsos fratres, cum illo interius commorantes.* Hæc Augustinus. Deinceps ad Augustini sententiam deueniemus. Hæc retuli hoc loco ex Augustino, vt Cypriani sententia constare possit contra Bellarmini responsum. Eundem Cypriani locum exponunt Augustinus & Bellarminus. Dicit Bellarminus, Cyprianum non de malis Chri-

b *lib. 7. c. 49. de Baptism. contr. Donat.*

stianis, sed de schismaticis loqui: Cardinalis egregie refutatur ab Augustino. Augustinus sensum Cypriani ex ipsis verbis, ex perpetuo Ecclesiæ iudicio deducit. Bellarminus ex suo ingenio, ex libidine corrumpendi, torquet eadem verba, vt recentem Tridentinam blasphemiam confirmet. Quod Bellarminus tantum de schismaticis dictum vult, Augustinus probat de falsis fratribus dici.

Bellarminus etiam è Cypriano verba producit, quo probet, malos esse membra Ecclesiæ. Verba Cypriani sunt lib. 3. Epist. 5. *Impediri non debet, aut fides, aut charitas nostra, vt, quoniam Zizania esse in Ecclesia cernimus, ipsi de Ecclesia recedamus.*

Respondeo, hæc producendo Bellarminus ostendit, se nihil proferre posse. Zizania sunt in Ecclesia, sicut in tritico: non vt partes tritici; ergo nec vt partes aut membra Ecclesiæ.

a *in Lucam, lib. 2. cap 3.* a *Mater viuentium Ecclesia est*, inquit Ambrosius, *quam adsitit at Deus ipso summo angulari lapide Iesu Christo.*

Ambrosius etiam loquens de iis, qui nullam habent internam virtutem, sic ait: *Non talibus decoctoribus ad Ecclesiam Christi peruenitur, ad quam tendebat Iacob.* lib. 1. Epist. 4.

Hieronymus in illa verba: *Ecclesia est subiecta Christo*;

b *in Ephes. 5.* sic scribit: b *Ecclesia Christi gloriosa est, non habens maculam, aut rugam, neq; aliquid huiusmodi; Qui ergo peccator est, aut aliqua sorde maculatus, de Ecclesia Christi non potest appellari, nec Christo subiectus dici.*

Respon-

Respondet Bellarminus, Hieronymum significare, non posse malos de ea parte Ecclesiæ appellari, quæ solos perfectos continet. Hæc ille. Deinde hoc figmentum suum de his duabus Ecclesiæ partibus, ex Hieronymo probare contendit: quia Hieronymus in cap. 1. ad Galat. exponens illud, *Ecclesiis Galatiæ*: dicit, Ecclesiam dupliciter accipi. Interdum enim tribuit Scriptura toti Ecclesiæ id, quod est proprium perfectorum, vt carere macula, &c. Interdū id, quod est proprium imperfectorum, vt peccare. Hæc Bellarminus. Atq; hinc duas partes obseruasse se existimat. Respondeo, Hieronymum nusquam dicere, partes esse, aut membra Ecclesiæ, qui nullam habent virtutem internam: quod huic probandum fuerat. Dicit Hieronymus, a *Ecclesiam dupliciter posse dici, & eam, quæ non habet maculam aut rugam, & vere corpus Christi sit, & eam, quæ in Christi nomine, absq; plenis perfectiq; virtutibus, congregetur.* Hæc Hieronymus. Deinde explicat se Hieronymus: Minus perfectam Ecclesiam vocat, quæ nondum ad perfectionem peruenit, sed tamen ad eam contendit. Fieri enim potest, sicut idem Hieronymus alibi docet, b *vt peccator currat ad medicum; quia non habent opus sani medico, sed male habentes, & curentur vulnera ipsius, & fiat de Ecclesia, quæ est corpus Christi.* Hæc ille. Loquitur ergo Hieronymus de imperfectis, qui sunt, vt ipsius verba habent, absque plenis & perfectis virtutibus, qui tamen suo tempore ad plenas & perfectas virtutes

a in Gal. 1.

b in Ephes. 5.

accedunt. Cardinalis disputat de illis, in quibus est nulla interna virtus. Quantum hæc sententia ab Hieronymi sententia differat, quis non videt?

Ad Augustinum deuenimus. Augustinus hanc controuersiæ partem de membris Ecclesiæ diligentissime atque accuratissime tractauit. Quicunque non sunt sancti, qui sunt sine fide & charitate, non esse Ecclesiæ membra demonstrat, quamuis in Ecclesia esse videantur. Nos, quæ diuersis locis obseruauit de hac re, vna colligemus. Hæc igitur habet Augustinus: a *Ecclesia est corpus eius, sicut Apostolica doctrina commendat, quæ etiam coniux eius dicitur. Corpus ergo suum multis membris diuersa officia gerentibus, nodo vnitatis & charitatis, tanquam sanitatis astringit.* b *Diabolus est caput impiorum, qui sunt eius quodammodo corpus, ituri cum illo in supplicio æterni ignis: sicut Christus est Caput Ecclesiæ, quæ est corpus eius futurum cum illo in regno & gloria sempiterna.* Ad illam quæstionem: *Vtrum Baptisma hæreticorum generet filios Deo?* respondet Augustinus: c *Quasi vero ex hoc generet, vnde separata est, & non ex hoc, vnde coniuncta est. Separata est enim à vinculo charitatis & pacis, sed adiuncta est in vno baptismate. Itaq; est vna Ecclesia, quæ solâ Catholica nominatur, & quicquid suum habet in communionibus diuersorum, à sua vnitate separatur per hoc, quod suum in eis habet, ipsa vtique generat, non illa. Neq; enim separatio istarum generat, sed quod secum de ista tenuerunt: quod si & hoc dimittant, omnino non generant. Has itaq; in omnibus*

a *lib. 1. de doctr. Christ. cap. 16.*

b *ibid. lib. 3. cap. 37.*

c *lib. 1. de Bapt. contra Donatist. c. 10.*

hus generat, cuius Sacramenta retinentur, vnde possit tale aliquid vbicunq; generari, quamuis non omnes, quos generat, ad eius pertineant vnitatem, quae vsq; in finem perseuerantes saluat. Neq; enim ij soli ad eam non pertinent, qui separationis aperto sacrilegio manifesti sunt, sed etiam illi, qui in eius vnitate corporaliter mixti, per vitam pessimam separantur. Hæc ille. Hæc plenius retuli, vt Augustini sententia melius agnoscatur. Quod si ad Ecclesiam hanc Catholicam non pertinent, qui per vitam pessimam separantur, quomodo possunt esse Ecclesiæ membra? Iterumque Augustinus: a *Non sunt in illa Ecclesia, de qua dicitur, vna est columba, vna est matri suæ: ipsa est enim sine macula, aut ruga. Aut asserat, qui potest, huius columbæ membra esse, qui seculo verbis, non factis renuntiant. Asserat, qui potest,* inquit Augustinus: Potuit Bellarminus, possunt hodie Iesuitæ asserere, quod Augustinus credidit, neminem potuisse. Sed pergat Augustinus in inchoato sermone. b *Nos,* inquit, *secundum id, quod in præsenti est, quærimus, vtrum in illis Ecclesiæ membris, qua vna columba dicta est, & sponsa Christi sine macula aut ruga, hodie deputandi sint, de quibus dicit Cyprianus, quod viam Domini non tenerent. Quod si illos in suis membris nec illa columba agnoscit, & talibus, si in eadem peruersitate permanserint, dicturus est Deus: Recedite à me, qui operamini iniquitatem. Videntur esse in Ecclesia, sed non sunt: imo & contra Ecclesiam faciunt.* c *Quod enim in libro Canticorum Ecclesia sic describitur, Hortus conclusus, soror mea, sponsa, fons signatus, putens*

a *ibid. lib. 4. cap. 3.*

b *ibid. cap. 3.*

c *ibid. lib. 5. cap. 23.*

aquæ vitæ, paradiſus cum fructu pomorum: hoc intelligere non audeo, niſi in ſancto & iuſto: non in auaro & fraudatore illo, & raptore illo, & funeratore illo, & ebrioſo, & inuido, quos tamen cum iuſto baptiſmum habuiſſe communem, cum quibus communem non habebant charitatem.

Hæc diſputat Auguſtinus contra Donatiſtas, atque hæc eſt eius communis & vſitatiſſima reſponſio, per illos ſeptem libros de baptiſmo Donatiſtarum, quibus refutat Cypriani opinionem, de Baptiſmo hæreticorum: in eoque totus eſt, vt doceat, eandem prorſus rationem eſſe hæreticorum extra Eccleſiam, & male viuentium in Eccleſia: nec membra Eccleſiæ eſſe, vel hos, vel iſtos, donec conuertantur: tum demum membra fieri, quum vera fide & charitate ita inſerantur in Corpus Chriſti, vt cum Capite connectantur: non tamen iterum eſſe baptizandos, quia ipſa reconciliatione ac pace præſtatur, vt ad remiſſionem peccatorum, eis in vnitate iam prodeſſe incipiat Sacramentum, quod acceptum in ſchiſmate prodeſſe non poterat. a *Si verum eſt*, inquit, *(quod obiecit Cyprianus) propterea filios Dei generare non poteſt hæreſis per Chriſtum, quia Chriſti ſponſa non eſt: nec turba illa malorum intus conſtitutorum poteſt; quia & ipſa Chriſti ſponſa non eſt.* b *Mali Catholici, & hæretici non pertinent ad ſanctam Eccleſiam Dei, quamuis intus eſſe videantur; quia iſti ſunt auari, raptores, funeratores, immundi, maleuoli: & cætera huiuſmodi. Illa autem columba, vnica, pudica, & caſta ſponſa, ſine macula aut*

a *lib. 5. c. 25.*

b *lib. 6. c. 3.*

aut ruga, horius conclusus, fons signatus, paradisus cum fructu pomorum, & cætera, quæ de illa dicta sunt, quod non intelligitur, nisi in bono & sancto: id est, non tantum secundum operationes munerũ Dei, bonũq; malũq; communes, sed etiam secundum intimam & supereminentem charitatem, Spiritum S. habentibus, quibus Dominus dicit: Si cui dimiseritis peccata, dimittentur ei, & si cui tenebitis, tenebuntur. Hæc Augustinus. Quid plura congerã ex Augustino? vel certe hæc, quæ produximus, euincent homines, qui nullã habent internã virtutem, sed tantum externã professionem, & Sacramentorum communionem, quę sensu ipso percipitur, non esse partes & membra Ecclesiæ, vel omnis autoritas & fides Augustini est prorsus repudianda.

Atqui ex Augustino etiam sententiam suam probare voluit Cardinalis. Audiamus quomodo. *Augustinus*, inquit, *tract. 6. in Iohan. Nos, ait, fatemur, in Ecclesia Catholica & bonos, & malos esse, sed tanquam grana, & paleas.* Hæc ille. Impudentia excæcauit Cardinalem: quid enim non audet iste affirmare, qui ad tam manifesta Augustini verba, qualia sunt, quæ fusius ex eo superius produximus, nihil omnino respondere voluit; & tamen ex eodem Augustino suam sententiam confirmare speravit: quia in Ecclesia sunt boni & mali, sed sicut grana & paleæ. Quæ verba probant, malos non esse membra Ecclesiæ; quod & expressius Augustinus eodem tractatu docuit, a his verbis: a *Quare, vitam ad huius columbæ mem-*

a *tract 6. in Iohan.*

bra pertinent auari, rapteres, subdoli, ebriosi, flagitiosi? Membra sunt columbæ huius? Absit, inquit, *& vere, fratres, quis hoc dixerit?* Hæc Augustinus. Per Columbam autem, Catholicam intelligit; nam eodem loco hæc habet verba: *O Catholica, tibi dictum est, vna est Columba mea, vna est matri suæ.* Deinde de raptoribus, auaris, ebriosis loquens; sic pungit Iesuitas: a *An isti omnes membra columbæ sunt? sic dehonestatis columbam vestram, vt ei membra vulturina faciatis.* Hæc Augustinus. De membris Ecclesiæ quæstio est. Augustinus docet, malos bonosque esse in Ecclesia, malos autem non esse membra Ecclesiæ, sed tamen in Ecclesia esse, sicut paleam inter grana. Dominus Cardinalis, homo duræ auris, hæc ipsa verba Augustini adducit, vt probet, malos esse membra Ecclesiæ. Certe Dominum Cardinalem hæc malo animo tractasse, vel Papa iudice, vincam. Pergamus ad alios.

a *ibid.*

Prosper sic docet: b *Ecclesia Catholica est in electis præcognitis à Deo, filijs promissionis, membris corporis Christi.* Fulgentius: c *Hæc Ecclesia vna, vera, catholica, sponsa est, quia inhæret Christo: mater est, quia fœcundatur à Christo: virgo est, quia incorrupte perseuerat in Christo.*

b *in Ps.* 106.

c *ad Probam, de Virgin. Epist.* 3.

Iam Gregorium Magnum audiamus. Sic ille: d *Sanctam Ecclesiam ille veraciter videt, cuius testatur vita, quia videt.* e *Neque enim sancta Electorum Ecclesia solos sibi aduersarios deputat, qui ab eius fide positi extra dissentiunt: sed eos quoque, qui vitam illius male viuendo, intrinsecus premunt.*

d *in Iob. lib.* 29. *cap.* 12.

e *ibid. lib.* 20 *cap.* 15.

a In-

a *Intra mensuras Ecclesiæ sunt omnes electi, extra* a *ibid lib. 28.*
has mensuras omnes reprobi, etiamsi intra fidei limi- *cap. 6.*
tem esse videantur. Hæc Gregorius. Num quæ
ante possit Dominus Cardinalis hæc Episcopi
Romani verba eludere? Si extra mensuras
Ecclesiæ sint omnes reprobi, quamuis intra li-
mitem fidei esse videantur, profecto externa
fidei professio, & Sacramentorum commu-
nio, quæ sensu ipso percipitur, non facit mem-
brum Ecclesiæ; quod improbe docent Iesui-
tæ. Sed pergit Gregorius: b *Infideles quosque* b *lib 9. in-*
extra Ecclesiam, peccati sui vnda perimit, & fideles *dict. 4 Epist.*
suos in fide atque in charitate sancta Ecclesia vnitas,
quasi arca compago custodit. Gregorius his verbis
satis liquido demonstrat, male viuentes ad
Ecclesiam Christi non pertinere. Audiamus,
quomodo sanctus hic vir Iesuitas nostros
multis ante seculis, suis coloribus depinxerit,
quasi prænuntians hæc tempora: c *Sicut in-* c *in Iob lib.*
carnata veritas, inquit, *in prædicatione sua paupe-* *12. cap. 1.*
res, idiotas, & simplices elegit: sic è contrario, da-
mnatus ille homo, quem in fine mundi apostata An-
gelus assumet, ad prædicandam falsitatem suam,
astutos, ac duplices, atque huius mundi scientiam
habentes, electurus est. Hæc ille: tanquam pene-
cillo depingens Papales istos prædicatores,
qui relicta veteris Ecclesiæ synceritate, abiecta
veteris doctrinæ puritate, conculcata Ecclesiæ
sanctitate, dum tanquam immundi sues in
cœno volutantur, dum contempta Dei sapi-
entia, sapientiam mundi in Ecclesiam sectan-
tur, ita palam Deo & Ecclesiæ illudunt, vt in

suis sordibus sanctam Dei Ecclesiam quærant. Hinc est, quod membra, & partes Ecclesiæ sanctæ, statuant homines impuros & profanos, qui nullam habent internam virtutem, sed tantum externam professionem, & Sacramentorum communionem, quæ sensu ipso percipitur. Non dubito, quin intelligant, se hæc mouere contra Scripturas, & vnanimem Patrum consensum. Neque enim ignorantiæ crimen sibi à nobis obiici, æquo patiuntur animo. Quia igitur videntes, & scientes peccant, videntur, quam horrendum bellum susceperint in Deum, & in Christum, & in Ecclesiam. Hæc omnia maiorem in nobis vigilantiam, & veritatis amorem accendere debent, vt tanquam filii lucis, in Christi & sanctæ Ecclesiæ institutis, cum bona conscientia ambulemus, contra istos, quos Spiritus Dei venturos prædixerat, habituros formam pietatis, sed virtutem eius abnegantes.

De membris Ecclesiæ sanctis Gregorius sic etiam docet: a *Omnes nos, qui in eius fide nati sumus, eius proculdubio Corpus existimus: quia igitur mira dispensatione pietatis, membrorum suorum dominus caput factus est, repulsa reproborum multitudine, solus est etiam nobiscum.* Hæc ille.

a in Iob. lib. 2. cap. 15.

Pergamus ad reliquos Scriptores, qui in sequentibus seculis docuerunt, qui, quia communem superiorum sententiam secuti sunt, succinctius à nobis sunt commemorandi. Rabanus sic docuit: b *Ex omnibus gentibus sancta congregatur Ecclesia, quæ electa Christi hæreditas est.*

b In Eccles. lib. 3. cap. 13.

ſit Hæc ille. At Ieſuitæ docent hodie, quod nemo veterum ſomniauit: impios homines ſine interna virtute eſſe Chriſti hæreditatem. Smaragdus etiam ſic ſcribit: a *Domus ſpiritualis Eccleſia eſt iuſtorum, de lapidibus viuis, & animalibus ædificata ſanctorum.* Rupertus: *Vniuerſalis Eccleſia ſanguine Chriſti mundata eſt ab omni delicto.* Bernardus etiam hanc doctrinam de Eccleſiæ membris à Patribus traditam, magna fide, atque integritate ſuſcepit, poſterisque tradidit. Sic enim docet: b *Ipſa ſponſa eſt Eccleſia electorum, de quibus Apoſtolus, Omnia, inquit, propter electos.* c *Et, quid ſponſa? niſi congregatio iuſtorum: quid ipſa? niſi generatio quærentium Dominum, quærentium faciem ſponſi.* Idemque ſic etiam: d *Non deficit charitas de Eccleſia. Fundata eſt Eccleſia ſuper petram: petra autem eſt Chriſtus. Itaque nec verboſitate Philoſophorum, nec cauillationibus hæreticorum, nec gladijs perſecutorum potuit iſta, aut poterit aliquando ſeparari à charitate Chriſti.* Idem docuit Nicolaus de Lyra, in illa verba: *Super petram hanc ædificabo Eccleſiam meam, & porta inferorum non prævalebunt aduerſus eam.* e *Ex quo patet*, inquit Lyra, *quod Eccleſia non conſiſtit in hominibus ratione poteſtatis, aut dignitatis Eccleſiaſticæ, vel ſecularis, quia multi principes & ſummi Pontifices, & alij inferiores inuenti ſunt apoſtataſſe à fide. Propter quod Eccleſia conſiſtit in illis perſonis, in quibus eſt notitia vera, & confeſſio fidei ac veritatis.* Hæc Lyra. Quam appoſite, quam ingenue inter denſas tenebras lucem ſecutus eſt? contra quam iſti tenebrio-

a *in 1. Pet. cap. 2.*

b *Serm. 65. in Cant.*

c *ibid.*

d *Serm. 73. in Cant.*

e *in Matt. 16.*

nes

nes faciunt, qui in clarissima Euangelii luce cæcutiunt. Lyræ igitur iudicio, Ecclesia non consistit ex iis, in quibus nulla est interna virtus. Iohannes Wiclefus Mertonensis noster, hanc opinionem, quæ improbos, etiam damnatos homines, Ecclesiæ Catholicæ membra esse finxerat, primum inter priuatas opiniones fraterculorum inuectam refert. Referam verba eius Anglice, sicut scripta sunt: *a Friars destroyen this article of Christian mens faith, Ibeleine o common or generall Churche. For they teachen that the men that shalbe damned be members of holy Churche. And thus they vvedden Christ, and the deuil tagether:* id est, *Fratres hunc articulum fidei Christianæ destruunt:* Credo Ecclesiam Catholicam. *Docent enim, homines damnandos membra esse Ecclesiæ sanctæ: & sic Diabolum cum Christo connubio coniungunt.* Ita Wiclefus originem erroris huius notat, quam à fraterculis primum inuectam demonstrat: quos testatur horrendo coniugio Christum cum Diabolo copulasse: quam absurditatem nullo modo effugere possunt, qui membra Ecclesiæ, qui sunt & membra Christi, docent esse sine omni interna virtute: ita enim & membra Diaboli Christo coniungunt. Gratianus in hanc sententiam quædam etiam ex veteribus Scriptoribus colligit, vt probet, impios ab Ecclesia separari per vitam malam. Agnoscit Gratianus, longe aliam fuisse Romanæ Ecclesiæ doctrinam (illo quo scripsit ipse seculo,) quam hodie promulgant Iesuitæ, de membris Ecclesiæ.

a tract. contr. frat. cap. 39.

dist. 14. q. 3.

eccleſiæ. Diximus de prima Eccleſiæ proprietate, Eccleſia ſancta eſt. Sanctimas hæc eſt in membris, quæ omnia ſanctificantur à ſancto Capite. At membra Eccleſiæ Romanæ, quæ nullam habent internam virtutem, non ſanctificantur à ſancto Capite. Non eſt ergo Romana Eccleſia illa, quam in Symbolo credimus ſanctam. Reſtat, vt de proxima nota dicamus.

CAPVT IV.

Credo Eccleſiam Catholicam.

DE Catholica Eccleſia controuerſia eſt inter Catholicam Eccleſiam, & Tridentinos. Vt veritas illuſtrius appareat, apponemus Bellarmini verba, quæ catholicam Catholicæ Eccleſiæ deſcriptionem continent. Verba longiora ſunt, ſed quia doctrinam Tridentinam, quam ſtabilire volunt, maxime ſubuertunt, ſubiungenda ſunt. Sic enim ſcribit:

a *Eccleſia vere Catholica non ſolum debet amplecti omnia tempora, ſed etiam omnia loca, omnes nationes, omnia hominum genera. Sic enim explicat, quid ſit, eſſe Catholicum, Vincentius Lirinenſis in ſuo commonitorio: vbi dicit, eos proprie eſſe Catholicos, qui tenent id, quod ſemper, quod vbique, quod ab omnibus creditum eſt. Et ſic prædictum erat Pſalm. 2. Dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & poſſeſſionem tuam terminos terræ. Sunt autem aliqua obſeruanda, antequam ex hac nota argumentum depromamus. Primum eſt ex Auguſtino, de veritate Eccleſiæ, cap. 6. & Beda, cap. 6. Cant. Vt Eccleſia ſit Catholica, inpri-* 1.

a *lib. 4. c. 7. de notis Eccleſ.*

primùm requiri, vt non excludat vlla tempora, loca, vel hominum genera. In quo distinguitur à synagogâ, quæ erat Ecclesia particularis, non catholica, quia erat adligata vni tempori, id est, vsque ad aduentum Messiæ: item vni loco, id est, templo Salomonis, & vni familiæ, id est, filijs Iacob. Secundo, notat ex Augustino, Epist. 80. vt sit Ecclesia Catholica, non requiri, vt sit in omnibus hominibus totius mundi: sed tantum, vt incrementum capiat omnibus prouincijs, & in omnibus fructificet: ita vt in omnibus prouincijs aliqui sint de Ecclesia. Tertio, ex Driedone, lib. 2. cap. 2. par. 2. Eccles. dogm. nota, non requiri, vt hoc fiat simul, ita vt vno tempore in omnibus prouincijs necessario esse oporteat aliquos fideles; satis est enim, si fiat successiue. Ex quo id sequitur, quod si sola vna prouincia retineret veram fidem, adhuc vere & proprie diceretur Ecclesia Catholica, dummodo clare ostenderetur, eam esse vnam & eandem cum illa, quæ fuit aliquo tempore, vel diuersis in toto mundo. Quemadmodum nunc qualibet dioecesis dicitur catholica, quia est continuata cum alijs, quæ faciunt vnam Ecclesiam Catholicam. Vltima nota, quod, etsi Ecclesia non necessario debuit simul esse in omnibus locis, tamen hoc tempore debet necessario vel esse, vel fuisse in maiori parte orbis terræ: quia Ecclesia iam senuit. Hactenus Bellarminus.

2.

3.

4.

Si hanc Catholicæ Ecclesiæ descriptionem recipiamus, Ecclesia nunc Romana nullo modo Catholica erit: quia tenet id, quod nec semper, nec vbique, nec ab omnibus creditum est: quia non retinet veram fidem: quia

deniq;

deniq; non est vna atq; eadem cum illa, quam in toto mundo Catholicam fuisse, omnes agnoscimus.

De Romana antiqua Ecclesia non dubitamus, quin cum Catholica consensum atque vnitatem retinuerit. Omnis controuersia est de hodierna Romana Ecclesia. a *Catholica Ecclesia*, inquit Bellarminus, *præter Italiam, Hispaniam, Galliam, Germaniam, Angliam, Poloniam, Boëmiam, Hungariam, Græciam, Syriam, Æthiopiam, Ægyptum, in ipso nouo orbe habet Ecclesias.* Hæc ille. Putat Bellarminus, sufficere ad probandum, Ecclesiam nunc Romanam Catholicam esse, si Iesuitæ, & Tridentina pars aliqua per omnes istas prouincias dispersi inueniantur. Nos etiam in omnibus istis prouinciis Catholicam vel esse, vel fuisse, vel futuram esse credimus; sed non nisi in illis, qui consensum atq; vnitatem retinent cum illa Ecclesia antiqua, quam Catholicam fuisse constat. Nam Ecclesia vna est, atq; eadem, quia vna doctrina, atque eadem fidei regula perpetuo manet. Vnitas autem Ecclesiæ non consistit in personis hominum, qui mutantur, sed in doctrina, quæ semper vna eademque permanet. Itaque Ecclesia Catholica dicitur non tantum à latitudine sua, quia nec locis certis, nec temporibus alligata est, sicut erat synagoga, verum etiam, & maxime à doctrina, quia tenet id, quod semper, quod vbique, quod ab omnibus creditum est, inquit Vincentius. Et Tertullianus de Marcione & Valentino

scri-

a ibid.

a lib. de præscript. c. 30.

scribens, sic ait: a *Constat, illos Catholicam primum doctrinam credidisse apud Ecclesiam Romanensem.* Non vocat Tertullianus Romanam Ecclesiam, Catholicam, sed Ecclesiam quidem Romanensem, doctrinam autem catholicam. Quanquam verum sit, Ecclesiam esse, & dici Catholicam, quæcunque fidem Catholicam profitetur: quia singulæ Ecclesiæ ad Catholicam pertinent, quatenus vnitatem fidei cum Catholica tenent. Eligant iam Pontificii, quocunque velint sensu Catholicam dici, & Ecclesia nunc Romana non erit Catholica.

Ecclesia igitur vel catholica est, vel particularis. Catholica est, quæ in Symbolo describitur, sancta catholica, sanctorum communio. Hæc est, quæ ædificatur super petram, Matth. 16 18. super doctrinam Prophetarum & Apostolorum, Ephes. 2. 20. Est corpus Christi, & complementum eius, qui omnia implet in omnibus, Ephes. 1. 23. Quæ sursum est Hierusalem, quæ est mater omnium nostrûm, Gal. 4. 26. Sancta ciuitas, Hierusalem noua, descendens de cœlo, à Deo parata, vt sponsa ornata viro suo: in qua nihil intrat coinquinatum, aut abominandum, sed qui scripti sunt in libro vitæ agni: Apocalyp. 21. 2. 27. Ita Catholicam describunt Scripturæ.

Particularis Ecclesiæ (siue vnius ciuitatis siue prouinciæ, siue vnius integræ sit gentis) descriptio peti potest ex Rom. 2. 2. quo loco Apostolus Ecclesiam Iudaicam breuiter de-

scri-

ſcribit, vbi docet, illis credita fuiſſe eloquia Dei. Non dicit, creditum illis fuiſſe verbum Dei tantum, τὸν λόγον: nec Sacramenta tantum, τὰ μυστήρια: ſed oracula Dei, τὰ λόγια θεοῦ. Tali verbo vtitur, quod & verbum & Sacramenta comprehendat. Ita Apoſtolus docet, Eccleſiam eſſe cœleſtis theſauri, verbi nimirum, & Sacramentorum cuſtodem. Ac proinde docet idem Apoſtolus, Eccleſiam eſſe columnam, & firmamentum veritatis, quia veritatem in verbo & Sacramentis concreditam ſibi, firma fide cuſtodit. Huius igitur fidei credita ſunt, non humana dogmata aut traditiones, ſed diuina oracula. De particulari Eccleſia loqui Apoſtolum, ac non de catholica, verba proxime ſequentia euincunt: Quid ſi in illis quidam non crediderunt, num fidem Dei irritam reddiderunt? Quibus verbis oſtendit, 1. In omni externo cœtu malos & infideles fidelibus commiſtos eſſe. 2. Malorum ſocietatem externam non poſſe fidelibus nocere, qui in diuinis promiſſionibus recumbunt. 3. Eccleſiam veram, id eſt, vere credentes in mundo conſiſtere, non humana politia, ſed diuina virtute, fidei Dei, hoc eſt, veritati innixam. Fides autem Dei commendatur, non ſolum, quia Deus fidelis eſt, qui promiſit, ſed quia promiſit fidem Eccleſiæ. a *Promiſit*, inquit Auguſtinus, *qua ipſe facturus erat, non quod præduſtin. homines erant facturi, quando Abrahæ promiſerat, in ſemine eius fidem Gentium. Quia etſi faciunt homines bona, ipſe tamen facit, vt faciant, qua præce-*

a *lib. 1. de ſanct.*

sit, alioquin, vt Dei promissa complcantur, non in Dei, sed in hominum esset potestate. Hæc Augustinus. Hæc est fides Dei, per quam Ecclesia consistit: quæ fides Dei irrita esse non potest, quamuis multi homines vani, superbi, auari, fraudulenti inueniantur in cœtibus Ecclesiasticis omnibus, quales sunt particulares Ecclesiæ.

Itaque describi potest Ecclesia particularis, quod sit cœtus hominum visibilis, qui per externam verbi prædicationem, & Sacramentorum administrationem, ad internam communionem sanctorum ducitur. Hæc descriptio succincte continet ea omnia, quæ in aliorum descriptionibus fusius ponuntur. Nam communio sanctorum necessaria videtur in
1. Ecclesiæ descriptione. 1. Quia ponitur in Symbolo: neque enim particularis Ecclesia vera Christi Ecclesia dici, aut esse potest, nisi quatenus cum Catholica vnitatem retinet. Vnitas autem, quam particulares Ecclesiæ cum Catholica habent, est vnitas Capitis, vnitas Corporis, vnitas doctrinæ, vnitas spiritus: sicut ostendemus eo loco, quo de vnitate Ecclesiæ Catholicæ disputabitur. Hæc vero omnia paucissimis verbis collecta, communio sanctorum continet. Ac proinde sine hac communione sanctorum non commode potest particularis Ecclesia ita describi, vt hæc vnitas cum Catholica retineatur, sine qua vnitate Ecclesia esse non potest. 2. Quia fallax il-
2. la Ecclesiæ descriptio per partem Tridenti-

nam

nam posita, paucissimis istis verbis facillime, & vere reiicitur. Vident enim, in Ecclesiæ definitione exprimendam esse connexionem membrorum cum Capite, itaque communionem sanctorum reiiciunt, & pro ea nouam atque inauditam communionem substituunt cum Romano Pontifice, tanquam cum Ecclesiæ Capite. At connexionem hanc, quam habet Ecclesia cum Capite, perfecte continet, atque optime explicat communio sanctorum. 3. Quia hæc duo verba Pontificiorum exceptiones tollunt. Quanquam enim verum sit, quod docent nostri, id est, Catholici veteres ac recentes, Ecclesiam constare ex electis: quia tamen Pontificii exclamant, Ecclesiam in terris militantem, esse visibilem cœtum: vt ora istis obturemus, & tamen Catholicorum omnium sententiam retineamus, communionem sanctorum in hac descriptione ponamus: ita idem efficitur, ac si electos posuissemus, quia non est hæc communio, nisi inter electos. Et Pontificiis rixandi ansa præripitur: qua enim fronte ab Ecclesiæ descriptione reiicere possunt ea verba, quæ ad Ecclesiæ descriptionem illustrandam in Symbolo Apostolorum retinentur? Iam vero videamus, quantum errent Pontificii in Ecclesia describenda. 3.

Bellarminiana itaque definitio illa erronea est in plurimis. 1. Quia quum Catholicam definire profiteatur, particularem descripsit. 2. Quia, quam ille describit, veram atq; vnicam

esse affirmat, quæ errare non possit; quum particularis omnis errare possit. 3. Quod Christianæ fidei professionem requirat, & Sacramentorum communionem, suscipimus quidem hanc sententiam, modo recte explicetur. Professionem autem intelligit Bellarminus, quamcunque probat Romanus Pontifex: at vero fidei professionem, & Sacramentorum communionem, ad verbi diuini normam, non ad Romani Pontificis nutum reuocandam credimus. 4. Quod membra Ecclesiæ externa tantum professione designet, & Sacramentorum communione, quæ sensu ipso percipitur. Nam docuimus è Scripturis, atque Ecclesiæ consensu, membra Ecclesiæ esse sanctos homines, qui veris virtutibus lucent. 5. Quod in Ecclesia Catholica Romani Pontificis regimen statuat. Si de particulari Ecclesia Romana loquatur, concedimus in ea regimen Romani Pontificis, quamdiu ille in verbi & Sacramentorum administratione erectus consistit. Catholica autem Romani Pontificis regimen non agnoscit. 6. Quod Romanum Pontificem Christi in terris Vicarium affirmat. Hæc sunt in Ecclesia definiendâ Pontificiorum postulata, quæ somniando optare solent, disputando probare non possunt.

De particularibus loquitur Scriptura, 1. Cor. 1. 2. Ecclesia, quæ est Corinthi. Sic Ecclesiæ Galatæ memorantur, Gal. 1. 2. & Ecclesia Thessalonicensium, 1. Thess. 1. 1. Huiusmodi erant

erant ſeptem illæ Eccleſiæ in Aſia, de quibus 1. & 2. Apocal. Talis erat Eccleſia Romana, Rom. 1. 6. 7. Quia vero in qualibet particulari Eccleſia boni ſunt malis commiſti, huiuſmodi cœtus à Chriſto aſſimulantur agro, in quem quum bonum ſemen iactum fuerat, hominibus dormientibus zizania ab inimico ſeminantur: & vetriculo in mare coniecto, atque omne genus piſcium attrahenti, Matth. 13.

Hæc diſtinctio inter catholicam & particularem Eccleſiam, è Scripturis manifeſtis confirmata, adeo illuſtris eſt, ac neceſſaria, vt eam Bellarminus ipſe non potuerit non probare. a *Aliud eſt, inquit, errare, & paratum eſſe ad diſcendum, & quum didiceris ad obediendum: aliud nolle diſcere, & quum audieris veritatem, nolle acquieſcere. Neutrum eſſe poteſt in Eccleſia vniuerſali, in Eccleſia autem particulari poteſt eſſe illud primum, in neutra autem illud ſecundum ſed ſolum in ſynagoga Satanæ, & Eccleſiis malignantium.* Hæc ille. Agnoſcimus diſtinctionem vniuerſalis & particularis è Scripturis exceptam, à Patribus traditam, ab ipſis Aduerſariis approbatam, ac celebratam. Neque vero duas, aut diuerſas Eccleſias ponimus, ſed vnicam tantum. Nam omnes particulares Eccleſiæ ſunt Eccleſiæ, quatenus cum Catholica communicant; non aliter. Ad hanc formam examinabimus Eccleſiam nunc Romanam. De membris Eccleſiæ diximus: de communione membrorum cum capite, & inter ſe, deinceps eſt dicendum, in Communione ſanctorum. Hoc

a *lib. de notis Eccleſ. c. 2.*

autem loco ex Patribus partim Catholicæ Ecclesiæ, partim Romanæ Ecclesiæ descriptionem quæremus. Siue enim Catholicam per orbem vbique dispersam, siue Romanam suis limitibus comprehensam describant Patres: illud facile constabit, nec Romanam esse Catholicam, nec Catholicam Romanam. Catholicam igitur sic describere solent Patres.

CAPVT V.

Continet testimonia Græcorum Patrum, de Ecclesia Catholica.

a *Hom. 23. in Num.*

GRæci sic docent. Origenes: a *Sol iustitiæ Christus est, huic si Luna, id est, Ecclesia sua, quæ lumine ipsius repletur, iuncta fuerit, & penitus ei adhæserit, tum festiuitatem Neomeniæ agit.* Et mox: *Tunc denique est, quando Ecclesia neque videri, neque comprehendi humanis aspectibus potest.* Sic Origenes Ecclesiam Catholicam descripsit. Quærant Pontificii ex Origene, reliquisque Patribus, quare Ecclesiam Catholicam dicant esse inuisibilem: neque videri, neque comprehendi humanis aspectibus: & vel Patrum iudicia reiiciant, vel nobis æquiores sint, qui Patrum doctrinam illibatam custodimus. Eusebius: b *Per totum orbem terrarum Christi Ecclesia vnius domus Dei locum obtinet.* Basilius, qui de Catholica Ecclesia nunquam querebatur, grauiter de Romana Ecclesia conqueritur: c *Nullum eorum malis auxilium speran-*

b *Demonstrat. Euang. lib. 4. cap. 19.*

c *Epist. 10.* ποῖα βοήθεια ἡμῖν τῆς δυτικῆς ἐφρύος.

sperandum ab Occidentali supercilio. Et quem locum Romano Pontifici nusquam concedit Basilius, eum facile S. Ambrosio concedit, *vt in primaria Apostolorum sede consistat,* a ἐπὶ τὴν προεδρίαν τῶν ἀποστόλων. Quæ verba Basilii ad Ambrosium obseruanda, quia probant primariam sedem in Ecclesia Catholica, non iure aliquo, aut prærogatiua vni concessam, sed ex mutua charitate honorem hunc aliquando Romanis Episcopis, aliquando etiam aliis collatum.

a *Epist. 55.*

Cyrillus Hierosolymitanus: b *Catholica vocatur, quia per vniuersum sit orbem terrarum diffusa, à finibus terræ vsq; ad extrema: & quia docet catholice, & quia in vniuersum curat omne genus peccatorum.* Et mox: *Hoc proprium nomen sanctæ huius, & matris omnium nostrûm, quæ est sponsa Domini nostri Iesu Christi.*

b *Catech. 18.*

Chrysostomus multa habet de Catholica, ex quibus constat, Romanam non esse Catholicam. Quædam subnectam ex Homilia de Pentecoste, vbi sic habet: c *Multum Deo Ecclesia chara est, non muris circundata, sed fide circumsepta. Propter Ecclesiam namque extensum est cœlum, diffusum est mare, extensus aër, terra fundata est, paradisus plantatus est, non tenetur temporum qualitate, sed Spiritus eam sancti gubernat gratia. Et ideo non senescit, non contrahitur, & multis impugnantibus, non opprimitur. Et tunc quidem, quum vndecim essent Apostoli, nullus eos superare potuit, sed pauci homines totum ceperunt mundum: & nunc, quando terra, & mare, & orbis terra-*

c *Homil. 26. quæ est de Pentecost.*

rum, & inhabiles regiones, & ciuitates, & omnes fines terræ pietate repleti sunt, putas eam te posse ledere? Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduersus eam. Super hanc petram, non dixit, super Petrum: non enim super hominem, sed super fidem ædificauit Ecclesiam suam. Quid autem erat fides? Tu es Christus filius Dei viui: Petram vocauit Ecclesiam, fluctus suscipientem, & non titubantem. Etenim Ecclesia tot sustinet tentationes, non tamen vincitur. Quid est super petram? Hoc est, super confessionem, super sermones pietatis. Vbicunq; iero, ad Indos, ad Mauros, ad Armannos, ad Hispanos, vsq; ad vltimum finem terrarum, inuenies Ecclesiam. Hæc Chrysostomus. Quæ fusius transcribenda censui, quia luculenter probant, Chrysostomi iudicio Romanam Ecclesiam non fuisse Catholicam: Ecclesiam Catholicam super petram ædificatam dicit, non super Petrum, super fidem, super confessionem veritatis fundatam, non super hominem, contra Tridentinos, quinihil nisi Petrum & Papam sonare solent.

Sed obiiciunt ex Chrysostomo verba quædam Pontificii, quæ huic Chrysostomi loco contradicere videntur. Verba, quæ obiiciunt, sunt huiusmodi: a *Vt Ecclesia tot tantisq; fluctibus impetu irrumpentibus immobilis maneat, cuius pastor & caput piscator homo, atq; ignobilis: terrarum orbe resultante, adamantinæ naturæ firmitate supersit. Et ad Hieremiam dicebat: Sicut columnam ferream, & sicut murum æneum posui te. Sed ipsum quidem gentis vnius patet, hunc autem vniuerso terra-*

a in Matth. cap. 16 Homil. 55.

terrarum orbi Christus præposuit. Hæc ille. Ex quibus verbis colligunt, Petrum vocari caput Ecclesiæ, & vniuerso orbi præponi. Inde etiam Romani Pontificis prærogatiuam concludunt.

Respondeo: Vt concedamus, hæc fuisse genuina Chrysostomi verba, non tamen attingunt Romanum Pontificem. Nam quæ Petro concessa erant à Christo, non solum omnibus æque Apostolis, sed in Petro etiam omnibus æque Episcopis concessa fuisse intelligunt antiqui Patres: sicut euidentius constabit in testimonio Cypriani; omnibus etiam Ecclesiis, sicut habet Chrysostomus. Sed obseruate, quæso, insignem impudentiam istorum hominum, qui in mendacio posuerunt spem suam. Nam in Latina Chrysostomi interpretatione homines nefarii verba illa interpolarunt [*cuius pastor & caput, piscator homo*] vt probent, Petrum Ecclesiæ caput dici. Græca Chrysostomi verba nihil habent huiusmodi. Locus hic Græce sic legitur: καὶ ἄνθρωπον ἄλιέα πέτρας πάσης ἀφοφίλαι στερρότερον τῆς οἰκουμένης πολεμούσης ἁπάσης, ταῦτα αὐτῷ ἐπαγγέλλεται δώσειν. Hæc Chrysostomus. In quibus verbis, nec caput Ecclesiæ, nec pastorem Ecclesiæ inuenies; nec vniuersum terrarum orbem Petro subiectum. Atque hic est Pontificius candor, vt Patrum scripta nefariis manibus corrumpant, deinde ex corruptis & confictis scriptis simpliciores conturbent.

Theodoretus refert sententiam Constan-

a Theodor. hist. lib. 1. c. 10. tini Magni, in hæc verba: a *Vnam Salvator noster vniversalem voluit esse Ecclesiam, quæ ex partibus in multa ac diversa loca distributa sit, vno tamen Spiritu adsit, diuino consilio fungatur.* Idemque Theodoretus verba refert Alexandri, Episcopi Alexand. huiusmodi: b *Confitemur vnam & solam Ecclesiam vniversalem, quam non totius mundi oppugnatio possit subuertere, perpetuo victricem seditiosa impietatis alienorum dogmatum.* Hæc ille.

b Ibid. cap. 4.

Ita igitur docuerunt Græci Patres. Quum vero Græci Scriptores Catholicam matrem omnium nostrum celebrent, num Romanam designant? Nihil minus. Orientales enim Ecclesiæ à Romana religionem ac fidem non acceperunt, sed Romanæ dederunt; nec quisquam Pontificiorum tantum vnquam arrogare potuit, vt Romanam Ecclesiam dicerem matrem Ecclesiarum in Oriente. Si autem Romana Ecclesia non sit illarum Ecclesiarum mater, profecto non est Catholica. Illæ enim Catholicam agnoscunt matrem suam. Nos vero eandem cum illis matrem agnoscimus Catholicam. Hactenus Græci; pudiamus Latinos.

CAPVT VI.

Continet testimonia Latinorum Patrum, de Ecclesia Catholica, & de Ecclesia Romana.

Optatus de Ecclesia Catholica sic disputat: c *Vbi erit proprietas Catholici nominis?*

c Optat.

Quum

Quum inde dicta sit Catholica, quia sit rationabilis, & vbique diffusa. Hæc ille. Quum Donatistæ iactarent Ecclesiam apud se fuisse, quod hodie faciunt Pontificii, interrogat eos Optatus: a *Si pro voluntate vestra in angustum coarctatis Ecclesiam, si vniuersas subducitis gentes, vbi erit illud, quod Filius Dei meruit? Tota est donata terra, cum gentibus totius terræ Christo, vna possessio est.* Hæc ille. Probat, Ecclesiam Catholicam Christi hæreditatem esse, non Romani Pontificis. Supra docuimus ex Optato, iudicem controuersiarum in terris non esse quærendum, sed Christum in Scripturis, iudicem in Ecclesia agnosci. Cyprianus etiam de Catholica sic scribit: b *Non paucorum, nec Ecclesia vnius, aut vnius prouinciæ, sed totius orbis hæc causa est.* Hæc ille. At quicunque antiquitus de Romana Ecclesia scripserunt, vnius prouinciæ terminis eam claudere solebant. Alia est ergo Ecclesia Romana vnius prouinciæ, alia totius orbis.

a ibid.

b Epist. 14.

E Cypriano etiam adducunt Pontificii quædam pro primatu Romani Pontificis, & Romanæ Ecclesiæ autoritate. Sed quæ adducuntur, alio spectant. Negamus prorsus, vel primatum Romani Pontificis, vel autoritatem Romanæ Ecclesiæ in alias concessam fuisse à Cypriano. Et quia Pontificii ex istis putant se probare, Ecclesiam suam Catholicam esse, examinanda sunt, quæ producunt. Afferunt inprimis è Cypriano locum illum: c *Neque enim aliunde hæreses obortæ sunt, aut natæ schismata,*

c Epist. 15.

ta, quam inde, quod sacerdoti Dei non obtemperatur, nec vnus in Ecclesia ad tempus sacerdos & ad tempus Iudex vice Christi cogitatur. Hæc Cyprianus. Quæ quidem verba rapiunt Pontificii ad Romanum Pontificem, quem vnum in Ecclesia Iudicem, vnum sacerdotem intelligi volunt. Sed frustra: quia certissimum est, Cyprianum loqui non de Cornelio, ad quem scribit, sed de seipso, qui contemptus erat à Nouatianis: & per totam Epistolam illam dolorem suum profert, quod ei minarentur hæretici: & quod hæreticorum calumniæ etiam apud Cornelium locum habere viderentur. Sic etiam apertissime de seipso scribit Epistola ad Puppianum, vbi eadem etiam verba refert: a *Vnde enim schismata & hæreses*, inquit, *obortæ sunt, & oriuntur: dum Episcopus, qui vnus est, & Ecclesiæ præest, superba quorundam præsumptione contemnitur.* Hæc Cyprianus non de Romano Pontifice, sed de seipso scribit, qui à Puppiano contemnebatur. *Quis nostrum*, inquit ipsidem, *longe est ab humilitate? Ego, qui quotidie fratribus inseruio, & venientes ad Ecclesiam, singulos benigne, & cum voto & gaudio suscipio: an tu, qui te Episcopum Episcopi, & Iudicem Iudicis ad tempus à Deo dati constituis?* Quæ verba superioribus simillima exponunt locum superiorem, & liquido demonstrant, Cyprianum seipsum vocare Iudicem vice Christi ad tempus in Ecclesia. Quod autem de se in sua prouincia sentit, idem etiam de quouis alio Episcopo (non de Romano tantum) in sua prouincia iudicat. b *Nam*

a *Epist. 69.*

b *Epist. 51.*

Epi-

Episcopatus vnus est, inquit, *Episcoporum multitudo, concordi numerositate diffusus.* Et: a *Episcopatus vnus est, cuius a singulis in solidum pars tenetur.* Itaque eodem libro, de vnitate Ecclesiæ, *Vnitatem*, inquit, *firmiter tenere & vindicare debemus, maxime Episcopi, qui in Ecclesia præsidemus, vt Episcopatum quoq; vnum atq; indiuisum probemus.* Ac proinde eodem libro, *vnam cathedram constituit*, docet, *& vnitatis eiusdem originem ab vno incipientem.* Quem locum Pontificii magno applausu ad Romani Pontificis primatum stabiliendum rapere solent: sed frustra. Nam: *hoc*, inquit, *erant cæteri Apostoli, quod fuit Petrus, pari consortio præditi, & honoris, & potestatis. sed exordium ab vnitate proficiscitur. Primatus Petro datur, vt vna Christi Ecclesia, & cathedra vna monstretur.* Ad hæc verba exultant Pontificii, & se primatum Romani Pontificis hinc certo probasse confidunt.

a *lib. de vnit. Eccles.*

Respondeo: Cyprianus ex his verbis probat vnitatem Episcoporum omnium; non primatum vnius: neque magis ad Romanum Episcopum pertinent hæc verba, quam ad quemuis alium Episcopum. Nam quæ Petro dicta sunt à Christo, non ad vnum Romanum, sed ad omnes æque Episcopos dicta contendit Cyprianus: ita vt non plus Romanus Episcopus à Petro habuerit, quam Cyprianus, aut quiuis alius Episcopus: non hic commentum meum, sed Cypriani sententiam explico: & nisi hanc sententiam ex ipsius Cypriani verbis euincam, reiiciendam indicabo.

Cypria-

§ Epist. 27. Cyprianus ergo sic scribit: *a Dominum nostrum, cuius præcepta metuere, & observare debemus, Episcopi honorem, & Ecclesiæ suæ rationem disponens, in Euangelio loquitur, & dicit Petro: Ego tibi dico, quia tu es Petrus, & super istam petram ædificabo Ecclesiam meam, &c. Inde per temporum & successionum vices Episcoporum ordinatio, & Ecclesiæ ratio decurrit, vt Ecclesia super Episcopos, & omnis actus Ecclesiæ per eosdem præpositos gubernetur.* Hæc Cyprianus. Quibus verbis armaturâ omnem è Pontificiorum manibus valida manu extorquet, & quem locum Scripturæ isti adducere solent, ad Romani Pontificis primatum stabiliendum, Cyprianus diserte ad omnes æque Episcopos pertinere probat: omnes æque Petro succedere in hoc, nec quicquam supra reliquos Romanum Pontificem à Petro habere. Non dicit Cyprianus, istis verbis Dominum Romani Episcopi honorem, sed Episcopi honorem, & Ecclesiæ rationem disponere: neque inde Romani Episcopi ordinationem, sed Episcoporum omnium ordinationem, & Ecclesiæ rationem decurrere: nec vt inde super Romanum Episcopum, sed super omnes Episcopos actum Ecclesiæ, & præpositurarum probari. Est ergo vnus Episcopus, vnus Iudex, vnus Episcopatus, vna Cathedra. Ex verbis autem Christi ad Petrum, nihil omnino Cypriani iudicio probari potest, nisi vnitas, & æqualitas Episcoporum omnium. Hæc Episcoporum vnitas mirificè demonstrat communionem sanctorum, quæ

tunc

hunc in Ecclesia viguit: nunc vero per Romani Pontificis fastum, proh dolor, conculcatur. Id enim egit primatus Pontificis, vt haec vnitas Ecclesiæ, & communio inter Episcopos, penitus ab Ecclesia exulet.

Primatum Petro quidem concedit Cyprianus: at vt inde Romano etiam Episcopo primatum tribuat, nunquam à Cyprianо extorquebis. a *Nam nec Petrus*, inquit, *quem primum Dominus elegit, & super quem ædificauerat Ecclesiam suam, cum sectum Paulus de circumcisione postmodum disceptaret, vindicauit sibi aliquid insolenter, aut arroganter assumpsit, vt diceret, se primatum tenere, & obtemperari à nouellis & posteris sibi potius oportere.* Hæc ille. Quibus verbis Romanoi Pontificis insolentiam & arrogantiam vellicat, qui primatum sibi iam tum affectabat. Itaque innuit, Romanum Pontificem hoc sibi insolenter vindicasse, & arroganter assumpsisse. Sententiam igitur suam satis accurate explicat Cyprianus. Nam quum primatum concesserat Petro, & videret, Romanos Pontifices primatum inde sibi arroganter assumere, negat prorsus illis primatum, quem sibi supra reliquos vindicabant, quo cogerent alios sibi obtemperare. a Epist. 71.

Firmilianus ad Cyprianum scribens, sic ait: b *Ego in hac parte iuste indignor, ad hanc tam apertam & manifestam Stephani stultitiam, quod sic de Episcopatus sui loco gloriatus, & se successorem Petri tenere contendit.* Hæc ille. Ipse etiam b Epist. 75.

Cy-

Cyprianus insolentiam Romani Pontificis grauissimis verbis redarguit. a *Nec enim*, inquit, *quisquam nostrum Episcopum se Episcoporum constituit, aut tyrannico terrore ad obsequendi necessitatem, collegas suos adigit, quando habeat omnis Episcopus pro licentia libertatis & potestatis suæ arbitrium proprium, tamq; iudicari ab alio non possit, quam nec ipse potest alterum iudicare.* Hæc ille. Dicant Pontificii, quem feriunt ista verba? & quisnam sit, qui tyrannico terrore iamdudum adegit collegas ad obsequendi necessitatem, & quisnam ille sit, qui se iam Episcopum Episcoporum constituit? Hæc è Cypriano obiecta animus, quia Pontificii per fraudem, locum vnum aut alterum arripere solent: quem extra Cypriani sententiam sensumq; torqueant ad probandum Romani Pontificis primatum. Si quis per inscitiam aut fraudem locum aliquem luxatum rapiat, & veluti membrum de suo corpore auulsum ostentet, non negamus, hoc modo simplicioribus imponi posse: Sed si quis cordatus lector Cyprianum totum euoluat, negamus, per omnia eius opera verbulum vnum reperiri, quo Romani Pontificis primatus ex Cypriani sententia stabiliatur. Ad reliquos pergamus.

a *Concil. Carth. apud Cyprian.*

Hieronymus: b *Nec altera Romana vrbis Ecclesia, alterata rotius orbis existimanda est. Et Gallia, & Britannia, & Africa, & Persis, & Oriens, & India, & omnes barbaræ nationes vnum Christum adorant, vnam observant regulam veritatis, si auctoritas quæritur, orbis maior est vrbe.* Hæc ille. Quo loco

b *Epist. ad Evagrium.*

loco disputat Hieronymus contra quendam, qui (vt ipsius verbis vtar) in tantam eruperat vecordiam, vt Diaconos Presbyteris anteferret. Hanc ordinis Ecclesiastici confusionem Romana Ecclesia iam tum fouebat. Quam opinionis nouitatem sic refutat Hieronymus. Primo distinctionem adhibet Ecclesiæ Catholicæ, & Romanæ; vt Romana sit Ecclesia vnius prouinciæ aut vrbis; Catholica sit totius orbis Ecclesia. Et quia omnes particulares vnam catholicam constituunt, si catholicam vnitatem spectes, non est altera Romana, altera totius orbis Ecclesia; quia Ecclesia vna est in omnibus gentibus. Sed si vna aliqua particularis Ecclesia per se consideretur, maior est authoritas Catholicæ, quam vnius. Qui maiorem autoritatem Catholicæ Ecclesiæ affirmat esse, quam Romanæ: Romanam non potuit Catholicam intelligere. Hæc liquido demonstrant, Romanam Ecclesiam non fuisse Catholicam Hieronymo; quia Romana est vnius vrbis, Catholica totius orbis: Romanæ Ecclesiæ minor est autoritas, Catholicæ maior: Romana Ecclesia peruersum istum morem tulit, & confusionem ordinis Ecclesiastici, quem non tulit Catholica. Non ergo Romana erat Catholica.

Augustinus etiam inter Catholicam & Romanam comparationem instituit, qua quidem ita confirmat, Romanam non esse Catholicam, vt nulla distinctio Iesuitica suffugium præstet, etiamsi mare magnum Scoticarum

rum speculationum evoluant. Vrbicus quidam Romanæ Ecclesiæ consuetudinem in Sabbati ieiunio aliis Ecclesiis imponere satagebat. Huic respondet Augustinus, a variosque errores istius Romani Vrbici refutat, nempe istos:

a *Augustin. Epist. 86.*

Quod ieiunium errores & peccata abluat.

In ieiunio meritum esse.

Ad peccatum cogi homines, quia prandetur.

Regnum Dei non esse in cibo & potu, sed in ieiunio.

Prandium esse malum & tenebras, &c.

Hæc Romanæ Ecclesiæ mysteria de ieiunio iam tum propalabat Romanus iste Vrbicus. *Simon Petrus*, inquit Romanus iste Vrbicus, *Apostolorum caput, cæli ianitor, & Ecclesiæ fundamentum, extructo Simone Mago, qui fuerat Diabolo, non nisi ieiunio vincendi figura, idipsum Romanos edocuit.* Hæc Augustinus irridet, & refutat, & diserte ait, *Vrbicum hunc*, b *toto terrarum orbe diffusam, exceptis Romanis, & paucis admodum Occidentalibus, blasphemare Ecclesiam.* Hæc Augustinus. Ex quibus verbis constat, Ecclesiam Romanam Augustino non esse Catholicam, quia Vrbicus iste, qui Romanam collaudabat, blasphemaret Catholicam.

b *Epist 86.*

Ex hoc loco duo sunt diligenter notanda: Primum, de moribus Ecclesiæ Romanæ, ex disputatione Vrbici: Alterum, de moribus

bus Ecclesiæ Catholicæ, ex responso Augustini. Nam ex Vrbici verbis intelligimus Romanæ Ecclesiæ ingenium. Romani Pontifices affectabant semper cæremonias suas aliis Ecclesiis, tanquam iugum, imponere. Et veterատorias artes prodit iste Vrbicus. Nam traditiones, quas nulla alia ratione probare possunt, scilicet ad Apostolicas traditiones referunt. Sic Vrbicus iste traditionem Romanam de ieiunio, ad Petrum Apostolum referre ausus est. Itaque in hoc vno facto Romanæ Ecclesiæ ingenium & mores expressos habemus. Nec minore studio ex Augustini verbis Ecclesiæ Catholicæ ingenium moresque obseruare debemus, contra istas Romanorum artes. Nam Augustinus contra Romanæ Ecclesiæ consuetudinem opponit Catholicæ Ecclesiæ iudicium. Hæc refutatio antiquis sufficiens videbatur, vt contra particularem aliquam Ecclesiam autoritatem Catholicæ obiicerent. Eodemque modo refutabant Patres Africani impudentiam Romanorum Pontificum, Zozimi, Bonifacii, & Cælestini. Etenim Ecclesia Romana potestatem in alias Ecclesias vindicare tentabat, viuo Augustino, & Appellationes ab aliis Ecclesiis ad Romanum Episcopum fieri volebant. Ad eam rem conficiendam, confictum Niceni Concilii canonem iactabant Romani Pontifices. Canon ille fictitius extat Concil. Carthag. 6. cap. 3. Augustinus, aliique Patres

Africani, etsi impostūras Romanas satis intelligebant, satisque fuisse videretur fictionem simpliciter reiecisse: tamen ad posteritatis memoriam publico Ecclesiæ iudicio hanc impudentiam refutari voluerunt. Missa igitur legatione ad Episcopos Alexandriæ, & Constantinopolis, ab illis exemplaria Niceni Concilii authentica recipiunt. Atque ita ex publico Ecclesiæ iudicio vanitatem Romanorum Episcoporum reiiciunt.

Concil. African. cap. 101.

Quod igitur antiqui Patres facere solebāt, hoc nos etiam sedulo facimus. Romanæ Ecclesiæ mores ex Catholicæ Ecclesiæ moribus iudicamus: nec Catholicam ad Romanam, sed Romanam ad Catholicam reuocandam, & instituendam censemus. Numquid autem à quoquam distertius affirmari potuit, quam est ab illis duobus grauissimis Patribus, Hieronymo & Augustino constanter contestatum, Romanam Ecclesiam non esse Catholicam? quum ab vtroque Catholica & Romana opponantur, tanquam vniuersalis, & particularis. De primatu, quem tanta ambitione Romanus Episcopus affectabat; grauissima extat Augustini sententia, qua sententiam sensumque Ecclesiæ veteris diserte declarat: *a Primatus*, inquit, *non est, nisi in sancta conuersatione, & vita bona.* Istis addamus grauissimum Ambrosii iudicium. Ex iis, quæ ex Hieronymo atque Augustino adduximus, facile constat, Ecclesiam Romanam iam tum aliis Ecclesiis innouationes quasdam obtrudere voluisse,

a *de baptismo Donatist. lib. 5. cap. 16.*

luisse, quibus isti egregie restiterunt. Huic Romanæ ambitioni, viuo etiam Ambrosio, in Mediolanēsi Ecclesia locus non erat. Ambrosius enim disputans de ceremonia illa, quæ erat in lotione pedum, sic ait: a *In omnibus sequi cupio Ecclesiam Romanam, sed tamen & nos homines sensum habemus: ideo quod alibi rectius seruatur, & nos recte custodimus.* Hæc Ambrosius. Quum igitur dissentiret à Romana Ecclesia, se sensum habere non dubitabat Ambrosius: quod de Catholica Ecclesia nunquam dixisset, aut cogitasset. Romana igitur Ecclesia non erat Catholica Ambrosio.

a *lib. 3. de Sacram. cap. 1.*

Veniamus ad Gregorium. Gregorius sic habet: b *Vniuersa Ecclesia, quæ vnam Catholicam faciunt, adolescentulæ vocantur, non jam vetustæ per culpam, sed nouellæ per gratiam.* Hæc ille. Non ergo Romana Ecclesia Catholica est Gregorio, quia Catholicam vocat, quæ ex vniuersis particularibus consistit. Particularem Ecclesiam sic describit: c *Præsens Ecclesia bonos simul malosq; colligit, nec eligit, quos trahat, quia quos eligere possit, ignorat.* Iterumque: d *Sicut inhonesta membra in corpore, ita quidam sunt intra sanctam Ecclesiam potentes, & præterui.* Sic ille de Ecclesia præsente, quam vocat, siue particulari. De particulari Romana Ecclesia Gregorius, quod res est, faretur: e *Ex amore quippe fidelium, inquit, huius sedis refferibus, mos vltra meritum erupit.* Sic ille de moribus quibusdam inuerecundis Ecclesiæ Romanæ, quos sanctus ille vir remouere curabat: alii vero post ipsum

b *in Iob lib. 19 cap. 9.*

c *Hom. 24. in Euang.*

d *in Iob lib. 13. cap. 3.*

e *lib. 4. Epist. 44. indict. 13.*

retinere, atque augere certarunt. De primatu Romani Pontificis nota est, & celebris Gregorii censura, ex contentione contra Iohannem Constantinopolitanum, & Iohannis successorem Cyriacum: qui œcumenici Episcopi titulum affectabant, quem Gregorii successores deinceps obtinuerunt. a *Certe*, inquit, *Petrus Apostolus primum membrum sanctæ vniuersalis Ecclesiæ est: Paulus, Andreas, Iohannes, quid aliud quam singularum sunt plebium capita? & tamen sub vno capite omnes membra sunt Ecclesiæ.* Et mox: *Sancti ante legem, sancti sub lege, sancti sub gratia, omnes hi perficientes corpus Domini, in membris sunt Ecclesiæ, & nemo se vniuersalem vocari voluit.* Hæc Gregorius. Si Petrus, si Paulus, Iohannes, Andreas, sunt tantum singularum plebium capita, membra vero vniuersalis Ecclesiæ: quis est hic, qui se post Gregorium Caput vniuersalis Ecclesiæ vocari vult? Si demus Pontifici quantum vel Petro Gregorius dederat, Caput Ecclesiæ Catholicæ non erit, quia nec Petrus erat. Gregorii humilitas, & synceritas Antichristi superbiam confodit. Beda de Catholica sic docuit: b *Omnes Ecclesiæ per orbem vnam Catholicam faciunt.* Hæc ille. Non ergo vna Romana, sed omnes per orbem hoc præstant. Idem docent c Eucherius, d Rupertus, aliique, vsq; ad Bernardum.

a *lib. 4. Epist. 38. indict. 13.*

b *hist. Eccl. lib. 5. cap. 22.*

c *lib. 3 comm. in Reg.*

d *in Ioan. lib. 14. c. 20.*

Bernardus quædam diuersa à superioribus Patribus docuit: sed tamen egregie de Ecclesia sensit; quam cœtum electorum, & con-

gre-

gregationem iuſtorum vocat, vt ſuperius obſeruauimus. De aliis etiam articulis ſumma fide atque integritate docuit contra ea, quæ nuper ſtatuit pars Tridentina. Gloriantur tamen Pontificii, Bernardum Papiſtam eſſe. Refert Bellarminus Caluini cenſuram de Bernardo. a Caſuinus, inquit ille, Inſtitut. cap. 10. §. 17. vocat Bernardum pium ſcriptorem. Subiungit Bellarminus: At certe Papiſta fuit Bernardus, & nemo eſt pius ſine vera fide.

VII.

a *Bellarmin. lib. de notis Eccleſ. c. 16.*

Reſpondemus, vtinam tales Papiſtas multos, imo vel vnum talem hodie haberemus in toto regno Pontificio, qualem Bernardum fuiſſe conſtat. Ita ſane, ita ſolide diſputat ille de ſummis fidei capitibus, de Scripturis, de Eccleſia, de hominis miſeria, de gratuita iuſtificatione, de gratia, de noua obedientia, etiam Catholica Eccleſia contra Tridentinas fabulas, vt nihil ſolidius quæri poſſit. Num ergo Papiſta fuerat, qui contra Ieſuitas, contra Tridentinos, in maximis fidei articulis, Eccleſiam Catholicam, & Patrum conſenſum ſequitur? At certe Papiſta fuit Bernardus, inquit Bellarminus.

Dicam aperte, quod res eſt. Bernardus Romani Pontificis iuriſdictionem longe ſupra omnes ſuperiores Patres extulit. Atque hinc eſt, quod Papiſta vocetur à Bellarmino. Nam Cyprianus, Auguſtinus, Ambroſius, aliique ſuperiores, Romani Pontificis iuriſ-

dictionem cohibuerunt. Bernardus autem incidit in fatalia illa tempora, vltra annum millesimum, Satana iam soluto. Itaque quod cohibere non potuit, tulit, vt potuit. Nam post annum millesimum multi viri sancti Romani Pontificis iurisdictionem in spiritualibus quum cohibere non possent, patienter tulerunt. Atque in hunc vsque diem forte Ecclesia Dei eandem patientiam præstitisset, si non obstitissent res duæ: manifesta doctrinæ mutatio in Concilio Tridentino, & iurisdictioni nouus gradus additus inauditus antiquis, Papæ scilicet principatum in temporalibus. Non enim Papistas, aut damnandos homines censemus, quicunque aliquam Papæ iurisdictionem in spiritualibus agnosci volunt: sed qui ita in obsequium Papæ flectuntur, vt cum doctrinæ immutatione iurisdictionem Papæ in temporalibus, vel directe, vel indirecte profiteantur: quiq; professionem hanc ad perniciem Principum, & Rerumpublicarum ruinam sequuntur: seque Papistas ostendunt, hoc est, non per patientiam ferentes spiritualem Papæ iurisdictionem, sed pro temporali iurisdictione digladiantes, seque in eadem causa audaces, rebelles, nefarios, sanguinarios, parricidas præstant, vt hanc iurisdictionem in temporalibus stabilire possint. Qui hæc vel agenda docent, vel acta probant, vel agunt ipsi, Papistas vocamus. Talis autem non fuit Bernardus. Sententia Patrum de Catholica Ecclesia à fraterculis primum immutata est:

p. 117.

est: at à viris pijs & eruditis in Romana Ecclesia egregie propugnata est antiqua sententia contra fraterculos. Picus Mirandula, lib. de fide & ordine credendi, Ecclesiæ sententiam longe aliam refert, quam Iesuitæ proponunt. Probat solius Papæ determinationem in iis, quæ sunt fidei, neminem obligare: ex sententia Gersonis, Scoti, Panormitani, Cardinalis Cameracensis, Theorem. 8. Et quia Ecclesiæ Catholicæ species plurimum erat obscurata à fraterculis quibusdam, qui summum Pontificem pro Ecclesia iactabant, sententiam suam, imo Ecclesiæ subiungit his verbis: *A propria vocabuli significatione recedendum ipse non puterim, vt ea propria principalissimeq; sancta Ecclesia Catholica discretur, qua omnes recta & Apostolicæ fidei, & non ficta charitatis homines complectatur.* Docet idem, *multos Papas errasse.* Et sententiam ex Baldo adducit: *Non debet quis dicere, credo id, quod credit Papa, sed illud, quod credit Ecclesia.*

Hactenus Ecclesiæ Catholicæ descriptionem audiuimus è Scripturis Patribusque. Certum igitur est ex Ecclesiæ consensu, Romanam non esse Catholicam. Non est sancta, non Catholica. Sequitur, vt dicamus de communione sanctorum.

CAPVT VII.

Credo sanctorum communionem.

COmmunio sanctorum significat societatem noui populi, qua qui sunt membra

Ecclesiæ, ministerio Propheticæ & Apostolicæ doctrinæ, & Sacramentorum, in vnum corpus vocati sunt. Continet autem communionem cum capite Christo, & membrorum inter se, & communionem seu participationem omnium Christi beneficiorum. De qua communione Iohannes ait: *Quod vidimus, & audiuimus, annuntiamus vobis, vt & vos communionem habeatis nobiscum, & communio nostra sit cum Patre, & cum Filio eius Iesu Christo.* Continet etiam distributionem donorum specialium, & obligationem membrorum, vt conferant omnia sua dona ad gloriam capitis sui Christi, atque ad salutem totius corporis, & quorumlibet inter se membrorum. Nec vltra extenditur hæc communio, quam vt eam sancti habeant, vel cum capite, vel inter se, nec impii hanc communionem inter se habere possunt, nec sancti cum impiis. *Nam quod consortium iustitiæ cum iniustitia? & quæ communio luci cum tenebris? Quæ concordia Christi cum Belial? aut quæ portio fideli cum infideli? & quæ consensio templo Dei cum simulacris? Nam vos estis templum Dei viuentis, sicut dixit Deus: Habitabo in eis, & ambulabo, & ero illorum Deus, & ipsi erunt mihi populus.* Iohannes etiam differte docet, homines malos & impuros non habere hanc communionem, a *Si dixerimus, nos communionem habere cum eo, & in tenebris incedimus, mentimur, & veritatem non facimus. Quod si in luce incedimus, sicut ipse est in luce, communionem habemus mutuam, & sanguis Iesu Christi filij eius purgat nos ab omni peccato.*

1. Cor. 6. 14.

a 1. Ioh. 1. 6.

cata. Hæc communio sanctorum ita est propria, & peculiaris Ecclesiæ, vt sine ea Ecclesia non possit consistere. Siue enim inuisibilem Ecclesiam, siue visibilem quæras, nec breuius, nec certius innotescit, quam ex communione sanctorum. Quamuis enim in Ecclesia visibili malos semper habeamus bonis commistos: societas tamen illa, quam habent mali inter se, quamuis in Ecclesia sint, nunquam dicitur sanctorum communio. Sed hoc peculiariter semper refertur ad illam societatem, quæ in Ecclesia est sanctis cum suo capite, & inter se. Nam per vnum Spiritum nos omnes in vnum corpus baptizati sumus, inquit Apostolus, siue Iudæi, siue Græci, siue serui, siue liberi, & omnes vna potione potati sumus in vnum spiritum. Quia igitur hæc communio facta est per Spiritum sanctum, non potest esse inter impios, in quibus non est Spiritus sanctus. Denique est communio sanctorum, qui ergo non sunt sancti, non habent hanc communionem. 1. Cor. 12. 13.

Hanc igitur dirigimus præscriptionem aduersus Pontificios. Omnia membra Ecclesiæ sanctæ Catholicæ habent communionem sanctorum cum Capite, & inter se. Sed nulla membra Ecclesiæ Pontificiæ habent hanc communionem cum Capite, & inter se: ergo nulla membra Ecclesiæ Pontificiæ sunt membra Ecclesiæ sanctæ Catholicæ. Excitasse videor crabrones istos. Imo vero clamabunt, inter aliqua membra Ecclesiæ nostræ potest esse

esse communio sanctorum, quamuis inter malos, qui fidem Christi verbis profitentur, factis vero negant, non sit hæc communio. Atqui non sic effugere possunt. Nam communio hæc est communio sanctorum, quam omnes sancti habent cum Capite, & inter se. Cum Capite, per fidem; inter se per charitatem, per Spiritum sanctum. Omnes sancti habent hanc communionem, soli sancti habent: quia qui in tenebris ambulant, & dicunt, se habere hanc societatem, mentiuntur. Si soli sancti habent, non potest esse inter eos, in quibus nulla est interna virtus: hoc est, non potest esse inter membra Ecclesiæ Pontificiæ. Nam per hanc communionem, id est, per Spiritus sancti vinculum, neque mali inter se cohærent, neque mali cum bonis. Soli ergo boni & sancti hoc vinculo Spiritus cohærent cum Capite, & inter se. Cum Capite dico, non cum Diabolo, non cum Antichristo. Nam qui Diabolo aut Antichristo cohærent, quomodo Christo cohærere possunt? Nam quæ concordia Christo cum Belial? Inter se autem sancti cohærent, non cum mundo. Quare non cum mundo? Quia Christus dicit: Ego pro eis oro, non pro mundo oro; sed pro eis, quos mihi dedisti, quia tui sunt. Quibus verbis docet Dominus, inter quos sit communio sanctorum, & inter quos non sit. Nam illi omnes, pro quibus Christus non orat, non habent hanc communionem cum Christo: quia hoc est communionis nostræ magnum privilegium,

Iohan. 17. 9.

legium, vt Christum habeamus communem intercessorem pro nobis apud Patrem. Ecclesia igitur in communione sanctorum non habet communionem cum mundo. Mundus autem quid est, nisi mali homines in mundo, qui nullam habent internam virtutem. Ecclesia igitur, quæ non est ex mundo, sed in mundo, non habet communionem cum malis, qui non sunt ex Ecclesia, sed in Ecclesia. Et mali isti, qui sunt ex mundo, quamuis sint cum bonis in externa societate permissi, non tamen habent communionem cum sanctis in Ecclesia.

Redeamus iam ad membra illa Ecclesiæ Pontificiæ, in quibus docent illi, nullam esse internam virtutem, sed tantum externam fidei professionem, & Sacramentorum communionem, quæ sensu ipso percipitur. Hæc sunt, inquiunt, partes & membra Ecclesiæ? At cuius Ecclesiæ? Respondent, Ecclesiam vnam esse, non duas: ac proinde loqui eos necesse est de membris Ecclesiæ vnius & veræ. Atqui hæc membra Ecclesiæ Pontificiæ non habent communionem cum Christo: non sunt ergo membra Ecclesiæ Christi. Cuius ergo Ecclesiæ membra sint, respondeant illi, qui suam Ecclesiam in ista præcipitia coniecerunt, vt velint nolint, ex suis ipsorum principiis, licet nobis multum reclamantibus, & cum multa commiseratione, & charitate renitentibus, & verbi lucem præferentibus, & sedulo monentibus, vt ab his sibi caueant præcipi-

cipiis: ruunt tamen, tanquam homines stolidi, & cæci, neque aliud caput ostendere possunt Ecclesiæ suæ, cum quo communionem habent membra illa, quæ sunt sine interna virtute, quam vel Diabolum, vel Antichristum. Nec alios fratres istius communionis, quam homines profanos ex hoc mundo, pro quibus Christus non interpellat Patrem.

Quid ergo? dicet mihi forte quispiam: negas in Ecclesia Romana esse sanctos? Non nego. Sed illud affirmare ausim, ex Pontificiorum principiis, sanctos, qui sunt in illa Ecclesia, non habere communionem cum illa Ecclesia, ac proinde Ecclesiam illam esse Ecclesiam nomine, non re, Ecclesiam falsam, talem scilicet, qualem vocat Bellarminus, Ecclesiam malignantium, & synagogam Satanæ; quæ est congregatio eorum, qui nolunt discere, & quum audiunt veritatem, nolunt acquiescere. Quis autem negare potest, esse in illa Ecclesia aliquos sanctos, quum exeuntes ex ea sanctos viros quotidie Ecclesia Catholica in suo gremio excipiat? Et quis affirmare potest, sanctos, id est, Christi membra habere communionem cum mundo, cum membris Satanæ, in quibus nulla est interna virtus, sed externa tantum professio, & Sacramentorum communio, quæ sensu ipso percipitur?

Testimonia Patrum de hac re peculiaria adhibere non est necesse: quia quæcunque testimonia probant, membra Ecclesiæ non esse, nisi sanctos (de qua re consensum veteris Ecclesiæ

cleſiæ ſupra adduximus) probant etiam communionem hanc eſſe inter ſolos ſanctos, non inter eos, in quibus nulla eſt virtus interna: Deinde, quæcunque probant Chriſtum eſſe Caput Eccleſiæ, Eccleſiam vero corpus eius; confirmant hanc communionem inter ſanctos eſſe tantum: quia, vrait Irenæus, *dicere, membra Chriſti non participare ſalutem, ſed in perditionem rẽdigi, quomodò non maximè eſt blaſphemia?* Blaſphemi igitur ſunt Ieſuitæ, qui in membris Eccleſiæ, quæ ſunt eadem & membra Chriſti, nullam internam requirunt virtutem.

Quum igitur Eccleſia Pontificia, quæ profitetur, ſe communionem habere cum improbis, reprobis, cum illis, in quibus nulla eſt interna virtus, communionem cum Chriſto habere non poſſit, inter membra Chriſti non ſit; quid amplius de Eccleſia litem nobis moueant? Probent, apud ſe eſſe Eccleſiam ſanctam; ſanctorum communionem: probent, ſe eſſe in Corpore Chriſti, membra Chriſti: & vel reſponderant ad vnanimem conſenſum Patrum de ſanctitate membrorum: vel nouis expunctionibus expurgent antiquos Patres. Quamdiu enim hæc teſtimonia in Eccleſia extabunt, Eccleſia Pontificia nunquam vel ſancta habebitur, vel Catholica, vel ſanctorum communionis particeps.

CAPVT

CAPVT VIII.

De vnitate Ecclesiæ Catholicæ, quam non retinet Ecclesia Pontificia.

ECclesiæ vnitas in sacris Scripturis frequenter nobis commendata est, vt sine ea cognoscamus, nihil nobis consortii esse cum Christo & Ecclesia: quia Christo & Ecclesiæ eius, nihil est consortii cum malis hominibus, in quibus regnat Diabolus: quales sunt omnes, qui nullam habent internam virtutem. Quærendum ergo est, in quibus hæc Ecclesiæ vnitas consistat. Primum est, vt omnis Ecclesia vnum habeat Caput, nempe Christum. Hanc vnitatem Pontificii ruperunt, aliud caput ponendo: nec diuisionem istorum, & separationem ab Ecclesia Catholica saluare potest commentum ipsorum, de Capite ministeriali. Nam Ecclesia Catholica non habet vnitatem in aliquo vno capite ministeriali. Nos vnitatem quærimus Ecclesiæ Catholicæ; Caput ministeriale diuisionem probat, non vnitatem: quia omnis Ecclesia Catholica nunquam habuit hoc Caput. Orientales Ecclesiæ, & Australes non agnoscunt Romanum Pontificem Ecclesiæ Caput. Etsi recte Bellarminus Catholicam Ecclesiam doceat complecti omnia tempora, omnia loca, omnes nationes: certe Papam excludit, ne possit esse Caput, ne quidem ministeriale Ecclesiæ Catholicæ: quia erant quædam tempora, & loca, & nationes, in

in quibus Eccleſia fuit, antequam Romanus quiſquam Epiſcopus conſtitutus eſſet. Nam Catholica ex duobus populis facta eſt, Iudæis ac gentibus. *Qui ipſe eſt pax noſtra, qui vtraq; fecit vnum, & intergerini parietis ſeptum ſoluit, inimicitias in carne ſua, legem mandatorum in ritibus euacuauit, vt ex duobus in ſemetipſo conderet nouum hominem, faciens pacem.* Ad hanc igitur vnitatem pertinet pars illa, quæ ſtante adhuc medio illo pariete in Chriſtum venturum credidit, & per fidem Chriſti ſalutem adepta eſt. Nam ex duobus in ſeipſo vnum fecit, non in alio. Solus ergo Chriſtus eſt Eccleſiæ Catholicæ Caput, qui ante omnes erat. Nec erant tempora, aut loca, aut nationes, in quibus Eccleſia non agnouerit vnum Chriſtum, Caput, ac Dominum. Nec ſolum Catholica hoc vnicum Caput agnoſcit: ſed & particulares Eccleſiæ ſuis locis diſtinctæ, vnitatem cum Catholica retinentes, idem agnoſcunt Caput. Paulus enim ad Eccleſiam Corinthiacam ſcribens, quæ particularis erat: *Deſponsi*, inquit, *vos, vni viro, virginem caſtam exhibere Chriſto.* Singulæ igitur Eccleſiæ vnum Caput agnoſcunt, vnum ſponſum: qui aliud Caput, alium ſponſum ſtatuunt, vnitatem Catholicæ Eccleſiæ rumpunt, ſicut faciunt Pontificij. *Eph.* 2. 14. 2. *Cor.* 11. 2.

2. Secundo vna etiam dicitur Eccleſia Catholica ab vnitate corporis. *Sicut enim corpus vnum eſt*, inquit Apoſtolus, *& membra habet multa, omnia vero membra corporis vnius, multa quum ſint, vnum ſunt corpus, ita & Chriſtus.* Hic 1. *Cor.* 12. 12.

est Christus mysticè, non mystica Ecclesia: nam vera est Ecclesia, & propria. Non enim aliam Ecclesiam vspiam describit nobis Apostolus, quam vnam istam, veram, & propriam, quam vocat Corpus Christi. Ab hac vtilitate, sua confessione, decidunt Pontificii: quia in membris Ecclesiæ Pontificiæ non requiritur vlla interna virtus. Membra autem, quæ sunt sine fide & charitate, non possunt retinere vnitatem huius corporis, *quia totum corpus à capite, secundum iuncturam vnius cuiusq; membri, incrementum capit corpori conueniens, ad ædificationem sui per charitatem.* Itaque cuius Ecclesiæ membra per fidem & charitatem non retinent vnitatem huius corporis: decidunt ab vnitate corporis: At Ecclesiæ Pontificiæ membra sunt huiusmodi: Decidunt igitur ab vnitate corporis.

Ephes. 4. 16.

3. Deinde vna etiam dicitur Ecclesia, ab vnitate Spiritus, quo gubernatur & instituitur vniuersa Ecclesia. Apostolus scribens de donis ad ædificationem Ecclesiæ concessis *Hæc*, inquit, *omnia effi. it vnus idemq; Spiritus.* Eodemq; Spiritu docet omnia Ecclesiæ membra regi. Nam de omnibus Ecclesiæ membris dicit: *Per vnum Spiritum nos omnes in vnum corpus baptizati sumus.* Quibus verbis manifestum est, Apostolum non hærere in externa communione Sacramentorum, quæ sensu ipso percipitur, sed virtutem Sacramenti exponere. Quia enim per baptismatis gratiam regenerantur homines, & fiunt filii Dei; idcirco vnitas hæc quam

1. Cor. 12. 11.

1. Cor. 12. 13.

quam habet Ecclesia à Baptismatis Sacramento, non intelligitur externa ab Apostolo, sed interna & spiritualis; quia per vnum Spiritum nos omnes baptizati sumus in vnum corpus: hoc est, regeneramur, & in hoc sancto Ecclesiæ corpore membra efformamur. Itaque Apostolus tria coniungit, *Vnus Dominus, vna fides, vnum baptisma.* Quasi diceret: Vnum Caput, vna regula, vnum corpus regeneratorum per baptisma. Ex ipsis Apostoli verbis, Baptisma non de externa communione, quæ sensu percipitur, sed de interna virtute regenerationis intelligere cogimur, quia Apostolus quasi explicans, quid per baptisma intelligat, dicit: Nos omnes per vnum Spiritum baptizati sumus in vnum corpus. Ab hac vero vnitate Spiritus excussos esse Pontificios, sua confessio probat: quia in membris Ecclesiæ suæ internam Spiritus virtutem nullam requirunt. Omnia membra Ecclesiæ Catholicæ retinent hanc vnitatem Spiritus, & ab vno Spiritu reguntur: At omnia membra Ecclesiæ Pontificiæ non tenent hanc Spiritus vnitatem, nec ab vno Spiritu reguntur: Ecclesia igitur Pontificia non tenet hanc vnitatem cum Ecclesia Catholica. *Ephes. 4. 5.*

4. Vna præterea dicitur Ecclesia Catholica, ab vnitate fidei: de qua vnitate dicit Apostolus: Vnus Dominus, vna fides, vnum Baptisma. Fides autem vna dicitur, propter vnitatem regulæ fidei, quam vnam esse in Ecclesia Catholica, immobilem, inde-

mutabilem ex superioris Ecclesiæ consensu demonstrauimus. Ab hac autem vnitate fidei ceciderunt Pontificii, quia hanc regulam in Concilio Tridentino mutarunt. Alteram enim regulæ huius partem nouam, inauditam antea, commenticiam obtrudunt, traditiones scilicet quascunque probat Ecclesia Romana, quæ nullam Scripturarum autoritatem habent. Istas omnes nugas suas in regula fidei ponunt Pontificii. Regulam igitur mutarunt, imo vero & quotidie mutant. Nam qui semel ab vnica Scripturarum regula decederint, nunquam inuenient, vbi sistere possint; sed quotidie noua monstra excogitant, quæ etiam ad fidem Catholicam referre non erubescunt. Ab vnitate igitur fidei separauerunt se Pontificii, quum regulam illam vnicam fidei mutarunt, quam ante ipsos Catholica Ecclesia tenuit semper immutatã, quamq; deinceps etiam, quamuis ipsis furentibus & frementibus, eadem Ecclesia Catholica inuiolatam retinebit vsque ad aduentum Domini.

Vna ergo est Ecclesia Catholica, quia vnum habet Caput, quia vnum est corpus, quia vno Spiritu regitur, quia vna fidei regula dirigitur. Ecclesia nunc Romana nec vnum hoc Caput habet, nec in vno hoc corpore consistit, nec vno hoc Spiritu regitur, nec vnica hac regula dirigitur: non ergo vnitatem retinet cum Ecclesia Catholica. Sed hærent in capite: dicunt, Romanum Pontificem esse Caput ministe-

niſteriale, & Chriſti Vicarium in tota Eccleſia. Caput miniſteriale duo ſignificat, miniſtrum, & dominum, quæ duo ita ſunt diuerſa, vt vni eodem reſpectu conuenire non poſſint. Dicant igitur, verum Papa ſit Eccleſiæ miniſter, an dominus. Si miniſtrum dicant: Reſpondeo, miniſterium datum non vni alicui ad vniuerſam Eccleſiam Catholicam, ſed ſingulis pro menſura ſua, ad ſingulas Eccleſiæ partes regendas. Nemo enim miniſterium exercet in tota Eccleſia: quia membrum, naturam & menſuram membri excedere non poteſt. Monſtrum igitur ex Eccleſia faciunt, qui Caput miniſteriale, hoc eſt, membrum vnum ad omnia extendunt. Singuli Epiſcopi portionem ſuam in Catholica retinent, nec quiſquam menſuram membri excedere debet. Ita tamen iſti in ſingulis partibus exercentur, vt quia partes inter ſe vinculo pacis & vnitatis cohærent, tanquam vnius corporis partes, quicquid agunt in ſua parte (quamdiu vnitatem hanc retinuerint, de qua diximus) non tantum pro ſe, verum etiam pro tota Eccleſia agere exiſtimantur. Itaque multi Epiſcopi vnum Epiſcopatum conſtituunt. Pulchre Cyprianus: *Nemo fraternitatem mendacio fallat, nemo fidei veritatem perfida prævaricatione corrumpat. Epiſcopatus vnus eſt, cuius à ſingulis in ſolidum pars tenetur.* Cyprianus Romani Pontificis vanitatem, & mendacii & perfidiæ prævaricationis nomine grauiter coarguit, qui auſus fuerat hanc Epiſcoporum vnitatem violare. *Cyprian. lib. de vnitat. Eccleſ. Cathol.*

Episcopi igitur singuli in suis partibus ministerium exercendo, capita ministerialia quodammodo dici possunt: qui autem vltra partem suam ministerium extendit, non iam ministerium, sed dominatum quærit. Atq; hinc Romanæ sese produnt falsidæ, quod, dum ministerium prætendunt, dominatus quæritur. Dominum autem Ecclesiæ Catholicæ vnum tantummodo agnoscimus Christum; sicut docet Apostolus: Vnus Dominus, vna fides, vnum baptisma. Hinc ergo apparet, Tridentinos Ecclesiæ Caput mutasse, qui Romanum Caput Ecclesiæ Catholicæ imponunt. Deinde Rom. Pontifex Caput est eorum, qui nullam habent internã virtutem, teste Bellarmino: At Christus Caput est sanctorum. Duas ergo Ecclesias fingunt Pontificii, vnã eorum, qui sancti sunt, cuius Ecclesiæ Caput est Christus: aliam eorũ, qui impii sunt, cuius Ecclesiæ Caput est Rom. Pontifex, si Iesuitæ verum docent. Ita Rom. Pontifex nec potest esse Caput ministeriale sub Christo, nec Vicarius Christi: quia Vicarius est, non qui res alienas, sed qui res domini sui curat, à domino ad hoc cõstitutus. Papa autem, qui regit Ecclesiam, cuius membra sunt homines impii, Iesuitarum iudicio; nec minister, nec Vicarius Christi esse potest; quia non regit Ecclesiam sanctorum sub Christo, sed aliam, non curat res domini sui, sed alienas. Ecclesia igitur Romana, quæ aliud habet Caput, alium dominum, alium spiritum, alia membra, non potest esse Ecclesia

ſia Chriſti, quæ ideo vna dicitur, quia vnum habet Caput, vnum Dominum, vnum Spiritum; Vnum eſt corpus, vnam habet fidei regulam.

Sed quia externam fidei profeſſionem obtinere ſe exiſtimant Pontificii, & Sacramentorum communionem, quæ ſenſu ipſo percipitur: examinanda eſt etiam hæc vnitas, quæ in externa profeſſione conſiſtit. Nam ſi ab hoc etiam vnitatis conſortio decideriut Pontificii, penitus ab vnitate excederunt; quia hæc eſt tantummodo vnitas illa, quam illi ſe habere profitentur. Nam in definitione Eccleſiæ, tantummodo externam profeſſionem, & Romani Pontificis regimen agnoſcunt. Apoſtolos dicit, vnum eſſe dominum, vnam fidem, vnum baptiſma. Si vna fides exponitur, vna fidei profeſſio, verba intelligenda erunt de regula fidei; quam vnicam eſſe, ſupra docuimus. Ac proinde vnitatem Eccleſiæ Catholicæ in externa profeſſione retinere non poſſunt, qui vnicam fidei regulam mutarunt: quia externa profeſſio ſemper ſecundum regulam fidei dirigenda eſt. Regulam autem fidei, vnicam illam & immobilem antiquis, mutarunt Pontificii: & in Romani Pontificis poteſtate eſſe iactant, vt quotidie mutentur. Docent enim, a *Ex arbitrio Romani Pontificis pẽdere, decreta fidei ſancire, & ſancita mutare.* Regula igitur fidei Tridẽtinis iſtis nõ eſt vnica, & ſemper eadem, atq; immobilis; vnde ſequitur, Eccleſiã nunc Romanã nõ retinere vnitatem

Ephes. 4. 5.

a Baron. Annal. an. Chriſt. 373 n. 41.

cum Catholica in externa fidei professione. Quid est igitur, quod isti ostendere possunt, quod eos in Catholica retineat Ecclesia? non Capitis vnitas; quia aliud sibi Caput excogitarunt, alium dominum, alium sponsum: non membrorum & corporis vnitas, quia membra Ecclesiæ suæ homines profanos esse docent: non Spiritus vnitas, quam à se procul reiiciunt: non fidei vnitas, quam ipsi sua confessione quotidie mutant. Quis igitur demonstrare potest, Romanam Ecclesiam cum Ecclesia Catholica vnitatem retinere?

CAPVT IX.

Vera Ecclesia optime cognoscitur ex ministerio suo, in conseruanda regula fidei.

QVanquam ex iis, quæ hactenus disputauimus, vera Christi Ecclesia sine errore agnosci possit, quia tamen importuni homines hanc rem vehementius scribendo exagitant, ita vt infirmorum animi perturbentur, & in quærenda Ecclesia sese multum fatigent: vt horum infirmitati consulamus, alteram quæstionis, quam initio proposuimus, partem hoc loco tractabimus. Quæstio est, quomodo vera Ecclesia cognosci possit? Hoc illud est, quod passim quæritur. Sic enim dicunt: Si de vera Ecclesia certo constaret, cætera facilius componi possent. Nam Ecclesia est sine dubio audienda. Omnis autem hæsitatio est, vbinam sit Eccle-

Eccleſia. Pontificii affirmant, apud ſe eſſe: Proteſtantes, qui vocantur, ad ſe pertinere: aliæ etiam ſectæ Eccleſiæ nomine gloriantur. Quomodo igitur in tanta varietate opinionum cognoſcetur, vbinam ſit vera Eccleſia? Diximus de capite, de membris, de ſanctitate, de Catholicorum diſperſione, de ſanctorum communione, de vnitate. Reſtat, vt ea tractemus exactius, quæ ad regulam fidei pertinent; quia ex illa regula facile reſpondebimus ad illam quæſtionem, qua quærunt, vbinam quærenda, & quomodo cognoſcenda ſit Eccleſia?

Reſpondeo igitur, hanc quæſtionem exercuiſſe antiquos Patres; in quorum veſtigiis ſi religioſe inſiſtamus, non eſt dubium, quin Eccleſiam teneamus, quam inter varios hæreticorum errores, furores, terrores fortiter & feliciter tenuerant illi. Quoties enim de Eccleſia quæſtio erat, probabant Patres Eccleſiam, per regulam charitatis contra ſchiſmaticos. Schiſmatici enim, qui externam fidei profeſſionem tenuerunt, deiecti tamen ab Eccleſia ſunt, quia charitatem atque vnitatem Eccleſiæ violarunt. Sed dimiſſis ſchiſmaticis, omnis noſtra contentio eſt contra hæreticos, Pontificios intelligo. At illi nobis viciſſim impingunt hæreſeos notam. Verum nec ipſorum, nec noſtris verbis credi volumus, quia omnes homines contentioſi ſumus. Itaque regula certa eſt, quæ demonſtrare poteſt, apud quos ſit Eccleſia, tum quinam ſint habendi hæretici?

Si quæras igitur, quænam sit vera Ecclesia, breuissima est responsio, & verissima: Ecclesia vera est, quæ regulam fidei vnam, eandem, indemutabilem conseruat. Quum igitur docuerimus, hanc regulam fidei per omnes Ecclesiæ successiones fuisse agnitam, susceptam, celebratam, perpetuoque conseruatam vsque ad Concilii Tridentini tempora: Quumque constet, fuisse eandem regulam susceptam ab Ecclesiis reformatis, per quam regulam nostræ Ecclesiæ suam communionem probant cum Ecclesiis antiquis, cum Ecclesia denique Catholica: fuisse etiam hanc regulam à Pontificiis mutatam in pseudosynodo Tridentina: Quum hæc, inquam, constituerint, expedita via, ratioq; constabit inueniendi Ecclesiam, quam quærimus.

Regula fidei vel summaria est, vel completa, & perfecte explicata. Summaria regula est in Symbolo Apostolico. Itaque nonnulli Patres, quum regulam fidei proponunt, Symbolum explicant. Completa regula est doctrina Prophetica & Apostolica in sacris Scripturis comprehensa; ac proinde multi Patres in regula fidei designanda, vniuersas Scripturas proponunt. Idemque habetur apud Patres, Ecclesiam probari per regulam fidei, & Ecclesiam probari per Scripturas. De qua re deinceps dicetur.

Miseri homines, & Scripturarum lucifugæ, ab Ecclesiæ Catholicæ societate per vitæ impuritatem delecti, ipsam Scripturarum lucem exosam

exosam ipsis, accusant; per quam ipsorum fraudes detegantur, malitia reuincitur. Ac primo quidem vel inscite, vel fraudulenter sacras Scripturas impugnant: deinde vero aperta improbitate grassantur. Primo enim fidem Catholicam ab Ecclesia pendere volunt, vt ea fides Catholica habeatur, quamcunque docet Ecclesia. Secundo loco Scripturas & Ecclesiam commiscent inter se, vbi statuunt, Scripturas per Ecclesiam probandas, non autem per Scripturas Ecclesiam. Tertio loco in proiectam audaciam & blasphemiam erumpunt. Quum enim de Iudice controuersiarum quæruntur, non dubitant, sacras Scripturas Papæ arbitrio subiicere; quamuis ipsorum iudicio, Papa vt plurimum sit homo vel indoctus, vel improbus. Nos vero tentabimus per Dei gratiam hæc expedire, quæ ab istis fraudulenter & confuse ponuntur.

Tria sunt cognitionis Christianæ tanquam principia: Fides Catholica, Ecclesia Catholica, & sacra Scriptura: quæ in salute hominum procuranda, suum habent singula officium, propriumq; munus, atq; adeo stationem limitesq; suos. Tanta vero est Diaboli malitia, vt quorundam hominum improbitatem in publicam perniciem armatam producat, ad veritatem oppugnandam: ita vt hæc tria inter se nefanda impietate collidant, quæ si recte intelligantur, & sobrie tractentur, salutis mysterium continent, atq; aperiunt.

Quod primo loco docent, fidem Catholi-

cam

cam illam esse, quamcunque docet Ecclesia; inscitiam, an fraudem appellem? Nam quomodo fides Catholica primum orbi innotuit? quomodo nata, orta, & in fidelibus suscepta est? nonne per Scripturarum prædicationem?

Rom. 10. 17. Fides ex auditu, inquit Apostolus, auditus autem per verbum Dei. Fides ergo Catholica est ex verbo, & per verbum, non autem verbum per fidem, aut ex fide. At, inquiunt, fides est ab Ecclesia, nec alia est fides vera, nisi quam proponit, imo (vt isti volunt) quam ponit Ecclesia.

Agite, vt veritas hic illustrius appareat, ponamus istos homines, qui fidem ab Ecclesiæ arbitrio pendere volunt, tum fuisse vbi nunc sunt, tum temporis vixisse, quando Apostoli Ecclesias per orbem terrarum collegerunt. Quando populus in tenebris sedebat, quando lux magna orta est iis, qui sederunt in tenebris, & in vmbra mortis. Ecclesia erat colligenda ab Apostolis. Quomodo? Quid erat illud, quod populos ad Christum adduxit? nonne fides prædicata? Vnde erat fides illa? ab Ecclesia, an à Deo? ab hominibus, an è cœlo? quis negat à Deo fuisse, atque è cœlo? Ergo populus ille, qui prius erat in tenebris, factus est Ecclesia Christi per fidem prædicatam. Ecclesia igitur pendet à fide, collecta est per fidem. Lux illa magna, quæ lucebat iis, qui in tenebris sedebant, quid est, nisi fides Catholica? Fides ergo Catholica, quæ populos è tenebris in Ecclesiam eduxit, est lux, & regula Ecclesiæ,

non

non autem Ecclesia regula fidei. Clamabunt forte tenebriones isti, hæc omnia vera esse in in Ecclesiæ initiis. Sed quomodo Ecclesia è mundo colligi primum potuit, nisi per fidem prædicatam? At aliam dicent rationem esse Ecclesiæ colligendæ, & iam collectæ: aliam rationem in plantatione Ecclesiarum, aliam in perfectione: fide Catholica vocari primum, & colligi Ecclesiam: sed quum iam vocata, & collecta fuerit, & in fide firmata, tum demum Ecclesiam debere fidem proponere, omnes homines ab Ecclesia fidem excipere.

Respondeo, nec alia est ratio Ecclesiæ colligendæ & collectæ: nec si aliam concedamus, ex eo causa Pontificia quicquam adiuuari potest. Verum est, Ecclesiam primum per fidem Catholicam collectam vocatamque: deinde eandem fidem, tanquam ignem illum de cœlo, in eadem Ecclesia integram conseruari, proponi, & prædicari.

Sed isti toto aberrant cœlo. Fingunt enim, se Ecclesiam esse. Populum autem, qui sedet in tenebris, è quibus Ecclesia Christi vsque ad finem mundi perpetuo est colligenda, prorsus negligunt. Tenebras illas ex industria augent, verbi lucem sedulo abscondunt, fidem Catholicam Ecclesiæ traditam non custodiunt, sed prodigiosis hominum commentis & fabulis contaminatam proponunt, lucem illam, quæ à Deo est, quæ de cœlo venerat, penitus extinguunt, eius loco traditiones suas obtrudunt: in sua esse potestate clamant,

fidem

fidem dare, imò condere: Et quum lucem cœlestem in tenebras conuerterint, populumque, qui in Ecclesiam erat colligendus, à luce arcuerint, tum demum mirifice sibi applaudunt; & sicut meretrix impura matronæ speciem mentitur, ita meretricia fronte se iactant Ecclesiam esse, imo verò Ecclesiam matrem, quæ errare non possit. Ad hanc impudentiam retundendam, quædam necessario dicenda sunt, quæ nos ordine prosequemur: multa sunt, quæ somniant isti: se Ecclesiam esse, fidem ab illis sumendam. Primo de fide dicamus, quod instituimus.

Docuimus, Ecclesiam per fidem Catholicam collectam fuisse atque vocatam. Natura autem fidei non mutatur, nec natura Ecclesiæ. Eodem igitur modo Ecclesia vsque ad finem mundi vocanda est. Apostoli enim quum Ecclesias collegerunt, non sua commenta, aut traditiones, sed fidem veram proposuerunt; non ex ingenio arbitrioque suo docuerunt, sed à Spiritu Dei acceperunt, quod Ecclesiis tradiderunt. Fides ergo Ecclesiæ non erat ab Apostolis, sed ex Deo, per Apostolorum ministerium Ecclesiæ tradita. Ecclesia igitur fidem Catholicam habet; tanquam regulam suam.

Sed nisi fides ipsa suam etiam regulam habeat, incerta erit, & semper in periculo, ne vel mutetur, vel penitus amittatur. Iam verò, quia fides Ecclesiæ ex Deo est, non ex hominibus, necesse est, vt regula fidei ex Deo sit.

Quo-

Quomodo enim poteſt id, quod ex hominibus eſt determinare, definire, & poteſtatem exercere in id, quod à Deo eſt. Regula igitur fidei ex Deo eſt. Fides, inquit Apoſtolus, ex auditu eſt, auditus per verbum Dei. Verbum ergo illud Dei, ex cuius auditu fides oritur, eſt fidei regula. At verbum illud Dei in ſacra Scriptura continetur. Eccleſiæ igitur regula eſt fides Catholica: fidei autem regula ſacra Scriptura. Neque vero intereſſe arbitramur, Scripturamne dicamus regulam fidei, an Symbolum illud Apoſtolicum, in quo ſacræ Scripturæ ſummam atque epitomen traditam ſuſcepit Eccleſia. Quicunque enim Symbolum expoſuerunt ex antiquis, omnes articulos ex ſacra Scriptura probant & confirmant. Itaque Symbolum etiam ad Scripturas, tanquam ad regulam reuocant. Rom. 10. 17.

Ex iis, quæ diximus, non erit difficile, hæc tria, Eccleſiam, fidem, Scripturas, ad ſua munia reuocare. Nam fides Catholica regit Eccleſiam, Scripturæ fidem. Iam ſi de autoritate quæratur, quis neſcit maiorem eſſe autoritatem eius, quod regit, quam quod regitur? Quum igitur quæſtionem inſtituunt turbatores Tridentini de autoritate Eccleſiæ, & Scripturarum; & Scripturas pendere velint ex autoritate Eccleſiæ: Eccleſia Catholica contra hunc errorem conſtanter ſemper docuit, Eccleſiam, & Eccleſiæ fidem demonſtrari autoritate Scripturarum: Scripturas autem conſeruari, & tanquam cœleſtes theſauros reconditos,

di, & custodiri ab Ecclesia. Autoritas igitur est Scripturarum, ministerium vero Ecclesiæ. Ecclesia igitur ex autoritate Scripturarum fidem Catholicam custodit, proponit, exponit, confirmat. Atque hoc ministerio maxime probatur ac demonstratur Ecclesia vera. Ita Ecclesia optime cognoscitur per fidei regulam; fidei regula per Scripturas, ac proinde Ecclesia per Scripturas.

Sed priusquam Ecclesiæ consensum de hac re proferamus; duo sunt inprimis obseruanda. Primum, in quo Aduersariorum consensum habemus: Ecclesiam optime cognosci per regulam fidei: in hac re mutuus est consensus. Secundum, in quo est controuersia: non enim conuenit inter nos, quænam sit illa regula fidei. Nam Pontificii nuper circa tempora Concilii Tridentini commentum hoc excogitarunt, quod antiquos omnes latuit, regulam fidei totalem esse Scripturas & traditiones non scriptas: ita vt sacræ Scripturæ sint vna pars huius regulæ, altera pars traditiones. Verum Tridentini Patres sero sapiunt. Nam antiqua Ecclesiæ sapientia commentum hoc respuit. Probant Patres Ecclesiæ magno consensu, regulam fidei prorsus esse immutabilem, quod supra demonstrauimus. Regula igitur illa, quæ per Tridentinos mutata est, non est fidei regula: quia hæc vnica, eadem, immutata per omnes Ecclesiæ successiones decurrit. Et proinde vnitas etiam Ecclesiæ pendet ex hac vnitate regulæ fidei. Diuersa & muta-

mutata fides, diuersa & mutata fidei regula, Ecclesiam probant diuersam & mutatam. Vna, & non mutata est Christi Ecclesia: diuersa & mutata Antichristi. Antiqui autem Scriptores vniuersi, vsque ad tempora Concilii Tridentini, regulam fidei docent esse Scripturas canonicas, quum de regulâ completa disputant, vel Symbolum Apostolicum, quum de regula summaria loquuntur. Præter hanc fidei regulam vel summatim in Symbolo, vel fusius in Scripturis canonicis positam, nullam prorsus agnoscunt. Quoties igitur Ecclesiam quærunt, per hanc regulam quærunt, hoc est, per Scripturas canonicas. Qua in re contra Tridentinos ad omnes antiquos Scriptores Ecclesiæ, atq; adeo ad Ecclesiæ vniuersæ consensum prouocamus.

CAPVT X.

Testimonia Patrum, demonstrantia Ecclesiam per regulam fidei, siue per Scripturas canonicas.

CLemens Alexandrinus sic docet: *a Ecclesiam antiquam & Catholicam esse dicimus, in vnitatem vnius fidei, quæ est ex proprijs testamentis, vel potius ex testamento, quod est vnum diuersis temporibus.* Hæc ille. Cuius accurata & distincta loquendi formula obseruanda est. Ecclesiam Catholicam, & antiquam, quærit in vnitate fidei; fidem autem in duobus testamentis. Ita

a lib. 7. Strom.

Ecclesiæ regulam docet esse fidem, fidei regulam duo Testamenta.

a *Homil. 3. in Genes.*

Origenes: a *Qui iniquitatem in excelso loquuntur, & extendunt in cœlum os suum, sicut hæretici faciunt, incircumcisi, & immundis labijs dicendi sunt. Circumcisus labijs & mundus est, qui semper verbum Dei loquitur, & sanam doctrinam Euangelicã & Apostolicis munitam regulis profert.* Hæcille. Qui verbum Dei, & sanã doctrinam Euangelicis & Apostolicis regulis muniendam docuit, certe sicut Ecclesiam per doctrinam, ita doctrinam per Scripturas probãdam esse probat: & traditiones non scriptas plane reiicit; quia quæ scripta non sunt, non muniuntur regulis Euangelicis & Apostolicis. Idemque sic habet:

b *Homil. 1. in Cantic.*

b *Ecclesia dos fuit Legis & Prophetarum volumina.* Hæcille. Dotem Ecclesiæ Scripturas esse docet. Si Ecclesia Scripturas habet pro dote, vnde, aut quo titulo contraxit traditiones non scriptas?

c *contra omnes hæreses.*

Athanasius: c *Orthodoxa Ecclesia rectè legens, & exactè sacras Scripturas examinans, sæ ipsam adificat super petram.* Quibus verbis describit Ecclesiæ ministerium. In hoc ministerio Scripturam sibi regulam proponit, quia ædificatio Ecclesiæ est per Scripturas, non autem per traditiones non scriptas.

d *in 1. Tim. cap. 3.*

Chrysostomus in illa verba: *Ecclesia domus Dei viuentis, columna & firmamentum veritatis.* d *Ecclesia est*, inquit, *quæ fidem continet, & prædicationem: quippe veritas Ecclesia & columna est, & firmamentum.* Hæcille. Docet igitur, Ecclesiam

optimè

optime cognoſci ex miniſterio ſuo in conſeruanda & prædicanda veritatis doctrina.

Iſtis optime conſpirant ea, quæ habet autor operis imperfecti in Matth. a *Qui vult, inquit, cognoſcere, quæ ſit vera Eccleſia Chriſti, vnde cognoſcat, niſi tantummodo per Scripturas?* Quo loco vberrimus eſt in eandem ſententiam: Docet enim, Eccleſiam Chriſti quondam variis modis diſtingui potuiſſe à gentilitate, ſed regnante Antichriſto, nullam aliam viam reliquam futuram cognoſcendi Eccleſiam veram, inquit, niſi tantummodo per Scripturas: quia omnia ea, quæ ſunt proprie Chriſti in veritate, habet Antichriſtus in ſchiſmate. Similiter Eccleſias, ſimiliter ipſas Scripturas diuinas, ſimiliter Epiſcopos, cæterosque ordines clericorum, & Sacramenta. Ergo volens cognoſcere, quæ ſit vera Eccleſia Chriſti, vnde cognoſcat in tanta confuſione ſimilitudinis, niſi tantummodo per Scripturas? Hæc ille.

a *Homil. 49. in Matth.*

Ad hoc teſtimonium Pontificii reſpondere non poſſunt, itaq; eleuant autoritatem eius. Reſpondet Bellarminus, librum illum non eſſe Chryſoſtomi. Facilis reſponſio. At non refert, cuius ſit, neq; in eo contendimus. Quærimus, quænam fuerit doctrina illa, quæ in antiqua Eccleſia conſeruata fuit à Patribus. Hunc autem vnum ex antiquis fuiſſe, non negant Pontificii. Quum de antiquitate conueniat inter nos, de autore non morabimur. Sed Bellarminus obiicit etiam, autorem huius libri fuiſſe Arrianum.

Respondeo, neq; hoc testimonii huius autoritatem minuit. Nam hinc sequetur, (vt demus hunc fuisse Arrianum) nihil tunc in Ecclesia auditum fuisse contra hanc sententiam (qua veteris Ecclesiæ antistites Ecclesiam per Scripturas probare solebant) contra hanc, inquam, sententiam nihil tum temporis auditum, nihil scriptum, nihil fictum erat, quia cum orthodoxis Patribus ipsi etiam hæretici in hac re consentiebant. Deinde respondeo, si omnes Patres reiiciendi sunt, qui in aliquibus videntur Arrianismum sapere, actum erit de Origene, & de magna parte Græcorum Patrum. Postremo frustra obiicitur, non fuisse Chrysostomi sententia. Paulo enim supra adduximus è Chrysostomo, Ecclesiam ministerio suo fidem continere, & prædicationem veritatis. Quod si veritatem è sacris Scripturis prædicatam continet Ecclesia, certe Ecclesia optime cognoscetur ex hoc ministerio. Docet etiam Chrysostomus, a *Scripturas esse exactissimam trutinam, gnomonem, & regulam.* Hæc igitur regula exactissima, Ecclesiam nobis, & Ecclesiæ dogmata demonstrabit. Itaque idem affirmat, Scripturas esse ostium illud, quod ducit nos ad Deum, & oues Christi facit. b *Ecce*, inquit, *latronis signa. Primum palam non ingreditur, neq; audet: inde non per Scripturarum testimonium, quod per ostium significatur. Hic, & qui fuerunt, & qui futuri sunt, notat, & Antichristum, & falsos Christos. Merito autem ostium Scripturas appellat, quoniam nos ad Deum ducunt, & eius no-*

bis

a *in 2. Corin. Homil. 13.*

b *in Iohan. Homil 58.*

bis cognitionem aperiunt, ipſæ oues faciunt, & cuſtodiunt. Hæc ille. Quod ſi Scripturæ ſint oſtium, quo ducimur ad Deum, ſi Scripturæ oues Chriſti faciunt, & cuſtodiunt: Eccleſia certe optime ex iiſdem Scripturis cognoſcetur: quia Eccleſiam Scripturæ faciunt, & cuſtodiunt, ex Chryſoſtomi ſententia. Dicant autem nobis Pontificii, quiſnam ſit Antichriſtus ille, qui (ſicut Chryſoſtomus docet) aliunde in Eccleſiam ingreſſurus eſt non per Scripturas? qui Scripturas horret, ſicut latro crucem?

Hactenus Græcos Patres audiuimus, ſequuntur Latini.

Irenæus: a *Prædicatio Eccleſiæ conſtans & a-* a *lib. 3. c. 4.*
qualiter perſeuerans, teſtimonium habet à Prophetis & Apoſtolis. Hæc ille. Eccleſia igitur non debet prædicare traditiones non ſcriptas, quæ non habent teſtimonium à Prophetis & Apoſtolis. Ita Eccleſia cognoſcitur per prædicationem doctrinæ Propheticæ & Apoſtolicæ.

Tertullianus: b *Apoſtoli in orbem profecti,* b *lib. de præ-*
eandem doctrinam eiuſdem fidei nationibus promul- *ſcript. c. 20.*
garunt, & proinde Eccleſias apud vnamquamq; ciuitatem conſtituerunt, à quibus traducem fidei, & ſemina doctrinæ, cæteræ exinde Eccleſiæ mutuatæ ſunt, & quotidie mutuantur, vt Eccleſiæ fiant. Hæc ille. Quibus verbis docet, Eccleſias fieri quotidie per prædicationem eiuſdem doctrinæ. Fides igitur Eccleſiam conſtituit, non autem Eccleſia fidem. Idemq; ſic docet: c *Conſtat, omnem* c *ibid. cap. 21.*
doctrinam, quæ cum illis Eccleſiis Apoſtolicis, matricibus, & originalibus fidei conſpirat, veritati depu-

tendam, id sine dubio tenentem, quod Ecclesia ab Apostolis, Apostoli à Christo, Christus à Deo susceperit. Reliquam verò omnem doctrinam de mendacio præiudicandam, quæ sapiat contra veritatem Ecclesiarum & Apostolorum, & Christi, & Dei. a Ad hanc igitur formam prouocabuntur ab illis Ecclesiis, quas licet nullum ex Apostolis, vel Apostolicis autorem suum proferant, vt multo posteriores, quas denique quotidie instituuntur: tamen in eadem fide consentientes, non minùs Apostolicæ deputantur, propter consanguinitatem doctrinæ. Hæc Tertullianus. Huius ergo iudicio, Ecclesia habet à doctrina Apostolica, vt Apostolica fiat, imo vt sit Ecclesia.

a ibid.

Hieronymus: b Ecclesia non in parietibus consistit, sed in dogmatum veritate. Ecclesia ibi est, vbi est vera fides. c Ego intrare cupio in domum tuam, id est, in Ecclesiam, & vola intrare per viam tuam rectam. Quæ est ista via? Lectio Scripturarum.

b In Psal. 135.

c In Psal. 5.

Augustinus Ecclesiam è Scripturis demonstrandam sic docet: d In Scripturis didicimus Christum, in Scripturis didicimus Ecclesiam. e Quæstio inter nos versatur, vbi sit Ecclesia? Quid ergo facturi sumus? In verbis nostris eam quæsituri, an in verbo Capitis sui? Puto, quod potius in illius verbis eam quærere debemus, qui veritas est, & optimè nouit corpus suum. Hæc ille. Augustinus igitur Ecclesiam in Christi verbis, id est, in Scripturis quærendam iudicat. Sed num quis veterum produci poterit, qui docuerit, Ecclesiam in Papæ verbis, vel in traditionibus non scriptis quærendam? Idem Augustinus sic habet:

d Epist. 60.

e lib. de vnit. Eccles. cap. 2.

bet: a *Nolo humanis documentis, ſed diuinis oraculis Eccleſiam demonſtrari.* a *ibid.*

Cardinalis Bellarminus, qui diutius in hoc argumento obmutuit, tandem ita reſpondet ad illa Auguſtini loca: b Ex Scriptura probari, vbi ſit Eccleſia, non tanquam ex nota Eccleſiæ, ſed quia Scriptura docet, quæ ſint notæ, dum docet, qualis illa ſit, vbi cœperit, quando creuerit. Hæc ille. Subtilis eſſe voluit Dominus Cardinalis: Eccleſia demonſtratur ex Scriptura, non tanquam ex nota Eccleſiæ, ſed quia docet notas Eccleſiæ. At hoc illud eſt, quod affirmat Auguſtinus, quod nos vrgemus, quod vbique ingeminamus: ad quod Ieſuitæ nihil habent, quod reſpondeant: Eccleſiæ notas doceri in Scripturis. Si hoc concedant Ieſuitæ, quid vltra litigamus? Scriptura, inquit Bellarminus, docet Eccleſiæ notas. At Scriptura notas illas non docet, quas nobis obtrudunt Pontificii: neque enim agnoſcit Scriptura Eccleſiam illam, cuius Caput ſit Romanus Pontifex, cuius membra ſint homines impii, ſine omni interna virtute, cuius regula vnica non ſint Scripturæ, ſed & traditiones non ſcriptæ. Si Eccleſiæ notas Scriptura docet, Eccleſia certe apud Pontificios non eſt, quia Scriptura notas Eccleſiæ Pontificiæ non docet. b *lib. 4. c. 2. de not. Eccleſ.*

Sed quid eſt, quod Ieſuita ad pauca reſpondet? (quanquam non reſpondeat: hæc enim eius verba non continent reſponſionem, ſed tacitam confeſſionem veritatis,) ad quam

respondere non potuit) in reliquis mutus sit? Probant Patres, Ecclesiam Catholicam esse in vnitate fidei, fidem vero esse in duobus testamentis: Doctrinam Ecclesiæ esse muniendam regulis Euangelicis, & Apostolicis: Legis & Prophetarum volumina fuisse Ecclesiæ dotem: Ecclesiam seipsam ædificare, legendo, & examinando Scripturas: Ecclesiam veram cognosci non posse, nisi tantummodo per Scripturas: Scripturas oues Christi facere, & custodire, hoc est, Ecclesiam facere, & custodire. Ad hæc muti sunt Pontificii. Ad pauca vero Augustini loca, dum responsionem parat Iesuita, sic sudat, sic frangitur, vt facile prodat, bonitatem causæ, pudoremque defuisse. Plura ex Augustino proferamus, ad quæ obmutescit Bellarminus.

a *lib. de vnit. Eccles. c. 3.* a *Si Christi Ecclesia canonicarum Scripturarum diuinis & certissimis testimonijs in omnibus gentibus designata est, quicquid attulerint, qui dicunt, ecce hic est Christus, ecce illic. Audiamus potius oues eius summum, vocem pastoris nostri, dicentis: Nolite*

b *ibid. cap. 11.* *credere.* b *Habeo manifestissimam vocem pastoris mei, commendantis mihi, & sine vllo ambagibus exprimentis Ecclesiam. Mihi imputabo, si ab eius grege, quod est Ecclesia, per verba hominum seduci, atque aberrare voluero, quum me præsertim admonuerit, dicens: Quæ sunt oues meæ, vocem meam audiunt, & sequuntur me. Ecce vox eius clara & aperta. Hac audita, qui eum non sequitur, quomodo se ouem eius dicere audebit? Nemo mihi dicat, ô quid dixit Donatus, aut quid dixit Parmenianus, aut Ponticus, aut qui-*

quilibet illorum: quia nec Catholicus Episcopis consentiendum, ſi ubi forte fallantur, vt contra canonicas Dei Scripturas aliquid ſentiant. Hæc ille. Si nec Catholicis Epiſcopis, profecto nec Romano Epiſcopo conſentiendum eſt contra Scripturas. Itaque nos etiam iſtis reſpondemus, quod Auguſtinus Donatiſtis: a *Ecce ſunt Scripturæ Dei, ecce ſunt in eis Eccleſia, & vniuerſali totius orbis nomine, & nominatim deſignata, & expreſſa. Si aliunde clamas, vel recitas, non poſſi vocem paſtoris noſtri, per ora Prophetarum, per os proprium, per ora Euangeliſtarum nobis apertiſſime declaratam, voces veſtras non admittimus, non credimus, non accipimus.* b *Credit Eccleſia Scripturis ſanctis, & veteribus, & nouis, quas canonicas appellamus, vnde fides ipſa concepta eſt, ex qua iuſtus vivit, per quam fine dubitatione ambulamus, quamdiu peregrinamur à Domino.* Ita docuit Auguſtinus, Eccleſiam fidem concipere ex Scripturis. Fides igitur eſt Eccleſiæ regula Auguſtino, fidei autem regula Scripturæ.

a *ibid. cap. 11.*

b *lib 19. cap. 18. de ciuitat. Dei.*

Vincentius Lirinenſis eandem antiquorum ſententiam retinuit. c *Chriſti*, inquit, *Eccleſia ſedula & cauta, depoſitorum apud ſe dogmatum cuſtos, nihil in ijs vnquam permutat, nihil minuit, nihil addit, non amputat neceſſaria, non apponit ſuperflua, non amiſit ſua, non vſurpat aliena.* Hæc ille. Ad quod teſtimonium multi ſunt omnes Pontificii. Sæpius diximus, autoritatem eſſe Scripturarum, miniſterium vero Eccleſiæ: quod quidem Eccleſiæ miniſterium accuratiſſime deſcripſit hic Lirinenſis. In hoc ergo,

c *lib. contra hæreſes, c. 32.*

ministerio vigilat Ecclesia, non vt nouam fidei regulam procudat, sed vt vnicam illam, eandem, immutatam perpetuo conseruet. Intelligite interim, qualis sit Tridentinorum in re certissima, vel cæcitas, vel obstinatio affectata. Clamant Patres, fidem Ecclesiæ esse ex propriis testamentis: Ecclesias traducem fidei habere ab Apostolica doctrina, Ecclesiam esse oues, quæ vnicam pastoris sui vocem audiunt, non vocem alieni: in Ecclesiam intrari non posse, nisi per Scripturas: Ecclesiam fidem suam concipere è Scripturis: Ecclesiam, regnante Antichristo, cognosci tantummodo per Scripturas: Ecclesiam esse sacrorum dogmatum custodem, in quibus nihil permutat, nihil imminuit, nihil addit, nihil amputat, nihil suum amittit, nihil alienum vsurpat. Ex tamen post tam mirificum Patrum consensum, de Ecclesiæ ministerio, ranæ istæ Pontificiæ, ad raucedinem cantilenam suam recinunt, de fide innouanda, mutanda, & ex arbitrio Romani Pontificis componenda.

[a] Lib. de Concil. 2. cap. 4.

[a] Nam ait Cardinalis Bellarminus: *Concilia condere posse, seu condidisse, vel edidisse nouas sententias, quas voluerunt haberi tanquam articulos fidei.*

[b] Annal. an. 375. num. 21.

[b] Cardinalis vero Baronius apertius: *Ex arbitrio Romani Pontificis pependisse, decreta fidei sanxisse, & sancita mutare.* Hæc est noua Cardinalium doctrina, contra Ecclesiæ antiquæ consensum. Ecclesia enim antiqua constanter docuit, Ecclesiæ Christi hoc esse munus, & ministerium, ex quo optime

me cognoſcatur, vt ſit factorum dogmatum ſedula & cauta cuſtos, nihil permutans, nihil nouum, aut non ſuum vſurpans. Atque vt idem Vincentius habet: *Eccleſia nihil aliud Conciliorum decretis emiſſa eſt, niſi vt, quod antea ſimpliciter credebatur, hoc idem poſtea diligentius crederetur, inſtantius predicaretur, &c.* Nihil ergo nouum ſancit Eccleſia CHRISTI, nihil de fide mutat: quæ vero noua fidei dogmata & decreta ſancit, & ſancita mutat, non eſt Eccleſia CHRISTI. *Vincent ibid.*

Gregorius in hanc ſententiam multa habet: a *Vna, inquit, fides eſt præcedentium & inſequentium populorum.* Hæc ille. Qui vnam omnium fidem docet eſſe, certe noua de fide dogmata tollit. Quomodo enim vna Eccleſiæ fides poteſt eſſe, ſi noua nobis condatur, quæ antiquos latuit? Idemque ſic docet: b *Vniuerſa noſtra nuntia in ſacro eloquio continentur.* Hæc ille. Qui vniuerſam nuntiationem noſtram in Scripturis poſuit, Scripturas certe regulam fidei totalem, non partialem affirmat. Idem ſic habet in illa verba Iob: *Habet argentum venarum ſuarum principia.* c *Quia hæretici ſic de eloquij ſui nitore ſuperbiunt, vt nulla ſacrorum librorum auctoritate ſolidentur, qui libri ad loquendum nobis quaſi quadam argenti vena ſunt, quia ex ipſis locutionis noſtræ ornatum trahimus: eos ad ſacræ auctoritatis paginam voces Iob, vt ſe vete loqui deſiderent, inde ſumere debeant, quod loquantur, & ait: Habet argentum venarum ſuarum*

a *in Ezech. Homil. 17.*

b *ibid. Homil. 15.*

c *in Iob. lib. 28. cap. 14.*

ſuarum principia: ac ſi aperte dicat, qui ad vera prædicationis verba ſe præparat, neceſſe eſt, vt cauſarum origines à ſacris paginis ſumat: vt omne, quod loquitur, ad diuina auctoritatis fundamentum reuocet, atq; in eo ædificium locutionis ſuæ firmet. Sic Beda etiam: a *Fundamentum Eccleſiæ eſt in ſoliditate fidei Apoſtolorum, & Prophetarum.* Hæc ille. Beda noſter non ponit Eccleſiam fundamentum fidei, ſicut faciunt heſterni Theologi: ſed contra, Eccleſiæ fundamentum, fidem. Fidemque hanc non reuocat cum Ieſuitis ad Eccleſiæ placita, vel vt apertius Baronius ſeſe ſuosque explicat, ad arbitrium Romani Pontificis: ſed ad doctrinam Propheticam & Apoſtolicam. Bernardus etiam: b *Vbinam quæſo eſt vera prudentia, niſi in Chriſti doctrina? c Vnuſquiſque, quod à magiſtro ſuo didicit, hoc in medium profert. Num in Euangelio legiſti has differentias, aut in Prophetis, aut in litteris Apoſtolorum? Caro & ſanguis reuelauit hanc ſapientiam, non Spiritus Patris.* Hæc ille. Si quicquid in Euangelio, aut ſcriptis Propheticis & Apoſtolicis non legitur, eſt carnis ſapientia, non Spiritus: quomodo dicunt iſti, Eccleſiam quædam docere poſſe, quæ non ſunt in Scripturis?

a *in Iohan. lib. 1. cap. 12.*

b *in Cantic. Serm. 22.*

c *ibid. Serm. 30.*

Denique hæc doctrina conſeruata eſt in Eccleſia, vſque ad tempora Concilii Tridentini. Quamuis enim fraterculi Romanæ Curiæ aſſeclæ, profanas ſubinde vocum, rerumq; nouitates induxerant, Eccleſia tamen Romana (illam intelligo, quæ in occiduis iſtis orbis partibus in variis nationibus collecta cum Roma-

Romana Eccleſia, tanquam cum originali, & matrice Eccleſia, ſicut nonnullis fuerat, communionem habebant; qua quidem ratione Eccleſia ex iſtis nationibus collecta, Romana dici poteſt.) hæc, inquam, Romana Eccleſia contra iſtos tenebriones veritatem hanc propugnauit. Ita vt ipſi etiam fraterculi, qui ad arbitrium Romanæ Curiæ, & Romani Pontificis, antiqua mutare, & nouitates inducere ſolebant, in hac tamen re cohibiti videantur, ne poſſent venenum ſuum latius ſpargere ante Concilii Tridentini tempora. Multi igitur ex iis antiquam doctrinam cum Romana Eccleſia retinebant. Quicunque enim regulam fidei tradunt eſſe Scripturas canonicas, ſicut docent Petrus Lombardus, Thomas Aquinas, Iohannes Scotus, aliique, iidem etiam indicarunt, miniſterium Eccleſiæ in hoc vigilaſſe, vt hanc fidei regulam cuſtodiret immutatam, prædicaret, & vnice conſeruaret. Hanc Eccleſiæ ſententiam retulerunt Lyra, Gerſon, aliique. Gerſon ſic habet: a *Non ſumitur Eccleſia pro templo materiali, quod adificare melius poteſt Latomus, quam Theologus: nec pro ſolis prouentibus, & iuriſdictionibus, &c. Sic enim poſſet ſecularis vnus expertus œconomus iudicari vtilior in Eccleſiæ regimine, quam Theologus, aut Iuriſta. Sed confidetur Eccleſia, vt inſtituta eſt à Chriſto ſuper firmam petram fidei, ad finem ſupernaturalem, ſecundum Legem Euangelicam, & Scripturæ diuinitus reuelatæ, ſecundum quam debet regulari iudicium de fide, & moribus.* Hæc ille. Nihil hic dicit, niſi quod a *de poteſt. Eccl. conſid. 13.*

ſupe-

superius à Patribus dictum fuisse ostendimus. Sed illud obseruandum inprimis est, quod in mediis tenebris antiquam doctrinam integram immutataramque conseruari videamus. 1. Docet, Ecclesiam esse institutam à Christo, super petram fidei: Fides ergo est Ecclesiæ regula, & fundamentum. 2. Iudicium Ecclesiæ regulari debere secundum Legem Euangelicam, & Scripturas: Non igitur erat in potestate, vel vnius hominis, vel totius Ecclesiæ, noua decreta fidei sancire, & sancita mutare. 3. Secundum hanc Legem regulari debere iudicium de fide: Fidei igitur regula est sacra Scriptura. 4. Secundum eandem hanc Legem regulari debere iudicium de fide ac moribus.

Obseruandum est, hunc librum Gersonis, de Potestate Ecclesiastica, in Concilio Constantiensi fuisse recitatum, & ab vniuerso Concilio approbatum. Ex quo constat, hanc tum fuisse Ecclesiæ Romanæ sententiam. Ita ad illum vsque diem antiqua Ecclesiæ doctrina remanserat immutata.

Enicimus igitur contra Tridentinos, hanc fuisse communem Ecclesiæ doctrinam, per omnes Ecclesiæ successiones conseruatam, vsque ad tempora Concilii Tridentini.

CAPVT

CAPVT XI.

De Succeſſione.

HActenus de Eccleſia diſputauimus, ſancta, catholica, de ſanctorum communione, de vnitate; denique docuimus, Eccleſiam demonſtrari per canonicas Scripturas, ſiue per regulam fidei. In qua regula integra & incorrupta conſeruanda, Eccleſiæ miniſterium cernitur. Proximo loco de ſucceſſione agetur. Quia enim de ſucceſſione Romanæ Eccleſiæ tantum gloriantur Pontificii, vt hinc ſumi argumentum euidentiſſimum, adeoque plane inſolubile affirmet Bellarminus: non erit inutile ſucceſſionis ſuccinctam pertractationem hoc loco interponere.

Concedimus 1. apud Patres Eccleſiam aliquando demonſtrari per ſucceſſionem Romanorum Epiſcoporum in fide vera: quia illis temporibus conſtabat, non fuiſſe mutatam fidem in Eccleſia Romana: at nũc contrarium conſtat. Neq; eſt hæc noſtra tantum reſpõſio, eſt antiquorum traditio. Sic olim docebant: *Antea multis modis oſtendebatur, quæ eſſet vera Chriſti Eccleſia, qua gentilitas. At regnante Antichriſto, nullo modo cognoſcetur, quæ ſit vera Eccleſia, niſi tantummodo per Scripturas.* Ita Patrum ſententia iudicio; ſucceſſio, quæ quondam potuit eſſe Eccleſiæ nota, nunc non erit.

a *Autor operis imperf. in Matth. Homil. 49.*

Dicimus 2. ſucceſſionem illam à Patribus commemoratam, non fuiſſe localem, quam nunc iactant Pontificii, ſed doctrinæ. Veteres enim

enim ſucceſſionem diſtinguunt, in doctrinæ & localem. Localis illa nullius vnquam momenti fuit apud veteres. Doctrinæ ſucceſſionem maxime vrgent in veritate poſitam, & gratia docendi veritatem, quam vocat Irenæus chariſma veritatis. Nam Romanorum Epiſcoporum ſucceſſionem contra hæreticos profert, ſed quam intelligat ille ſucceſſionem, demonſtrat his verbis: a *Ii, qui in Eccleſia ſunt, presbyteris, obaudire oportet, hi, qui ſucceſſionem habent ab Apoſtolis, qui cum Epiſcopatus ſucceſſione chariſma veritatis certum, ſecundum placitum Patris acceperunt. Reliquos vero, qui abſiſtunt à principali ſucceſſione quocunq; loco colliguntur, ſuſpectos habere, vel quaſi hæreticos, &c.* Addit Irenæus: *Omnes enim decidunt à veritate.* Quibus verbis docet Irenæus, duplicem eſſe ſucceſſionem: alteram in doctrina principalem; localem alteram: qui localem habent ſine principali ſucceſſione, à veritate eos decidere, quocunque loco colliguntur. In eandem ſententiam Tertullianus Eccleſiam aliquam demonſtrat Apoſtolicam eſſe, & haberi, non ex ſucceſſione hominum ab Apoſtolis: ſed, ſicut ille loquitur, ex doctrinæ conſanguinitate cum Apoſtolica. b *Licet*, inquit, *Eccleſia nullum ex Apoſtolis, vel Apoſtolicis autorem ſuum proferant, vt multo poſteriores, quæ denique quotidie inſtituuntur, tamen in eadem fide conſpirantes, non minus Apoſtolica deputantur, propter conſanguinitatem doctrinæ.* Succeſſio igitur perſonarum ab Apoſtolis non eſt ſemper veræ Eccleſiæ nota, quum vera &

a *lib. 4. c. 43.*

b *lib præſcr. cap. 21.*

ra & Apoſtolica Eccleſia eſſe poſſit, quæ in doctrina cum Apoſtolicis conſentiat, quamuis perſonarum ſucceſſionem non poſſit demonſtrare. Ita Eccleſiæ fiunt, non à ſucceſſione hominum, ſed à doctrina Apoſtolica. Idemque ſic habet: a *Communicamus cum Eccleſiis Apoſtolicis, quod nulla doctrina diuerſa: hoc eſt teſtimonium veritatis.* Hæc Tertullianus. At ſi hinc communionem noſtram probamus cum Eccleſiis Apoſtolicis, quia nulla nobis eſt doctrina diuerſa, conſpirante nempe doctrina Eccleſiæ noſtræ cum Apoſtolicis, vt id ſine dubio teneamus, quod Eccleſiæ ab Apoſtolis, Apoſtoli à Chriſto, Chriſtus à Deo ſuſcepit: ſi hoc eſt vnicum veritatis teſtimonium, certe ſucceſſio perſonalis nō eſt veritatis teſtimonium, nec communionem inde probare poſſunt Pontificii cum Apoſtolicis Eccleſiis, quum doctrina eorum diuerſa ſit ab Apoſtolica. Diuerſam eſſe doctrinam ſuam, diuerſam fidem, fatentur ipſi, qui affirmant, apud ſe autoritatem eſſe, qua noua fidei dogmata ſanciant, & ſancita mutent. Mutata fides eſt diuerſa fides, diuerſa non poteſt communionem habere cum Apoſtolicis Eccleſiis.

a *ibid. cap. 20.*

Pontificiis forte occaſionem gloriandi prębuit Cathedræ Petri nomen, apud veteres nonnunquam vſurpatum. Nam vbicunque legunt iſti Cathedram, aut Petri Cathedram, localem ſucceſſionem in Eccleſia Romana ſomniant. Quod vt iſtis excutiamus ſomnium, oſtendemus, veteres, quoties de Cathedra, vel

Petri Cathedra loquuntur, ſemper intelligere ſucceſſionem doctrinæ. Loquendi formula ſumpta eſt ab iis Scripturæ verbis, Matth. 23. 2. In Cathedra Moſis ſedent Scribæ & Phariſæi. Vbi per Cathedram Moſis, doctrinam Legis intelligit Chriſtus. Itaque Origenes ſic habet: a *Ante Chriſti aduentum ſuper Cathedram Moſis ſederunt, qui bene, & ſecundum rationem dicta Moſis interpretabantur, poſt aduentum Chriſti ſedent ſuper Cathedram Eccleſiæ, quæ eſt Cathedra Chriſti, & thronus.* Hæc Origenes. Quibus verbis demonſtrat, per Cathedram intelligi doctrinam. In more enim poſitum fuit apud antiquos, vt in Eccleſiis locus excelſior erigeretur, vnde docebat Epiſcopus: is locus dicebatur Cathedra. De qua ita Euſebius ſic narrat: b Iacobi Cathedra in Hieroſolymis vſque in hodiernum diem conſeruatur, atque in ea ſedent omnes, qui vſque ad præſens tempus ſedis illius ſacerdotium ſortiuntur.

a *in Matth. tract. 24.*

b *lib 7. c. 15.*

Cyprianus monet: c *Epiſcopo conſentiendum honorem ſacerdotij ſui, & Cathedræ.* Atque alibi Cornelii Romani Epiſcopi facilitatem perſtringens, qui ad ſe transfugientes ſchiſmaticos, & profanos homines nimia leuitate exciperat, ſic ait: d *Nauigare audent, & ad Petri Cathedram, atq; ad Eccleſiam principalem, vnde vnitas ſacerdotalis exorta eſt, & à ſchiſmaticis & profanis literas ferre, nec cogitare, eos eſſe Romanos, quorum fides, Apoſtolo prædicante, laudata eſt, ad quos perfidia non poſſit habere acceſſum.*

c *Epiſt. 12.*

d *Epiſt. 55.*

Ad

Ad hunc locum, & pauca huiusmodi, tripudiare solent Pontificii, sed frustra. Quid enim dicit Cyprianus, quod nos negamus? Hæc omnia nos etiam antiquæ Romanæ Ecclesiæ tribuimus, quæ concedit Cyprianus. Sit sane, si velint, Romana Ecclesia Petri Cathedra, sed hac conditione, quam adscribit Cyprianus, quamdiu persliterit talis, qualem ille describit: Quorum fides ab Apostolo laudata est, & ad quos perfidia non possit habere accessum. Basilius Ambrosium, Mediolanensem Episcopum constitutum, ait, fuisse a ἐπὶ τὴν προεδρίαν τῶν ἀποστόλων. Augustinus ait: b *Vtiliter audiuntur, qui etiam vtiliter non agunt, sua enim quærere student, sed sua docere non audent: de loco scilicet superiori sedis Ecclesiasticæ, quem sana doctrina constituit.* Ambrosius: c *Non habent Petri hæreditatem qui Petri fidem non habent.* Hieronymus: d *Per Cathedram doctrinam Legis intelligit.* Chrysostomus: e *Super Cathedram Christi sederunt sacerdotes, eius enim doctrinam acceperunt.* Cyrillus Hierosol. f *Super Cathedrã Mosi sederunt Scribæ & Pharisæi, nõ hic ligneam Cathedram, sed doctrinæ significat potestatem.*

a *Epist. 55.*
b *lib. 4. de doctr. Christ. cap. 27.*
c *lib. de pœnit. cap. 6.*
d *in Matth. cap. 23.*
e *Homil. 86. in Iohan.*
f *Catechis. 12.*

Ex quibus testimoniis concludimus, Papam non tenere Cathedram Petri. Qui enim vel non laborat in verbo, & doctrina, vel doctrinæ integritatem non seruat, non sedet in Cathedra Ecclesiastica, ex Patrum sententia. Papa, qui neutrum præstat, Petri Cathedrâ desertâ, excelsus erigitur, & regnat in Cathedra pestilentiæ. Per successionem

igitur, & Cathedram, constat, veteres non priuilegium alicuius loci, sed doctrinæ Apostolicæ integritatem in Ecclesia traditam, ab Episcopis conseruatam, intelligi voluisse.

Redeamus iam ad illud insolubile argumentum Bellarmini. *a* Hinc argumentum, inquit ille, insolubile sumitur, hoc modo: *Ecclesia non potest esse sine Episcopis: Apud Lutheranos non sunt Episcopi: nam non habent ordinationem, & successionem ab Apostolis. Ergo apud eos non est Ecclesia.*

a lib. de notis Eccles. cap. 8.

Respondeo, satis est, ad demonstrandam Ecclesiam, ex Patrum iudicio & consensu, vt successio sit in doctrina. Nam per illam successionem probant Patres, Ecclesiam vere Apostolicam dici, & esse, quamuis localem successionem non possit ostendere. Quum igitur apud Ecclesias nostras sit doctrinæ consanguinitas, & conspiratio cum doctrina Apostolica, hoc sufficit ad demonstrandam Ecclesiam veram. Bellarminus producit etiam Brentii responsum. Respondet Brentius: Nos legitime vocati sumus à populo & Magistratu, & ab iis Episcopatum accepimus, & non nos intrusimus. At contra Bellarminus sic disputat: Hic non disputamus de electione Episcopi, quam scimus varie variis temporibus celebratam, &c. Cæterum quomodocunque fuerit electio, semper fuit necessaria ordinatio, quam non populus, sed soli Episcopi, & quidem tres saltem minimum, regulariter conficiebant.

Respon-

Reſpondeo 1. Hoc argumentum non attingit Eccleſias noſtras, & Epiſcopos noſtros, qui canonice ordinantur. Nam vt de ſucceſſione Epiſcoporum noſtrorum pauca dicamus, facile probabimus, Epiſcopos noſtros multo magis regulariter inſtitutos, quam Romanos. De ſucceſſione Epiſcoporum noſtræ Eccleſiæ nihil certum proferri poteſt ante Gregorii tempora, qui huc Auguſtinum Monachum miſit. Auguſtinus ille Monachus Româ profectus eſt, ordinatus autem Epiſcopus eſt, non à Gregorio, ſed à Virgilio, Arelatenſi Archiepiſcopo, ad quem ſcripſit Gregorius. a Beda etiam teſtatur, Auguſtinum hunc ab Arelatenſi Archiepiſcopo ordinatum fuiſſe, & reuerſum in Britanniam, miſiſſe continuo Romam Laurétium Presbyterum, & Petrum Monachum, qui Gregorio referrent, gentem Anglorum fidem Chriſti accepiſſe, ac ſe Epiſcopum factum fuiſſe. Succeſſio igitur Cantuarienſium Archiepiſcoporum, ac proinde reliquorum omnium Epiſcoporum huius gentis, non erat ab Eccleſia Romana, ſed ab Arelatenſi. Erat Arelatenſis Eccleſia mater omnium Eccleſiarum Gallicarum, & Epiſcopus Arelatenſis Primas omnium Epiſcoporum Galliæ, ſicut ex pluribus Gregorii Epiſtolis conſtat, maxime Epiſtola 31. lib. 4. indict. 13. Arelati autem Trophymum Pauli diſcipulum, Chriſtum docuiſſe narrant multi. Inter quos Petrus Cluniacenſis probat hoc teſtimonio Papæ Zozimi. Cluniacenſis verba

1.

a *hiſtor. lib. 1. cap. 27.*

sunt hæc: a *Numquid apud Arelatem, quam nec dū per Dei gratiā vester sordidus error infecit, Pauli Apostoli discipulus Trophymus, de cuius fonte, vt Papa Zozimus scribit, omnes Galliæ Ecclesiæ fidei riuulos acceperunt, semper in campo, aut in foro prædicauit, baptizauit, orauit, & nunquam domum orationis vel ipse habuit, vel alios habere instituit.* Hæc ille. Legimus etiam in tomis Conciliorum, Concilio Arelatensi 2. cap. 18. hæc verba: *Ad Arelatensis Episcopi arbitrium synodum congregandam, ad quam vrbem, ex omnibus mundi partibus, præcipue Gallicanis, sub sancti Martini tempore, legimus, celebratum fuisse Concilium, atque conuentum, si quis commonitus infirmitatis causa defuerit, personam vice sua dirigat.* Hactenus verba Concilii. In hoc Concilio, Restitutus, Episcopus Londinensis, subscripsit inter Episcopos. Vnde constare potest, etiam ante Archiepiscopi Cantuariensis institutionem, quam antiqua, quam concors fuerit animorum conspiratio, inter Arelatenses, & Britannos Episcopos.

a *Pet. Cluniac. Epist. lib. 1. fol. 15. Paris. 1522.*

Hæc acta sunt An. Dom. 326.

Nostræ igitur Ecclesiæ, vt & omnes Gallicæ, successionem suam ab Arelatensi sumunt. Iam si quis à præsenti Archiepiscopo Cantuariensi, Georgio, Reuerendissimo ac vigilantissimo Ecclesiæ Christi pastore, vsque ad Virgilium illum, qui Augustinum ordinauerat, deinde à Virgilio, vsque ad Trophymum, vel quemcunque alium virum Apostolicum, qui primus Ecclesiam illam plantauerat, vniuersam successionem, & singulas propagines percurrat, non inueniet in tota hac successione nostro-

noſtrorum Epiſcoporum, vel fœminam, ſicut Romana Eccleſia habuit Iohannem VIII. vel puerum, ſicut erat Benedictus IX. vel alium quempiam, per quem formale ſucceſſionis impedimentum fiat, ſicut in Romana Eccleſia ſæpius fit. Ita de noſtra ſucceſſione ratio conſtat, quæ de Romanorum Epiſcoporum ſucceſſione conſtare non poteſt. Miſeri ergo Pontificii de ſucceſſione, neſcio quid, obiicere nobis audent, & in angulis contra vocationem Epiſcoporum noſtrorum, & presbyterorum ſuſurrant, eaque tela in nos coniiciunt, quæ nec noſtros lædunt, & retortain autores ipſos, oſſibus ipſorum, & præcordiis penitus infixa hærent. Quod vero Niceni Concilii canonem 4. iactant, de Epiſcopo à tribus Epiſcopis ordinando, fruſtra noſtris obiicitur Epiſcopis, qui ſemper canonice à tribus Epiſcopis, vt minimum ordinati ſunt. Nihil igitur contra noſtros Epiſcopos ab Aduerſariis proferri poteſt.

Quod ſi obiiciant, ſe non Eccleſias illas accuſare, in quibus certa Epiſcoporum ſucceſſio conſtat: ſed in quibuſdam reformatis Eccleſiis non eſſe Epiſcoporum ſucceſſionem.

Reſpondeo 2. Vt omittam de meo iudicio aliquid dicere, certe non poſſunt Pontificii Pontificios authores reiicere. Solent ipſi Pontificii locum Ambroſii frequenter adducere, quem ex Gratiano citant: [a] Epiſcopi & Presbyteri vnam eſſe ordinationē, quia vterq; 2.

[a] *Comment. in 1. Tim. 4.*

sacerdos est, sed Episcopum Primum esse. Habet igitur Episcopus ordinandi potestatem, quam non habet presbyter, ordinationem aliam non habet. Itaque Bellarminus de hac re sic habet: Etsi Episcopus & Presbyter distinguuntur, tamen quantum ad sacrificium, idem omnino ministerium exhibent, proinde vnum ordinem, non duos faciunt. Hæc Bellarmin. lib. 1. cap. 11. de Clericis. Quod ex communi Scholasticorum sententia desumptum videtur. Capreolus in 4. sent. dist. 1. q. 1. concludit, Episcopatum non esse alium ordinem distinctum à sacerdotio. Quo loco inducit argumentum Aureoli, in quo acquiescit. Quia, inquit, omnis forma, quæ est in actu, videtur, quod possit se communicare in eadem specie. Ergo quicunque sacerdos poterit ordines celebrare. Ergo si potestas illa non sit impedita, sicut est de facto, & impedimentum remoueatur per hoc, quod sit Episcopus, non datur ei noua potestas, sed tantummodo pristina potestas prius impedita expeditur, impedimento remoto. Et reductio illius potestatis ad vsum, dicitur ampliatio potestatis. Hanc sententiam sequuntur Cameracens. in 4 sent. dist. 44. Armacan. lib. 10. q. Arm. cap. 7. Contarenus lib. de Sacram.

3. Respondeo 3. Nouum hoc esse, atque inauditum in Ecclesia, si quis dicat, Ecclesiam omnino periisse, nullamque esse, si forte canon quispiam Ecclesiasticus non seruetur. Ecclesia enim non est, nec vnquam fuit sine Epi-

Episcopis, vel iis, qui locum supplent Episcoporum: sed Episcopi vere esse possunt, quamuis non seruetur Ecclesiasticus ille canon. Fatemur, antiquum esse canonem illum, in Concil. Nicen. can. 4. Sed ante Concilium Nicenum Episcopi constituti sunt, qui Ecclesias gubernabant. Neque vero idcirco Ecclesia nulla erat antea, quia hæc res originem à Concilio Niceno traxit. Eusgrius Episcopus Antiochiæ ab antiquis habebatur, à Socrate *a*, ab Hieronymo *b*: & tamen Theodoretus *c* scribit, eum Episcopum factum fuisse contra hunc canonem: quia à Paulino solo, non adhibitis aliis Episcopis, creatus erat. Quod si Bellarminus de sententia cedere nolit, nisi Romani Pontificis autoritate reprimatur: en producimus Romani Episcopi sententiam. Nam Gregorius Primus Augustino Cantuariensi sic scribit: d *In Anglorum Ecclesia, in qua tu solus adhuc Episcopus inueniris, ordinare Episcopum non aliter potes, nisi sine Episcopis.* Hæc Gregorius ad quæstionem Augustini. Quærebat enim Augustinus, vtrum deberet Episcopus ordinari sine aliorum Episcoporum præsentia, quum longinquitas itineris magni interiaceret, vt Episcopi non facile possent conuenire: Respondet Gregorius, Episcopos illos, qui primi ordinandi erant in Anglia, non potuisse aliter ordinari, nisi sine Episcopis. Probat igitur Gregorius, ordinationem sine tribus Episcopis legitime fieri posse. At quod hoc idem ad Apostolorum canones re-

a *lib 5. c.15.*
b *in Catalogo.*
c *lib.5. c.23.*
d *lib.11. Epist 31. indict. 7. & Bed lib. 1. cap.27.*

fert Bellarminus, prorsus inane est, quum de
4 dist. 1. c. 16. illis apud Gratianum sic legamus: *a Canonis, qui dicuntur Apostolorum, nec sedes Apostolica recipit, nec sancti Patres illis assensum præbuerunt, prave, quod ab hæretico sub nomine Apostolorum compositi dignoscuntur.* Hæc ille. Atqui sine istis fallatiorum figmentis non possunt Iesuitæ progredi.

Si importunius in hoc nodo hæreant Pontificii, apud quosdam reformatas Ecclesias non esse Episcopos. Respondeo: Si non sint Episcopi, ex necessitate erat: quia Episcopi, qui Ecclesias Pontificias tenebant, ordinare noluerunt; recedendum erat ab Antichristo, & per consequens, à Romana illa Curia, quæ nunc à Iesuitis Romana Ecclesia dicitur. Illud enim nos per Dei gratiam facile probaturos speramus, non posse eos cum Ecclesia Catholica communicare, qui per omnia cum Romana ista Ecclesia communicant. Ergo necessitas erat recedendi à Romana Curia, si cum Ecclesia Catholica communicare vellent. Et quia in quibusdam locis aliter fieri non potuit, presbyteris suis contenti erant. Minus enim malum videbatur, non habere Episcopos, quam veritatem, & Ecclesiæ Catholicæ communionem amittere.

Atqui hic vlterius obiicient Pontificii rixatores, simplices presbyteros non posse ordinare, quia munus ordinandi, semper ad Episcopos spectauit.

Sentio,

Sentio, quam lubrico loco verſetur hæc diſputatio. Nam quum ſemotis perſonis, de rebus ipſis diſputamus, ſunt, qui rapiunt orationem noſtram, ad neſcio quorum hominum contumeliam. Sed conſcientiæ bonæ teſtimonio freti, inter Aduerſariorum minas, & amicorum querelas non impedior, à quærenda veritate, quia inquiſitionis huius finis eſt veritas, regula charitas. Qui ſe lædi ſentiunt, quia forte ad opinionem ipſorum non omnia reuoco, intelligant non hominum placita, non partium ſtudia, ſed veritatem quæri. Non omnis, qui parcit, amicus; nec omnis, qui verberat, inimicus eſt. Meliora ſunt vulnera amici, quam oſcula inimici. Melius eſt cum ſeueritate diligere, quam cum lenitate decipere. Itaque non metuam, ne viri boni in ſuam contumeliam rapiant hæc, quæ dicam, quum DEVM habeam conſcientiæ teſtem, ſcopum diſputationis huius eſſe veritatem, regulam, quam maxime tenere cupimus, eſſe charitatem.

Poſt ſacrarum Scripturarum autoritatem, Eccleſiæ Catholicæ conſenſus tantum apud me ſemper valuit, vt quæcunque ab hoc conſenſu confirmata videam, mihi ſacroſancta & immutabilia videãtur. At in eo habemus Eccleſiæ antiquæ conſenſum, Epiſcopos ordinare, & Presbyteros ab Epiſcopis ordinationem ſuã habere: Apoſtolos in hunc vſum Eccleſias commiſiſſe Epiſcopis: Apoſtolos ſucceſſores

ſuos

ſuos ſtatuiſſe Epiſcopos: ac proinde extraordinariam Apoſtolorum poteſtatem cum ipſis finem habuiſſe, nec in Eccleſia locum deinceps reperiſſe: ordinariam vero Apoſtolorum poteſtatem Epiſcopis commendatam fuiſſe, atque in illis permanſiſſe: ex hoc fundamento Epiſcopos ſemper ordinaſſe: non fas, aut licitum fuiſſe, vt inferior maiorem ordinaret, quia nemo tribuit, quod non accepit: Presbyteros quidem poſſe facere, quæcunq; faciunt Epiſcopi, excepta ordinatione: itaque presbyteros ordinare non potuiſſe. Hæc apud antiquam Eccleſiam magno conſenſu firma & fixa fuerunt.

Obiiciunt quidam Hieronymi ſententiam, eundem eſſe Presbyterum & Epiſcopum: Nos, vt Hieronymi ſententiam examinemus, locum integrum ſubiiciemus. *Idem eſt*, inquit, *Presbyter, qui Epiſcopus, & antequam Diaboli inſtinctu ſtudia in religione fierent, & diceretur in populis: Ego ſum Pauli, ego autem Cephæ, communi presbyterorum Concilio Eccleſiæ gubernabantur. Poſtquam vero vnuſquiſq; eos, quos baptizauerat, ſuos putauerat eſſe, non Chriſti, in toto orbe decretum eſt, vt vnus de presbyteris electus, ſuperponeretur cæteris, ad quem omnis Eccleſiæ cura pertineret, & ſchiſmatum ſemina tollerentur.* Concludit tandem: *Sicut ergo presbyteri ſciunt, ſe ex Eccleſiæ conſuetudine ei, qui ſibi præpoſitus fuerit, eſſe ſubiectos, ita Epiſcopi nouerint, ſe magis conſuetudine, quam diſpoſitionis Dominicæ veritate presbyteros eſſe maiores, & in commune debere Eccleſiam regere.*

Comment. ad Tit. cap. 1.

Hæc

Hæc Hieronymus. Ex quo loco colligunt, hanc Episcopi dignitatem super presbyteros, fuisse in generali aliquo Concilio concessam. Deinde adiiciunt Augustini locum, quæst. ex vtroque testam. q. 101. *In Alexandria, & per totam Ægyptum, si desit Episcopus, consecrat presbyter.* Ex iis verbis Hieronymi & Augustini sic interrogat vir quidam doctus: Quis credat, si ante illud tempus vniuersali Concilio res fuisset definita, hæc fuisse Alexandrinos, & Ægyptios illo tempore futuros?

Respondeo: Primum nego, hanc rem ex vniuersali aliquo Concilio definitam. Hieronymi verba hoc non probant. Dicit Hieronymus, decretum toto orbe. Hoc non fuit ex Concilio generali, sed ex ordinatione Apostolica. Nam certum est, Hieronymum loqui de regesta, viuentibus Apostolis, quum iam diceretur, Ego sum Pauli, ego autem Cephæ; quod certum est fuisse viuentibus Apostolis. Certe Hieronymi verba vlterius extendi non possunt. Hoc igitur institutum ex Apostolis fluxit, ex eorum vsu & consuetudine. Verum est, Presbyterum & Episcopum quondam eundem fuisse in primis Ecclesiarum plantationibus, vt constat ex locis ab Hieronymo adductis. Sed postea (viuentibus adhuc Apostolis) quum Ecclesiæ perpetuo duraturæ vsus postularet, vt vnus aliquis ex presbyteris supra reliquos constitueretur ad hæc officia, sine quibus Ecclesia nec bene esse, nec esse omnino potuit: nempe ad schismata tollenda,

1. Tim.

1. Tim. 1. 4. Et ad ordinandos presbyteros, Tit. 1. Dico Episcopos ab Apostolis constitutos supra presbyteros ad hæc officia. Hoc Apostolorum factum Hieronymus vocat consuetudinem Ecclesiæ, non autem Dominicam dispositionem. Nisi hæc ita intelligantur, nec Hieronymus sibi ipse constare potest, nec superiora Scripturæ loca componi possunt.

At, inquiunt, nisi hæc res definita fuisset post illa tempora, de quibus loquitur Augustinus, non est credibile, Alexandrinos ordinare volnisse sine Episcopis. Quibus verbis probare contendunt, hoc institutum fuisse in generali Concilio, & hoc Concilium fuisse post Augustini tempora.

Respondeo: Loquitur Augustinus de re, quæ apud Alexandrinos in vsu fuerat, viuente iam Augustino. (Si tamen liber ille sit Augustini, quod ne Pontificii quidem censores agnoscunt.) Sed vt demus fuisse. Loquitur de re, quæ in vsu fuerat Augustino viuente. At Hieronymus Augustino antiquior, loquitur de antiqua Ecclesiæ consuetudine, quæ multis ante ipsum seculis duraverat. Et ante Hieronymum Cyprianus & Irenæus testantur, Episcopos ab Apostolis institutos, & in Ecclesia regenda, esse Apostolorum successores. Videte, in quantas angustias viri docti se coniiciant? Nam si hæc res definita fuerat in Concilio generali post Augustini tempora, quomodo potuit esse antiqua Ecclesiæ consuetudo ante Hieronymi tempora? Si interrogent,

rogent, quare ergo Alexandrini hoc fecerint? Respondeo: Hæc verba (*si desit Episcopus, presbyter consecrat,*) non necessario intelligenda esse de ordinatione, quia frequenter etiam vsurpantur apud veteres in consecratione Sacramentali. Deinde, vt concedamus, de ordinatione dicta fuisse: dicimus, Alexandrinos fecisse hoc ex necessitate, quum Episcopus adesse non poterat. Nam melius est ordinare sine Episcopis, quam vt Ecclesia omnino careat presbyteris: Atque hanc fuisse Augustini mentem, vt, quando Ecclesiæ vsus necessarium presbyterorum ministerium postulasset, & Episcopus adesse non poterat, crearentur presbyteri sine Episcopis: nunquam autem hoc fiebat extra hanc necessitatem. Sic enim ait Augustinus, Si deest Episcopus, consecrat presbyter. Hic certe mos antiquus excusare potest factum earum Ecclesiarum, qui presbyteros ex necessitate consecrarunt, vbi Episcopi adesse vel noluerunt, vel non potuerunt.

Si omnia Ecclesiæ secula lustremus ab Apostolicis temporibus, vsq; ad Patrum nostrorum memoriam, nõ alia ordinandi ratio inuenietur, nisi per Episcopos. Quam igitur sacram ceremoniam Ecclesia ab Apostolis accepit, & per tot secula constanter cõseruauit: quis potest reiicere, qui Ecclesiæ Catholicæ autoritatem nõ reiiciat? Neq; hæc in cõtumeliam aliarum Ecclesiarum accipi velim, sed potius in admonitionẽ. Quid enim magis decet Ecclesias Christi, quã charitas, & vnitas? quia vna est

Ec-

Ecclesia omnes ad vnitatem contendere debemus; charitas autem est vnitatis vinculum. Itaque Episcoporum officium ex sacris literis, & Ecclesiæ consensu, probatur esse huiusmodi. Vt Episcopi inseruiant primo, ad ordinandos presbyteros: quod constat ex Tit. 1. 5. quæ quidem ordinatio, quamuis præsentibus aliis presbyteris fieri solebat, manus suas vna etiam cum Episcopo imponentibus; sicut hæc traditio optime declaratur Concil. Carthag. 4. cap. 3. nunquam tamen sine Episcopo facta est in Ecclesia: quia potestas ipsa ordinandi in Episcopo fuisse semper intelligebatur. Simplex enim presbyter nunquam solebat ordinare. 2. Deinde inseruiunt etiam in hoc ministerium Episcopi, vt hæreses, & alienas omnes doctrinas autoritate sua atque industria extirpari curent, quod constat ex 1. Tim. 1. 3. quo loco iubet Apostolus, vt Timotheus mansionem suam Ephesi figat, vt denuntiare possit quibusdam, ne alienam doctrinam doceant. Ad hæc ministeria Episcopos in Ecclesia constituerunt Apostoli, sicut partim ex Scripturis, partim ex Patrum consensu probatur. Quum igitur ex sacris literis, & Ecclesiæ consensu Episcoporum officium probetur, debent omnes Ecclesiæ reformatæ ad hanc Ecclesiæ vnitatem accedere, & spes est, accessuras omnes, quum posito contentionis studio, & pertinaci obstinatione, veritas, & Ecclesiæ vnitas quæritur. Spes est, inquam, quod ex necessitate pro tempore constitutum fuerat,

rat, maturo consilio, & deliberatione, ex charitate, ad pristinam Ecclesiæ Catholicæ consuetudinem reducendum fore.

Quod si obstrepant Pontificii turbatores, atque ex nostra hac disputatione colligant, Ecclesiam non esse apud eos, apud quos non sunt Episcopi. Respondeo: Ecclesiæ quidem Catholicæ consuetudinem esse, vt Episcopi legitime ordinent: sed si quis à presbytero ordinatus fuerit, ordinatio illa etiam vera est, ex eiusdem Ecclesiæ Catholicæ iudicio. Nam quod in Baptismo hæreticorum iudicare solebat Ecclesia, Baptismum male ab illis dari, male ab istis accipi, quamdiu in hæresi perstiterint, ipsum tamen Baptismum verum esse, nec iterandum esse, quum isti ad Ecclesiam Catholicam accesserint: idem iudicandum est de ordinatione; etiamsi non legitime data fuerit, veram tamen esse, nec iterandam in Ecclesia Catholica. Itaque quum Parmenianus Donatista docuisset, Baptismum non quidem amittere, qui recedit ab Ecclesia, sed ius dandi amittere; sic Augustinus respondet: *a Hoc multis modis frustra dicitur, quia nulla ostenditur causa, cur ille, qui ipsum Baptismum amittere non potest, ius dandi amittere possit. Vtrumq; enim Sacramentum est, & quadam consecratione homini datur; illud quum baptizatur; istud, quum ordinatur: ideoq; in Catholica vtrumq; non licet iterari.* Hæc Augustinus. Quo loco multa habet in eandem sententiam. Deinde hæc verba subiicit: *Sicut autem habent in Baptismo, quod per eos*

a *lib. 1. contr. Epist. Parm. cap. 13.*

dari posſit, sic in ordinatione ius dandi. Vtrumq; quidem ad perniciem ſuam, quamdiu charitatem non habent vnitatis. Sed tamen aliud eſt, prorſus non habere, aliud pernicioſe habere, aliud ſalubriter habere. Hæc ille.

Iohannes Epiſcopus Rauennæ dubitabat, an reordinandi eſſent, qui ita ordinati fuerant; ad eum Gregorius ſic ſcribit: *Illud autem, quod dicitis, vt is, qui ordinatus eſt, iterum ordinetur, valde ridiculum eſt. Abſit autem à fraternitate veſtra, ſic ſapere. Sicut enim baptizatus ſemel, iterum baptizari non debet, ita qui conſecratus eſt ſemel, in eodem iterum ordine non debet conſecrari.* Gregor. lib. 2. indict. 10. Epiſt. 32.

Si vero Aduerſarii vlterius vrgeant, ex Auguſtini ergo ſententia Eccleſias illas, quæ non habent ordinationem ab Epiſcopis, habere ordinationem, ſed ad perniciem ſuam: negamus hanc conſequentiam: quia aliud eſt, recedere ab Eccleſia Romana: aliud vero, recedere ab Eccleſia Catholica. Receſſerunt ab ordinatione Eccleſiæ Romanæ ex neceſſitate; quia poſt publicata Tridentina decreta, non potuerunt cum Catholica communicare, niſi receſſiſſent ab illo conciliabulo. Receſſerunt igitur ex neceſſitate. Quum vero ad Eccleſiæ Catholicæ conſuetudinem in hac re redierint, ſicut in aliis redierunt, facile inuenient Epiſcopos Catholicos, qui ex charitate ſupplebunt id, quod ex neceſſitate defuerat.

Illud vero nobis ridiculum videtur, quod illi

illi ſucceſſionem noſtram, maxime ſcilicet accuſare audeant, qui nec ſucceſſionem, nec vero vocationem ſuam in Eccleſia DEI oſtendere poſſunt. Nam ſi venerabiles Epiſcopi & Presbyteri, quorum ſucceſſionem ab Apoſtolis, & ſeptuaginta diſcipulis Chriſti deuenientem agnoſcimus, hoc nobis obiecissent, ferendum videretur. At quis Ieſuitas, de ſucceſſione diſputantes tulerit? Ieſuitæ ſunt, qui ſucceſſionis impedimentum noſtris acerrime obſiciunt: quos, ſi Tertulliani verbis interrogemus; Quid agitis in meo, non mei? Quid vobis cum Eccleſia DEI? Quid poſſunt reſpondere? Certe Ieſuitæ nullam omnino vocationem habent in Eccleſia: Non ſunt à CHRISTO miſſi, non ab Apoſtolis inſtituti, & tamen audent ſe in Eccleſia CHRISTI operarios iactare, confeſſiones audire, Sacramenta adminiſtrare, imo & Paſtores à CHRISTO inſtitutos, officiis muneribusque ſuis extrudere, & in eorum locum ſeipſos introducere. Qui ad Eccleſiæ ædificationem, & Eccleſiæ miniſterium à Chriſto inſtituti ſunt, enumerantur ab Apoſtolo, Apoſtoli, Prophetæ, Euangeliſtæ, Paſtores, doctores: quos dedit ad conſummationem ſanctorum, in opus miniſterii, in ædificationem Corporis Chriſti, donec occurramus omnes in vnitatem fidei, & agnitionis Filii Dei. Hos igitur Chriſtus inſtituit ad Eccleſiæ ædificationem, vſq; ad conſummationem ſanctorum, adeoq; vſq; ad finē mundi: quicunq; *Epheſ. 4.*

præter istos sese in Ecclesiæ ministerio intrusserint, vocationem in Ecclesia nullam probare possunt. Ac proinde Iesuitæ, omnesque reliqui regularium ordines, non dico successionem ab Apostolis, sed ne vocationem quidem suam demonstrare possunt.

Itaque Episcopos, & presbyteros, quamuis in nonnullis religionis capitibus à nobis dissentiant, tamen non solum ferendos, verum propter loci, quem occupant, dignitatem, & successionem ab Apostolis, venerabiles æstimamus: de quibus spes est, ipsos propter eruditionem & iudicium, quo inter eos plurimi excellunt, præstigias Iesuiticas tandem aliquando perspectas atque exploratas abominaturos, veritatemque nobiscum amplexaturos. Maxime vero venerabilibus Episcopis, & clero Gallicano hanc mentis sanitatem exoptamus, & precibus à Deo Opt. Max. exoptamus, apud quos Concilii Tridentini decreta authoritatem obtinere nunquam potuerunt. Et profecto, qui inter eos eruditione & vitæ sanctimonia præstant, facile perspiciunt, quo tendat Iesuitarum furiosus in Ecclesia impetus: nempe non ad ædificationem, sed ad fidei destructionem, ad Ecclesiæ horrendam conturbationem, ad Regum perniciem, & Rerumpublicarum ruinam. Si in Gallis, Germania, Hispania, Italia, eum Ecclesiæ statum videre liceret, qui ante fraterculorum exortos Ordines in istis nationibus florere solebat, Ecclesiam omnino perditam non possemus deplo-

deplorare. Et quid eſt, quod Eccleſiis Britannicis hanc, qua Dei miſericordia & benignitate fruimur, felicitatem præſtiterit, niſi quod omnes fraterculorum Ordines radicitus ex Eccleſia noſtra extirpatos videamus? Fratres enim primi induxerunt noua illa dogmata, Reges non eſſe Reges Clericorum, nec Clericos Regibus ſuis, ſed Papæ tantummodo eſſe ſubditos. Fratres commenta illa excogitarunt, de accidentibus ſine ſubiecto in Sacramento altaris, & quod nulla ſubſtantia panis aut vini remaneat poſt conſecrationem: primi obedientiam cæcam intulerunt; primi mulctas pecuniarias in Eccleſia induxerunt, & ex ipſis peccatis populi queſtū ſibi ſordidum confecerunt; & humilitate antiquorum conculcata, ſuperbiam, auaritiam, ſimoniam, & hypocriſin in Eccleſiam intulerunt, bella procurarunt: primi articulum illum fidei, *Credo ſanctam Eccleſiam Catholicam*, deſtruxerunt; dum profanos atque impios homines ſanctæ Eccleſiæ membra eſſe docuerunt, Chriſtumq; cum Diabolo coniunxerunt. Hæc, & plura à fraterculis inuecta fuiſſe, obſeruat Iohannes Wiclefus. Sed hæc olim. Ieſuitæ vero noua monſtra quotidie addunt Patrum ſuorum inuentionibus, quibus Eccleſiam & Regna diſſipent. Ex hoc venenato fonte doctrina illa profluit, de Regibus deponendis, interficiendis, de ſubditis à fide ſuorum Principum reuocandis. Quod ſi venerabiles Epiſcopi æquis oculis proſpicere nolint Eccleſiæ, & Regno-

rum omnium ruinam, non possunt certe non videre, ad suum officium hoc pertinere, vt Iesuitarum furores, quantum in se est, cohibeant, & prospiciant, ne quid Ecclesia detrimẽti capiat. Hæc multis antea seculis præuiderat Iohannes Wiclefus, & prædixerat euentura. Verba eius referam: a *Olim Episcopi nostri dicuntur pseudofratres, tanquam Diabolos odisse, & in tempore Domini Armathani, dicuntur ipsum in sumptibus contra hos pseudoordines defendisse, sed modo facti sunt amici, Herodes & Pilatus, qui prius intra se fuerunt inimici. Duo igitur prognostico in hac parte. Primum, quum ista confœderatio non sit fundata in Lege Domini nostri Iesu Christi, quod non stabit, sed cessabit ad damnum vtriusq; partis, siue alterius, cum non sit bona societas Christiani, cum Belial. Secundum est, quod vel oportet nostros, Episcopos, & Regni Proceres opiniones istorum pseudofratrum deserere in hac parte, vel quod cum illis sint in hæresi inuoluti.* Hæc ille. Atque hæc est illa hæresis decantata Wiclefi, quod Episcopis & presbyteris, contra fraterculorum nouitates adhæreret, & quod antiquam Ecclesiæ Romanæ doctrinam, contra istorum figmenta propugnaret. Reddite nobis, Venerabiles Episcopi, imo reddite Christo Ecclesiam, qualem inuenerunt Ordines isti pseudofratrum, nec amplius optabimus. Eiicite Iesuitas, regulares que reliquos, quorum vocatio nulla est in Ecclesia Christi: eiicite vna cum istis noua dogmata, & figmenta ab istis excogitata, ab istis inuecta: quod profecto facietis sedulo, si

Christo

Christo vestram operam in Ecclesia probare velitis. Hæc nisi vos præstiteritis, fieri non potest, quin eueniat, quod futurum prædixit Wiclefus, vt vos vna cum illis in eorum hæresi involuatis.

CAPVT XII.

De Erroris origine.

HActenus disputauimus de Ecclesiæ sanctitate, amplitudine, communione cum Capite, & inter se, de ratione cognoscendi Ecclesiam certissimâ per regulam fidei, de successione & ordinatione. Nunc ad originem erroris aperiendam accedimus. Obseruandũ igitur est, varios de Ecclesia errores apud Pontificios receptos esse, qui tamen omnes ad duo capita reduci posse videtur, nempe ad Caput, & membra Ecclesiæ. De illis erroribus, qui sunt de membris Ecclesiæ, superius ea diximus, ex quibus constare potest, ante annum Christi millesimum, id est, ante Satanæ solutionem, inauditum fuisse in Ecclesia, membra Ecclesiæ esse homines non sanctos. Post annũ millesimum communis sententia Ecclesiæ Romanæ, Bellarmino teste, vsque ad Concilium Tridentinum, imo vsq; ad ipsum Bellarminũ, veritatem constanter retinuit, sicut superius demonstrauimus. At fratres, ad Papæ arbitrium, & Romanæ Curiæ placita doctrinam hanc antiquam mutarunt, atq; ita mutarunt, vt alia iam significatio affingeretur huic verbo, Ecclesiæ, quam superioribus seculis intel-

intelligi solebat. Tandem enim per Ecclesiam nihil aliud intelligi voluerunt corruptores isti, quam Papam, & Cardinales Romæ. Ita vt iam Ecclesia, quæ prius vbique sparsa fuerat, Romæ tandem alligata videretur, & à cœtu fidelium, ad cœtum Cardinalium contracta. Sed hic sensus est modernus, sicut monet Marsilius Patauinus. Sic enim de hac re scribit: a *Apud modernos maxime importat hoc nomen, Ecclesia omnes Presbyteros, seu Episcopos, atq; Diaconos, qui ministrant, & præsunt in Metropolitana, seu principali omnium Ecclesiarum, quemadmodum hoc Ecclesia Romana vsu dudum obtinuit, cuius ministri & præsidentes sunt Papa, & Cardinales ipsius, qui iam ex vsu quodam obtinuerunt dici Ecclesia.* Hæc ille. Sed hæc est moderna Ecclesiæ significatio, neque Scripturis, neque Patribus probata.

a *defens. pac. part. 2 c. 2.*

Hæc mutatio significationis antiquæ occasio fuit omnium errorum, qui postea dormientibus hominibus, tanquam zizania, *ab inimico homine* introducta fuerunt: quæ zizania hodie pro Romano tritico ventilantur. Constat igitur, Ecclesiam mutatam esse apud Pontificios ab ea, quæ fuerat. Originem huius mutationis notamus post annum millesimum inchoatam à fraterculis, quæ tamen mutatio confirmationem suam autoritatemque nuper obtinuit. Adeoque omnia iam mutata constant, quæ Ecclesiam constituunt, Caput, membra, regula, vt & ipsa denique vis & significatio nominis mutetur: qua quidem in re insi-

insignem Pontificiorum fraudem obseruamus. Nam vt facilius imperitis imponant Ecclesiæ nomen, Ecclesiæ authoritatem vbique ingeminant, nos vero apud vulgus hoc odio grauare volunt, quasi Ecclesiæ Catholicæ autoritas apud nos minus valeret. At quæstio non est de Ecclesiæ autoritate, sed de ipsa Ecclesia, quænam sit, vbi quærenda, vbi inuenienda? Dicimus igitur, Ecclesiam apud Pontificios omnino mutatam esse. Ecclesia Catholica vna est, non mutatur. Atque hoc est, quod in istis præuaricatoribus maxime reprehendimus, quod intelligere nolunt, Ecclesiam Catholicam à fide Catholica separari non posse; Qui fidem & veritatem deserunt. Ecclesiam se retinere putant: plane frustra, & sine autoritate, sine promissione, sine ratione. De fide Catholica non sunt solliciti, de Ecclesia multum sibi applaudunt. Confingunt se esse Ecclesiam, deinde seipsos sensumque suum, imo vero vniuersam Ecclesiam, sicut isti arbitrantur, ita Romano Pontifici subiiciunt, vel potius prostituunt, vt is sit os, & Caput, & sponsus, & Rector, & Rex, & Monarcha vniuersalis Ecclesiæ; hoc in Ecclesia Christi longe turpissimum est, veteribus prorsus inauditum. Et quia hæc est Ecclesia illa, quam proponunt nobis multiplici sophismatum fraude deformatam: hanc Ecclesiam mutatam in Capite, in membris, in Regula, in significatione, antiquis incognitam; nos merito reiicimus. Mutam enim, & sophisticam Ecclesiam, scimus

non esse Christi Ecclesiam, quæ vna est in patribus, filiisque, in præcedentibus, præsentibus, & futuris. Quæ vero tam diuersa est ab antiqua, non est vna, ac proinde nec Ecclesia.

Post annum igitur millesimum deformari cœperat Ecclesia in membris per fraterculos, deinde deformari in significatione, adeoque mutari in aliud, quam quod prius fuerat: maxime vero deformari in Capite. Errori de Capite primus, quod sciam, Aquinas ingenium suum accommodauit, quum noua quædam de Ecclesiæ Capite inuexerit. Inde grassare cœpit hic error in Ecclesia Romana: quia de Ecclesiæ Capite antiqua traditio innouata est, & penitus immutata. Antiqui Patres vnum Christum Ecclesiæ Caput agnoscunt, idque ex Apostoli verbis: *Ipsum dedit Caput super omnem Ecclesiam, quæ est corpus ipsius.* Aquinas autem à Scripturis Patribusque recessit. Sic enim scribit: a *Papa est totius Ecclesiæ Caput.* Atque alio item loco: b *Summus Pontifex geris planarie vicem Christi in tota Ecclesia.*

Ephes. 1. 22.

a 3. q. 8. ar. 6.

b 2. 2. q. 88. ar. 6.

Quamuis ergo Bonifacius III. pluribus ante Aquinatem seculis, hunc titulum sibi suisq; successoribus arripuerat, vt Oecumenicus diceretur, siue vniuersalis Episcopus, qui tamen proxime Bonifacium secuti sunt tractatores, offensi, vt videtur tam superbo, & blasphemo titulo, & grauissimo Gregorii iudicio, (vt credi par est) permoti, nusquam Romano Pontifici hunc titulum concedunt.

Furtim

Furtim tamen, & ſurreptitiis artibus patientiam Eccleſiæ tentauit Rom. Pontifex, vt primo ſibi titulum oicumenici, deinde Capitis Eccleſiæ arriperet. Nobis mirandum videtur, eſſe aliquos homines in Eccleſia doctos, qui ſalua conſcientia titulos iſtos vel defendere, vel Rom. Pontifici concedere poſſit. Neque enim, inquit Apoſtolus, ſibiipſi quiſquam ſumit hunc honorem, ſed qui vocatur à Deo, ſicut & Aaron. At Rom. Pontifices hunc ſibi honorem ſumpſerunt, non à Deo vocati, teſtis eſt orbis terrarum, teſtis hiſtoria, teſtis Eccleſia, teſtis Romanus Pontifex Gregorius Primus, hos titulos eſſe profanos, vanos, nomina vanitatis, vocabula peruerſa, vocabula elationis, nomen ſceleſtum, ſuperſtitioſum, ſuperbum, appellationem nefandi nominis, profani nominis ſuperbiam, appellationem friuoli nominis, vanitatem ſtulti nominis, nomen pompaticum. Hæc eſt Gregorii cenſura de titulo vniuerſalis Epiſcopi, quum iam nomen illud Capitis Eccleſiæ nondum erat excogitatum, Romano Pontifici nondum delatum. Præuidebat tamen vir ſanctus, ex oicumenici titulo, alterum neceſſario ſequi. Itaque ſic ſcribit: a *Sub vno Capite omnes membra ſunt Eccleſiæ, ſancti ante Legem, ſub Lege, ſancti ſub gratia: & nemo ſe vnquam vniuerſalem vocari voluit.* Quibus verbis vtrumque titulum æque damnat Gregorius. Ratio Gregorii obſeruanda eſt: quia Epiſcopus, quicunque ſit, membrum eſt Eccleſiæ Catholicæ; nemo

Hebr. 5. 4

a lib. 4. in. dict. 13. Epiſt. fol. 38.

nemo autem potest esse & membrum, & Caput Ecclesiæ Catholicæ. Itaque Gregorius sic scribit: *a* Vniuersa sibi tentat asscribere, & omnia, quæ soli vni Capiti cohærent, videlicet Christo, per elationem pomparici sermonis, eiusdem Christi sibi studet membra subiicere. Hæc Gregorius. Quibus verbis friuolum illud effugium de Capite ministeriali penitus disperdit. Nam si quis opponat, Romanum Pontificem esse Vicarium Christi, & Caput ministeriale: Respondet Gregorius, soli vni Capiti tribuendum esse hunc honorem, non ergo Vicario: esse solum vnum Caput Ecclesiæ Catholicæ, non igitur locum esse Capiti ministeriali in Ecclesia vniuersa; neminem debere membra sibi eiusdem Christi subijcere: neminem igitur esse Vicarium Christi, aut Caput ministeriale in Ecclesia vniuersa.

a ibid. Epist. 36.

Itaque qui Gregorium secuuti sunt ante Aquinatem Scriptores Ecclesiastici, quum ex industria de Ecclesiæ Capite disputent, vnumque Christum vnius Ecclesiæ Caput esse confirment, non est dubium, quin Romani Pontificis profanam atrogantiam intulerint, quandoquidem nusquam ei concedunt hunc honorem, quem ipse sibi tam insano studio quæsiuerat. Christum Ecclesiæ Caput vnicum, constanter docent post Gregorii Primi, & Bonifacii Tertii tempora, Cassiodorus *b*, Iustus Orgelitanus *c*, Leo II. *d* Toletan. Concilium VIII. *e* Beda *f*, Alcuinus *g*, Angelomus *h*, Theophylactus *i*, Smaragdus *k*, Bernar-

b in Cant.
c in Cant.
d Epist ad Constantinop. Imperat.
e cap 4.
f in Gen. c.2. & sapius.
g lib. 10. c.9. ad ecclesiast.
h in 2 cap. lib.1.Reg.
i in Epist.ad Ephes cap.5.
k in Euang. Iohan. cap 13.

Bernardus a. Denique quicunq; ante Aquinatem de Capite Eccleſiæ diſputarunt, idem plane tradunt. In eoque cum antiqua Eccleſia optime iſtis conuenit, Eccleſiam eſſe corpus Chriſti. Nec breuius aut lucidius ſe Eccleſiam definire poſſe exiſtimant, quam ſi cum Apoſtolo Eccleſiam dicant eſſe corpus Chriſti. Quis autem vnquam Eccleſiam dixit eſſe corpus Papæ?

a *in Cant. ſerm. 68. & in feſt. B. Mariæ Magdalen. & ſæpius.*

Poſtquam Thomæ Aquinatis ingenio Papæ autoritas magis inualuiſſet, tandem Scholaſticorum inſequẽtium improba induſtria factum eſt, adiuuantibus Canoniſtis; vt nec modus, nec limites immoderatam iſtam poteſtatem coërcere poſſent. Atque hinc eſt illa Scholaſticorum nonnullorum ſententia, Papa eſt Eccleſia virtualiter: quod profecto à recentioribus iſtis Ieſuitis non minore contentione proponitur. Quum enim docent, Romanum Pontificem eſſe os Eccleſiæ, Pontificem etiam malum, eſſe Caput verum, nullam eſſe Eccleſiæ, aut generalis Concilii autoritatem ſine Romani Pontificis conſenſu, Papæ ſententiam, vel cum Concilio, vel ſine Concilio, certiſſimam eſſe, nec poſſe errare, Pontificem à nullo mortalium iudicari vel puniri debere, aut poſſe, Epiſcopos omnes à Papa iuriſdictionem accipere; Quid aliud agunt tam importuna contentione, quam vt ſeſe plane prodant, quum Eccleſiæ nomen prætendunt, Papæ vnius autoritatem extollere, atque hoc ſibi intus canere; Papam eſſe Eccleſiam virtua-

tualiter. Quicquid de Ecclesia iactant, illud manet apud eos fixum, & certum, vnum Papam esse Ecclesiam illam, pro qua digladiantur. Itaque nonnulli eorum aperte hoc ipsum profitentur. Sic enim scribit Gregorius de Valentia: a Nomine Ecclesiæ intelligimus eius Caput, id est, Romanum Pontificem.

a In Thom. tom. 3. pag. 24. Vent.

Hoc est igitur diligenter obseruandum, à nobis vero iterum atque iterum monendum, Tridentinos, quum de Ecclesia disputant, longe aliud intelligere per Ecclesiæ nomen, quam quod à Scripturis Patribusque traditum sit: proinde omnia confundunt. Nam priusquam de Ecclesiæ autoritate quicquam pronuntiant, oportuit de definitione conuenire: quod quia non faciunt, nunquam ad idem disputant, sed sophismatis complent omnia: & quod est hominum indoctissimorum maxime proprium, vt confuse & caligihose ea tractent, quæ distinctionibus splendere debuerant, quæ autem simpliciter, & sine fuco tradenda sunt, ea distinctionibus insensatis obruant; in eo ita accurate laborant Iesuitæ nostri, vt his ipsis artibus, quæ homines indoctos maxime produnt, isti doctissimorum virorum famam nomenque venentur.

Non putamus quenquam reperiri posse hominem doctum, & pium, qui credat vera esse, quæ scribunt Iesuitæ de Romanæ Ecclesiæ Capite. Ecclesiæ sponso, Ecclesiæ domino, & monarcha. Nam quod hanc scilicet autoritatem

tatem in vniuersam Ecclesiam ostendere soleant è Scripturis quibusdam: qui hæc scribunt, intelligunt, esse hoc mouere contra sensum Scripturarum, & antiquitatis vnanimem consensum. Intelligunt arte confictas Romanorum Pontificum Epistolas decretales, quæ primum autoritatem Romani Pontificis extra scripturis probandam susceperunt, nullam fuisse antiquitatis vocem in eam sententiam prolatam: Intelligunt, Romanos Pontifices tempore S. Augustini, quum autoritatem super alias Ecclesias affectauerant, non protulisse Scripturas, quales è confictis decretalibus hodie proferunt Iesuitæ; sed quia nihil ex antiquitate producere potuerunt, idcirco canonem Niceni Concilii confinxisse: Intelligunt, hanc Romanorum Pontificum impudentiam ab Augustino, pluribusque Africanis Conciliis conuictam, reiectam, & repressam fuisse. Num quis vero animum suum inducere poterit, vt credat, Romanos Pontifices Niceni Concilij canonem à scipsis confictum proferre voluisse, si tum temporis autoritatem hanc Romani Pontificis è Scripturis probari potuisse putassent? Et quis est de Ecclesiæ iudicio, Patrumq; antiquorum diligentia tam abiecte sentiens, vt existimet tandem post mille annos, quum iam tenebræ occuparent Ecclesiam, autoritatem Rom. Pontificis in Scripturis primum inuentam, quam prioribus & purioribus seculis Ecclesia antiqua, Patresque omnes ignorauerant. Non

potest

poteſt igitur fieri, vt hæc à Ieſuitis ſerio ſcribantur. Malam cauſam malo animo agunt, ambitione occæcati, quemadmodum de huiuſmodi fraterculis grauiter iudicat Æneas Syluius. Cuius verba ſunt hæc: a *Sunt aliqui, ſiue auidi gloriæ, ſiue quod adulando præmia expectent, qui peregrinas quaſdam ſententias, & omnino nouas prædicare doctrinas cœperunt, ipſumq; ſummum Pontificem ex iuriſdictione ſacri Concilij demere non verentur: excæcauit eos ambitio.* Hæc ille. De eadem etiam hominum fæce ſic ſcribit: b *Nec conſiderant miſeri, quia qua prædicant tanto opere verba, aut ipſorum ſummorum Pontificum ſunt, ſuas fimbrias extendentium, aut eorum, qui eis adulabantur.* Hæc igitur Romani Capitis autoritas in Eccleſiam, quam non à Deo delatam, ſibi ſumpſit Romanus Pontifex, antiquos Eccleſiæ Patres latuit.

a *lib. 1. de geſtis Baſil. Concil.*

b *ibid.*

Ante Aquinatem Bernardus nimium magnifice de Romano Pontifice locutus videtur, quem vocat c *Principem Epiſcoporum, hæredem Apoſtolorum, Patriarchatu Abraham, Primatu Abel, Ordine Melchiſedech, dignitate Aaron, autoritate Moſen, iudicatu Samuelem, poteſtate Petrum, vnctione Chriſtum.* Hæc quidem magnifica ſunt, & maiora, quam ante illum apud quenquam alium reperiuntur: quædam etiam impia, quamuis forte non impie dicta. Nam ſi in commodum interpretem inciderint, videri poſſunt à Bernardo poſita tantum ad oſtendendum ſpirituale primatum, non temporalem. Nam Bernardus (vt multi etiam

c *lib. 3 de conſid. cap. 8.*

iam alii viri boni) noluit pertinaci ſtudio cum Papa litigare de ſpirituali poteſtate, quia hanc poteſtatem Papa ſibi iam tum conciliaſſe videbatur. Affectauerat eam antea, ſed depulſus erat ab hac affectatione, ab antiquis Patribus, Epiſcopis, Conciliis. Sed poſt annum milleſimum, ſoluto tandem Satana, poteſtatem hanc ſpiritualem, quam vocant, ſuper Epiſcopos Occidentis ſæpius affectatam, tandem aliquando, tanquam victor euadens obtinuit: verum nullo alio iure, quam per Pontificios canones. Illud enim eodem loco diſerte notat Bernardus, his verbis: *a* Iuxta canones tuos, alii in partem ſollicitudinis, tu in plenitudinem poteſtatis vocatus es. Recte obſeruat Bernardus, hanc nouam Romani Pontificis poteſtatem, habitam ſecundum canones ipſius, non ſecundum Scripturas, nec ſecundum decreta Eccleſiæ Catholicæ, non ex iudicio Patrum; ſed tantum, inquit, iuxta canones tuos.

a Bernard. ibid.

Incidit Bernardus; ſicut ſupra admonui, in fatalia illa tempora, poſt annum milleſimum, quum iam Papa poteſtatem illam diu quæſitam, in Epiſcopos obtinuerat. Itaque Bernardus poteſtatem hanc ſpiritualem, quam à tam multis conceſſam; viderat, ipſe quoque toleratuit: quid enim facere potuit? Sed tamen de Capite & membris Eccleſiæ ſanam doctrinam tenuit. Nunquam Papam vocat Eccleſiæ vniuerſalis Caput, nec reprobos Eccleſiæ membra.

Quæ igitur è Bernardo obseruamus, ostendunt nobis, quibus gradibus ascenderit Papa ad hanc sublimitatem, & per consequens, quibus gradibus in præceps delecta sit Ecclesia per Papæ fastum, ad hanc miseriam. Primus gradus erat potestas super Episcopos, quam Cypriam & Augustini seculo affectatam, non potuit obtinere; Bernardi ætate obtinuerat. Secundus gradus est, vt haberetur Caput Ecclesiæ vniuersæ; quæ potestas Thomæ Aquinatis ingenio quæsita atque aucta videbatur. Ex istis Papa ascendere, Ecclesia vero ruere cœpit.

Si Thomæ Aquinatis doctrinam de Ecclesiæ Capite, cum Bonifacii III. facinore conferimus, artes quædam Ecclesiæ Romanæ in lucem prodire videbuntur, quæ sunt nobis obseruandæ. Nam doctrinæ immutatio in Ecclesiam Romanam sero inuecta videtur, disciplinæ vero corruptelæ longius præcessisse. Postquam enim de facto Ecclesia Romana, Caput omnium Ecclesiarum, & Episcopus Romanus vniuersalis à Phoca declaratus est, disciplinæ Ecclesiæ Romanæ statim mutata, ab ea, quam Gregorius, magna integritatis laude retinuerat, deflexit, & collapsa penitus corruit. At vero doctrina de Ecclesiæ Capite non statim cum disciplinæ depravatione, sed longo post tempore corrumpi cœperat. Sicut enim quæ virgo quondam insigni pudicitiæ laude floruerat, non statim à virginitatis amore in impudentiam prorumpere solet, sed pau-

paulatim ad mala assuescere, deinde præcipitari per flagitia: sic Rom. Ecclesia quondam virgo morituræ virginitatis signa quædam in disciplina immutata dederat, postea vero præcipiti furore adulterari cœpit. Itaq; postquam Anno Christi 606. à Bonifacio III. subuersa est Ecclesiæ Rom. disciplina, tandem aliquando post aliquot secula reperti sunt, qui hoc Pontificis factũ (quod Gregorius vocat profanum, superbum, impium, flagitiosum) tanquam legitimum defenderent. Ita doctrina hæc noua de Capite Ecclesiæ, ad facti defensionem excogitata, ab Aquinatis quidem ingenio, sed à Rom. Pontificum mandato, atque præscripto prodiisse videtur. Et certe frequenter vsitata est hæc ars, & celebrata. Nam & decimæ prius de facto ab Ecclesiis sunt ereptæ, deinde factum hoc à Theologorum ingeniis velut ex Pontificum præscripto defensitatum est. Itaque nihil nouum faciunt Iesuitæ, quum sententias nouas, insolentes, inauditas, ex Pontificum præscripto Ecclesiæ obtrudunt.

Quanquam autem videatur Aquinas ea ex præscripto docuisse, sicut alios etiam fecisse comperimus: ne tamen omnis Pontificum libidini reliquisse videretur, limites quosdam huic potestati adhibuit. a *Potestas*, inquit, *Prælati spiritualis, qui non est dominans, sed dispensatiua, in ædificationem data est, & non in destructionem.* Aquinas ergo Papam Caput esse docuit, non dominans, sed dispensans, & ministrans. Verum isti limites ad Papæ dominatum co-

a 2. 2. q. 88. art. 12. ad 2.

habendum inutiles fuerunt. Ita limitata quodammodo erat Aquinatis sententia. Iesuitæ vero huic potestati, nec modum, nec metas rerum, nec tempora ponunt.

Sequitur, ad demonstrandam Ecclesiæ Pontificiæ antiquitatem, vt ostendamus, recentia ista, & nuperrime nata Iesuitarum figmenta: *Papam esse supra Ecclesiam; nullam esse Ecclesiæ auctoritatem sine Papæ consensu: Papam errare non posse: Papam à nemine iudicandum: Episcopos omnes à Papa iurisdictionem accipere.* Et quia Ecclesia Pontificia hodierna, in istis figmentis vniuersa consistit, Ecclesiam hanc Pontificiam, ex istis dogmatibus publice receptis, antiquitatem suam, atque originem demonstrabit. Fuerunt hæc figmenta primo inter priuatas opiniones iactata; priuatas opiniones dico, non antiquorum Patrum, sed eorum, quos Iohannes Gerson, Æneas Syluius, & alii viri docti, vocare solent Pontificum adulatores. Nam fraterculi quidam, & Canonistæ, cõtra Ecclesiam Romanam, hanc Pontificis potestatem mendacijs & adulationibus introductam, per ambitionem & impudentiam extulerunt. Ita vt quæ priuatæ super fraterculorum & Canonistarum opiniones fuerunt, tandem Ecclesiæ dogmata publice recepta habebantur, sed non ante Concilii Tridentini tempora.

Atque vt facilius Ecclesiæ Pontificiæ mutatio intelligatur, hoc loco obseruabimus distinctionem illam inter Ecclesiam & Curiam Roma-

Romanam, de qua sæpius monuimus. Ecclesia consistit ex personis fidem Catholicam profitentibus. Fides Catholica à Christo prodiens, illuminat Ecclesiam, sicut hunc mundum lumen Solis. Nec enim mundus sine lumine agere, nec lumen sine Sole esse potest: vt nec Ecclesia sine fide Catholica, nec fides Catholica sine suo Sole Christo esse potest. Fides igitur Catholica transmissa est à Christo in Ecclesiam per comites ipsius, sicut habet Tertullianus. Mutatio ergo fidei probat manifestam mutationem Ecclesiæ. Fidem in Ecclesia Pontificia mutatam, supra probauimus in regula fidei mutata. Hoc loco quærimus de personis, hanc fidem profitentibus. Personæ sunt homines, qui vel ex suo munere atque officio tradunt fidem Catholicam, quales sunt Episcopi & Pastores, qui successionem habent ab Apostolis, & ius prædicandi; vel qui suscipiunt doctrinam Catholicam, sicut populus credentium. Mutatio autem fidei non est multum metuenda à populo, quia populus non tradit, sed tantum suscipit fidem. Verum à peruersis doctoribus mutatio omnis metuenda est. Quoniam autem populus pertinacius inhæret iis, quæ semel penitus susceperit, siue vera, siue falsa fuerint: idcirco pastoribus & doctoribus maior incumbit cura, vt summa cum fide ac syncerítate non suas opiniones, sed Christi fidem & mandata tradant. Fides ergo Christi tradenda est, non hominum placita. Neque

vero tradenda est passim ab omnibus sine discrimine: Deus enim non est author confusionis, sed ordinis; sed ab iis tradenda, qui legitimam habent vocationem ad munus prædicandi, & successionem ab Apostolis. Ecclesia igitur mutata probabitur, si vel fides Catholica à Christo excepta non tradatur, vel si tradatur ab iis, qui non habent ius prædicandi.

Quod si fides huiusmodi proponatur, quæ nec à Christo transmissa est, nec tradita ab iis, qui ius habent prædicandi, sicut sunt illi, qui ad prædicandi munus sese in Ecclesia obtrudunt, quum legitimam vocationem non habeant, nec successionem ab Apostolis: num quis existimare poterit, talem Ecclesiam esse Ecclesiam Christi, in qua huiusmodi confusio regnat?

Talis autem est Ecclesia hodierna Pontificia, in qua nec fides Catholica traditur, nec qui tradunt, ius habent prædicandi, aut successionem ab Apostolis. Nam qui fidem hanc, quam nunc Pontificiam dicimus, primo prædicarunt, fratercili erant, qui non fidem Catholicam, sed sua commenta tradiderunt, quique in Ecclesia nullam habent legitimam vocationem, non ius prædicandi, non successionem ab Apostolis.

Qui Ecclesiæ formam accurarius contemplantur, ab Anno Christi millesimo ducentesimo, videbunt duas veluti facies huius Occidentalis Ecclesiæ; Vnam antiquæ Eccle-

siæ

fix perdurantis in succeſſione Apoſtolorum; Alteram, nouæ exorientis, in fraterculorum & Canoniſtarum nouis inſtitutionibus, qui nullam habent vocationem, nec ius prædicandi, nec ſucceſſionem, ſed ſubito videntur poſt tempus ſolutionis Satanæ è terra prognati, vel è puteo abyſſi exorti, ſine ſucceſſione ab Apoſtolis, ſine authoritate ab Eccleſia, ſolius Romani Pontificis arbitrio inſtituti & confirmati.

Hæc autem fides, quamuis in Eccleſiæ gremio exoriens, non Eccleſia, ſed, ſicut doctiſſimus vir Iohannes Feildius poſtea, S. Theologiæ Doctor, quem honoris & dignitatis cauſa nomino, obſeruauit; Romanæ Eccleſiæ factio tantummodo habenda eſt, ſine Romana Curia. Interea Eccleſia Romana vixit, duraruitque, donec paulatim ab hac factione, ſine Romana Curia ſuperata, ac tandem velut abſorpta videretur. Itaque plurimos videmus viros doctos, piosque, nonnunquam etiam Principes religioſos, quoties ſe à Romani Pontificis tyrannide oppreſſos ſentiebant, vel metuebant, prouocaſſe à Romano Pontifice, & Romana hac Curia, ad Romanam Eccleſiam.

Legimus in ſcriptis Guilielmi Occham, Michaelem Cezenam, quem Iohannes Papa XXII. Anno Chriſti millieſimo trecentemo tugeſimo octauo depoſuit, appellaſſe ab iniuſta Papæ tyrannide, & a Romana Curia,

ad Ecclesiam Romanam: quo loco de Romana Curia grauissime conqueritur Cezenas. Verba Appellationis hæc sunt: a *Habito prius magno & maturo consilio ab ipso Domino Iohanne, & dicta eius assertione, & arrestatione infra tempus legitimum, nec nomine, & fratrum, mihi adhærentium, & adhærere volentium, iam dicti Ordinis, secundum quod tradunt canonicæ sanctiones, ad sanctam Romanam Ecclesiam Catholicam & Apostolicam appello.* Hæc ille. Testatur idem Cezena, hæc se egisse consensu & approbatione Magistrorum & Baccalaureorum in sacra pagina de Parisiis, & de Anglia. Sensum igitur, & iudicium Ecclesiæ huius seculi obseruamus fuisse huiusmodi, vt iudicarent, Papam non esse Caput Ecclesiæ, non fuisse super Ecclesiam: Ecclesiam Catholicam potuisse consistere sine regimine Papæ Romani. Nam qui à Romano Pontifice ad Ecclesiam Catholicam appellant, Ecclesiam probant sine Romano Pontifice consistere potuisse; Papam cum sua Curia reiiciunt, vt Ecclesiæ Romanæ Catholicæ iudicio ab iniuria Pontificis vindicarentur. Quid nos amplius dicimus, aut docemus? Testatur Cezenas, hanc Appellationem à Romano Pontifice, fuisse secundum canonicas sanctiones. Canones igitur Ecclesiæ illo seculo huiusmodi Appellationem probabant. Sed Romanus Pontifex per tyrannidem antiquis & æquissimis Ecclesiæ canonibus velut antiquatis, suas decretales Epistolas pro canonibus, quanquam

a *Litera recitatoria gestorum fratris Michaelis Cezena. Intercepta Guilielmi Occham.*

quam reſiſtentibus Epiſcopis, vt teſtis eſt Nicolaus Papa, diſtin. 19. cap. ſi Romanorum. Eccleſiæ obtruſit.

Narrat etiam Crantzius, Iohannem Semecam, autorem gloſſæ ordinariæ, in decretum Gratiani iniuſte excommunicatum à Clemente Papa IV. & ab officio ac munere deiectum, appellaſſe à Papa ad Concilium. Eodemque modo Ludouicus Bauarus Imperator iniuſte excommunicatus à Iohanne XXII. ab eius iniuſta ſententia appellauit ad generale Concilium, & ad ſanctam Catholicam Eccleſiam; ſicut narrat [a] Nauclerus. Philippus etiam Rex Franciæ, ab iniuria Bonifacii VIII. ſicut idem [b] author habet, appellauit ad Concilium. Ita rem vſitatam videmus, vt oppreſſi à Papa, appellarent à ſententia Papæ ad Concilium, & Eccleſiam Romanam. Quod certe fieri non poteſt, niſi Eccleſia à Romano Pontifice ſeparata, authoritatem intelligatur haberein ipſum Romanum Pontificem. Ex qua quidem conſuetudine Eccleſiæ conſtat, aliam apud maiores noſtros habitam fuiſſe Romanam Curiam, cum ſuo Capite, Romano Pontifice, quæ ſine hoc Capite non eſſe, non conſiſtere potuit: aliam vero Romanam Eccleſiam, quæ authoritatem in Romanum Pontificem exercere conſueuerat, & ſine Romano Pontifice conſiſtere potuit.

[a] *generat.* 45. *Ann.* 1338.

[b] *Naucler. generat.* 44.

Quærimus ab Aduerſariis; vbinam gentium iam ſit Romana hæc Eccleſia, quæ eſſe

potuit sine Romano Pontifice, quæ autoritatem in Romanum Pontificem exercere solebat, quæ Romanos Pontifices examinare, iudicare, coercere, deponere potuit? Quid possunt respondere, quam vel hanc Ecclesiam omnino periisse, nec esse iam in rerum natura; vel apud eos esse, qui reformatas Ecclesias obtinent? Perire Ecclesia Christi non potest; sequitur ergo, vt apud nos esse, quamquam inuiti, fateantur. Nam quæ hodie apud Pontificios Ecclesia esse videtur, quid aliud est, quam Romana illa Curia, ex Papa & adulatoribus conflata, à qua maiores nostri semper appellare ad Romanam Catholicam Ecclesiam consueuerunt. In his rebus confirmandis eorum testimonia contra hodiernos Pontificios proferimus, qui apud ipsos omni exceptione maiores esse debent.

Tria Concilia, Pisanum, Constantiense, Basiliense, ostendunt nobis consensum iudiciumque Ecclesiæ Romanæ, & doctissimorum virorum, qui in illis Ecclesiæ seculis vixerunt. Pisanum Concilium authoritate sua deposuit Gregorium XII. & Benedictum XIII. Constantiensis Synodus authoritatem Concilii generalis super Papam sic declarat: a *Sancta hac Synodus declarat, quod ipsa in Spiritu sancto legitime congregata, Concilium generale faciens, & Ecclesiam Catholicam representans, potestatem à Christo immediate habet, cui quilibet, cuiuscunque Status & Conditionis, etiamsi Papalis existat, obedire tenetur in his, quæ per-*

a Sess. 5.

pertinent ad fidem, & reformationem in Capite, & membris. Quibus verbis recentia illa Iesuitarum figmenta reiiciuntur.

Docent Iesuitæ, Papam esse super Concilium, & Ecclesiam: Constantienses affirmant, Ecclesiam esse super Papam. Clamant illi, Episcopos potestatem accipere à Papa: Constantienses vero, Episcopos immediate à CHRISTO potestatem habere, statuunt. Quibus etiam consentanea in Concilio Basiliensi habentur; sic enim docent: a *Veritas de potestate Concilii generalis vniuersam Ecclesiam repræsentantis, super Papam, & quemlibet alterum, declarata per Constantiense, & hoc Basiliense, generalia Concilia, est veritas fidei Catholicæ.* Idemque sæpius repetunt in eadem sessione. Sic etiam docent iidem Patres: b *Certum est, Papam errare posse: experientia etiam demonstrat, quia sæpe experti sumus, & legimus, Papam errasse.* c *Vniuersalis Ecclesia sæpe obedientiam Romanis Pontificibus subtraxit, Marcellino, Anastasio, Liberio, Iohanni XII. Benedicto IX., Benedicto XIII. Iohanni XXIII.*

a Sess. 38.

b Epist. Synodal.

c ibid.

Exclamet hic Bellarminus, quantum volet, exclament Iesuitæ omnes, hæc Concilia partim esse approbata, partim reprobata: hæc autem, quæ de potestate Ecclesiæ super Papam statuuntur, reprobata esse: num possunt tam frigidis commentis persuadere hominibus cordatis, Papam cum sua Curia habere authoritatem reprobandi ea, quæ in Conciliis statuuntur? Facetos homi-

homines, qui prolibidine sua, quæ placent, accipiunt, quæ non placent, expungunt. Vtcunque se in omnes colores immutent, nunquam eripient nobis veritatem.

Nos ex Romanæ Ecclesiæ Conciliis testimonia producimus. Negant Iesuitæ, approbata esse hæc Concilia in iis, quæ contra autoritatem Papæ statuuntur; quanquam impudenter negent; tamen esto. At quod nos affirmamus, negare non possunt. Producimus doctissimorum eius seculi hominum iudicia in illis Conciliis. Non Canones Conciliorum vrgemus, sed eorum iudicia, sententiasque exquirimus, qui tunc in Romana Ecclesia celeberrimi habebantur. Vt inde, quæ fuerat maiorum nostrorum religio, quis sensus, quodnam iudicium, intelligamus; imo vt quæ tunc temporis fuerit Ecclesiæ Romanæ sententia, sensusque constare possit. Qui enim in illis Conciliis congregati erant, Ecclesiam Romanam repræsentare putabantur: sicut Romana Ecclesia intelligitur, Ecclesiarum in occiduis orbis Christiani partibus collectio. Si enim istos auferas, vbi tandem erat Romana Ecclesia? Ex horum igitur sententiis, hoc est, ex Ecclesiæ Romanæ sententia, qualis auorum nostrorum memoria Romanæ Ecclesiæ religio fuerit, constat. Nondum enim recepti in Ecclesia fuerunt errores isti, quos nunc Iesuitæ maximis clamoribus ingeminant. Atq; hæc nobis huius mali originem aperient, quod est instituti nostri inuestigare.

Cogno-

Cognoſcant igitur Eccleſiæ ſuæ antiquitatem, qui de Eccleſia tanto hiatu iactare ſolent. Eccleſia iſta Ieſuitica mutata eſt in omnibus iis, quibus Eccleſia Chriſti demonſtrari ſolebat. Eccleſia enim demonſtrari ſolebat, vel per Caput ſuum, vel per membra ſua, vel per regulam ſuam. Caput Eccleſiæ Chriſtus eſt; membra Eccleſiæ, Sancti ſunt: regula Eccleſiæ, eſt regula fidei è ſacris Scripturis petita, in ſacris Scripturis comprehenſa. Hæc omnia mutantur à Ieſuitis. Pro Chriſto Capite ſubſtituunt Romanum Pontificem; ita Chriſtum excludunt. At dicent Ieſuitæ, non ſe Chriſtum excludere: ſed quum Vicarium Chriſti agnoſcant, Chriſtum etiam agnoſcere. Reſpondeo: Hæc verba ſunt inania, & meræ nugæ, quibus ſimplicibus ſe illudere poſſe ſperant. At num & Chriſtum, & Chriſti Eccleſiam ſuis fallaciis ſe decepturos ſperant? Papa, inquiunt, eſt vice Chriſti in Eccleſia. At Chriſtus eſt Caput ſanctorum, non autem Caput eorum, in quibus nulla eſt interna virtus. Papa vero Caput eſt impiorum, in quibus nulla eſt interna virtus, ex doctrina Ieſuitarum. Quomodo ergo poteſt Papa eſſe Chriſti Vicarius? Regit Chriſtus Eccleſiam ſuam, id eſt, ſanctos: At regit Papa Eccleſiam aliam, id eſt, profanos, in quibus fides non requiritur. Non poteſt igitur Papa eſſe Vicarius Chriſti in Eccleſia; quia non regit eandem ſub Chriſto Eccleſiam. Chriſtus igitur plane excluditur ab Eccleſia Pontificia, & pro Chriſto

sto Romanum Pontificem substituunt Iesuitæ: pro sanctis Ecclesiæ membris obtrudunt improbos, & reprobos: pro regula fidei in Scripturis, supponunt Romani Pontificis placita in traditionibus.

Atque hæc est Ecclesia illa nuper exorta, quam pro Ecclesia Christi proponunt Iesuitæ. Ecclesia scilicet, in cuius regimine ledet Romanus Pontifex, qui sit Caput Ecclesiæ, super Ecclesiam, qui solus errare non potest, sine quo Ecclesia potest errare, quique à nemine iudicari debeat: cuius membra sint homines sine vlla interna virtute, externa tantum professione coniuncti, & Sacramentorum communione, quæ sensu ipso percipitur: cuius regula sint traditiones non scriptæ, vel os Rom. Pontificis. Hanc Ecclesiam cum hoc Rege, cum his membris, cum hac regula, vnicam, veram, Apostolicam, Romanam scilicet, & sanctam, etiam agnoscunt Iesuitæ. Nos vero diserte pronuntiamus, hanc Ecclesiam, cum hoc Rege, cum his membris, cum hac regula, post Constantienſis, & Basilienſis Conciliorum tempora inualuisse. Num quid causæ erit, quod de antiquitate glorientur, qui Ecclesiæ suæ incunabula prima, non ante Concilium Tridentinum, hoc est, vix ante quadraginta annos reperiunt?

Ante Aquinatem de Ecclesia, de Capite, de membris, de regula, integra sunt omnia. Qui de Ecclesia disputarunt, Catholicam describunt, esse coetum sanctorum, esse corpus Christi,

Christi, in quo impijs & profanis hominibus non est locus. Si de Romana Ecclesia mentionem faciant, honorifice fit. Ecclesiæ Christi membrum, & quidem illustre admittunt: atque inter visibiles, & particulares Ecclesias, Romanam fuisse, in occiduis orbis partibus, veluti Principem. Neq; aliter nos de Romana Ecclesia loquimur, aut sentimus, quamdiu veritas apud eam valuit. Postea subrepsit error; & priuatæ fraterculorum opiniones contra antiquam Ecclesiæ doctrinam inuectæ sunt: tandem omnis Ecclesiæ potestas in Romano Pontifice statuitur. Atque hæc est Ecclesia illa, & Ecclesiæ potestas, pro qua sola Iesuitæ pugnant. Nos, quia hanc Ecclesiam neque in Scripturis, neque in Patrum monumentis, ne quidem in veterum Pontificiorum scriptis inuenire possumus; quia contra hanc Ecclesiam, Scripturarum, Patrum, atq; Conciliorum recentium testimonia grauissima adducimus, quibus luculentissime constare possit, errores fraterculorum, iam tum in Ecclesiam Romanam non fuisse receptos; merito concludimus, hanc Ecclesiam, quam hodie solam probant Pontificii, non esse Catholicam, sed à Catholica mutatam, nec ante Concilii Tridentini tempora extructam fuisse.

Summa controuersiæ huius est in definitione Ecclesiæ.

Dicimus, aliam esse huius verbi mentem, alium hodie sensum à Iesuitis inue-

inuectum, quam fuerat olim. Ecclesia perpetuo vna est; fundamentum habet doctrinam Apostolorum, & Propherarum, cuius angularis lapis est Iesus Christus. Hodierna vero Pontificia Ecclesia nuper è fraterculorum lacunis exorta, fundamentum habet, Tridentina decreta, cuius angularis lapis est Romanus Pontifex. Ecclesia Christi vnica est, semperque eadem. Sed Pontificia alia est, atque alia. Aliud fundamentum, aliud Caput, alius angularis lapis, alia membra, alia regula fidei probant muratam Ecclesiam. Quia ergo essentialia mutantur in hac, quam Iesuitæ nobis proponunt, Ecclesia, dicimus ex Ecclesia Christi, factam esse Ecclesiam Antichristi.

Postremò ipsam Ecclesiæ Romanæ vocem gemitumque querimoniæ plenam audiamus. Nam ante reformationem à Luthero partim inchoatam, Ecclesia sub Antichristi tyrannide oppressa ingemuit. Dum enim superbæ tyrannidi reluctatur; dum dominatum improbum exhorret, dum liberationem exspectat, captiuitatis suæ conscium emisit gemitum. Non hic Waldensium, aut Wiclefitarum testimonia, sed ipsius Romanæ Ecclesiæ gemitum, sub Antichristi tyrannide captæ; atque oppressæ, subiungam. Nam qui in Basilienſi Concilio conuenerunt, eos ex Romana Ecclesia fuisse, fatentur Aduersarii: horum querimoniam grauissimam, quanquam longiorem, subnectam tamen; vt Babylonica ista captiuitas, ipsorum captiuorum testimonio, lu-

culenta

culentius constare possit. Sic ergo miserabilem ruentis Ecclesiæ statum deplorantilli:

Animaduertite imprimis, ô Christicola, & ante oculos vestros ponite miserandum & flebilem statum religionis Christianæ, si eo redacta fuerit, vt quisq; in summo Pontificio positus, iam assecutus sit, quod nullam correctionem à Conciliis generalibus habeat pertimescere, quantumcunq; Ecclesiam scandalizet, & eius statum perturbet, ac decolorét: « *ita vt si omnes dignitates Ecclesiasticas, & beneficia* « *venderet, si Prælatos quosq; iniustos transferret, &* « *expelleret iniuste pro libito voluntatis, etiam notorie,* « *ac iniuste Reges ac Principes deiiceret, moribus per-* « *niciosis animas hominum passim perimere laboraret,* « *crudelitates perpetraret horrendas, Legem Dei con-* « *funderet, quæq; salubria instituta euerteret, tempo-* « *ralia Ecclesiæ Romanæ, & cæterarum particularium* « *Ecclesiarum dissiparet, atq; alienaret; aliaq; innume-* « *ra flagitia, scelera, & crimina notoria perpetra-* « *ret, ac se incorrigibilem redderet: Omnis Ecclesia in* « *vnum congregata, nullatenus eum à talibus coercere* « *posset: quinimo liberum ei, quamlibet Synodum eum* « *reprimere volentem, illico transferre, vel dissoluere* « *persistentes in Synodo contra voluntatem eius perse-* « *qui, excommunicare, priuare, inhabilitare, contu-* « *melio & iniurijs afficere, inuasiones corporales ad-* « *uersus eos excitare; deinde quicquid Synodus sta-* « *tueret, præciperet, dictaret, ordinaret, penitus con-* « *temnere, abiicere, reprobare. Conspicite pro Dei re-* « *uerentia, qualis ex his re daretur introitus inimico* « *humani generis, ad subuertendum religionem Chri-* « *stianam, dum seducendo vnum hominem, posset* « *Chri-*

Concil. Basil. Epist. synodal. Ad vniuers. Christi fideles, de obediendo Concilio generalibus.

„ *Christianitatem in maximam desolationem deiicere, mores peruertere canones, & regulas quasque dissipare Ecclesiasticas, Regna, & prouincias conturbare, ac bonis spiritualibus, & temporalibus spoliare, vitiorumque immanitatem introducere. Aperite oculos, & videte, qualis ex hoc daretur ingressus Antichristo. Sed & considerate quomodo ea res fidem catholicam confunderet, atque violaret, quæ est primum fundamentum Ecclesiastici ædificii, quo euerso omnia corruunt.* Hæc illi, & plura etiam in hanc sententiam.

Iam mihi tempora supputate, & ab hac querimonia intra octoginta annos, Mart. Lutherus declaratus est hæreticus, quum in doctrina nihil iam tentasset, tantummodo Papæ tyrannidem & fraterculorum auaritiam ambitionemque vel pari libertate, vel non maiore acerbitate taxasset.

Ex Basilienſium querela obſeruamus 1. Ecclesiam ſub Rom. Pontificis tyrânide oppreſſam grauiter ingemuiſſe, & liberationem omnibus votis expetiiſſe. 2. Patres in hoc concilio numeraſſe Romanam inter particulares Eccleſias, atque eo nomine à catholica ſeparaſſe Romanam, neque enim Romana vnquam catholica dicta eſt, niſi quatenus cum catholica conſentiret, qua ratione queuis particularis Eccleſia Catholica dici poteſt. 3. Eccleſiam illam in Basilienſi Concilio collectam, fidem catholicam poſuiſſe fundamentum Eccleſiæ. 4. Eccleſiæ illius iudicio fidem catholicam violatam, & ſubuerſam iri, ſi ta-

ſi talis dominatus Papæ detur, vt Reges, ac Principes ſe iniuſte deiiciat, vt ſit ſuper Eccleſiam, vt non poſſit errare, vt Eccleſiæ, & Concilio generali Eccleſiam repræſentanti, non ſubiiciatur: ſi nouæ iſtæ & peregrinæ ſententiæ in Eccleſiam recipiantur, tum demum fidei catholicæ ruinam denuntiant, tum demum Antichriſto ingreſſum in Eccleſiam patefactum teſtantur.

Quum igitur ex eo tempore in Eccleſiam Pontificiam inuaſerint iſta noua dogmata, nos ex Baſilienſium, id eſt, ex auorum noſtrorum ſententia concludimus, fidem ex Pontificia Eccleſia pulſam, Antichriſtum vero in ea, non tum primum ingreſſum, ſed ex eo tempore multo magis manifeſtatum. Ex eo enim tempore regnum Antichriſti in ſuperbia, blaſphemiis æquiuocationis mendaciis, & periuriis, clandeſtinis regum ruinis, homicidiis, veneficiis, Ieſuiticis adulteriis multo apertius, atque impudentius graſſari cœpit: adeo, vt Baſilienſes illi ſi hodiernum Eccleſiæ ſtatum viderent non dubitarent affirmare, fidem catholicam ex Eccleſia Pontificia penitus profligatam, Antichriſtum in eam ingreſſum, & receptum, iam ſublimem regnare: ac proinde recte, atque ex officio reformatas Eccleſias ex Antichriſti iugo ſe ſubduxiſſe.

Quod ſi obiiciant Pontificii, non Baſilienſes iſtos fuiſſe Eccleſiam, ſed partem illam, quæ cum Eugenio Papa Florentiæ ſeceſſerat:

Respondeo: Hoc illud est, quod iam docuimus, aliam scilicet esse Romanam Ecclesiam; aliam Romanam Curiam. Romana Ecclesia sæpius sese Papæ Curiæque Romanæ opposuit. Et quanquam Romana ista Curia cum Papa tandem victrix, conculcata Ecclesia, evaluisse videatur: tamen originem suam cognoscant, genus hoc hominum humile atque ignobile ex antiquis fraterculis, recentibusque Iesuitis, qui vocationem nullam legitimam ostendere possunt in Ecclesia Christi, aliis denique adulatoribus conflatum, non ita pridem orbi innotuit, ab Ecclesia semper reiectum fuit, damnatumque ab iis, qui in Romana Ecclesia, doctrinæ, pietatis, atq; integritatis laude floruerunt. Quæ quidem Romana Curia ab istis adulatoribus composita, quamuis hodie regnare videatur, nunquam tamen regni sui vires ante Concilium Tridentinum stabilire potuit. Isti sunt, qui ex nobis quærere solent, vbi fuerat Ecclesia nostra ante Martinum Lutherum? Respondemus, nos esse in Ecclesia illa, quæ sancta est, quæ vna est in patribus filiisque, cuius Caput est Christus, cuius membra sunt sancti, cuius regula est regula fidei in sacris Scripturis traditæ. Possumus etiam istos interrogare, vbi fuerat Ecclesia ipsorum ante Concilium Tridentinum? Et quis est ex omni adulatorum & fraterculorum colluuie, qui ad hanc interrogationem respondere possit? Nos enim confidenter asserimus, & per Dei gratiam veritatem quærentibus probaturos

nos,

nos, imo iam probasse confidimus, Ecclesiam istam, quam vnicam Iesuitæ probant, & venerantur, cuius Caput est Romanus Pontifex, cuius membra sunt homines sine vlla interna virtute, cuius regula non sit regula fidei in solis Scripturis tradita, sed Romanæ traditiones non scriptæ: non esse Ecclesiam illam vnicam, quam suo sanguine redemit Christus, quam instituerunt Apostoli, quam retinuerunt Patres, quæ victrix contra mundum, & Antichristum, contra vitia & hæreses ad finem vsque mundi est duratura, & in æternum cum Christo regnatura: sed esse synagogam ab Ecclesia diuersam, quæ nec antiquitatem ante exortos fraterculorum ordines, nec autoritatem ante Concilii Tridentini tempora ostendere possit.

TERTIA CONTROVERSIA.

DE FIDE IVSTIFICANTE.

THESES PONTIFICIÆ.

Si quis dixerit, sola fide impium iustificari ita, vt intelligat nihil aliud requiri quod ad iustificationis gratiam consequendam cooperetur, & nulla ex parte necesse esse, eum suæ voluntatis motu præparari, atq; disponi, anathema sit. Concil. Trident. session. 6. can. 9.

Si quis dixerit, homines iustificari, vel sola imputatione iustitiæ Christi, vel sola peccatorum remissione, exclusa gratia & charitate, quæ in cordibus eorum per Spiritum S. diffundatur, atq; illis inhæreat: aut etiam gratiam qua iustificamur esse tantummodo fauorem Dei, anathema sit. Concil. Trident. sessione 6. can. 11.

CAPVT I.

Quæstionis status exponitur.

POst sacrarum scripturarum, & Ecclesiæ catholicæ tractationem, sequitur, vt quæramus de fide iustificante, quæ est ecclesiæ vita. Quæstio non est, an opera sint necessaria: in eo inuituus consensus agnoscitur. Sed de iustificatione impij in conspectu Dei, siue de remissione peccatorum, & imputatione iustitiæ Christi conrouersia sistitur. Quum enim docemus, iustificari hominem coram Deo sola fide, sine operibus, vel ex congruo, per præparationes, & dispositiones (de quibus prior canon loquitur) vel ex condigno, per modum habitus meritibus: modum iustificationis declaramus in imputatione iustitiæ Christi, & nõ imputatis peccatis nostris. Hæc iustitia non est nobis inhærens, sed donata à Deo, recepta autem sola fide, quia quum Deus iustificat impium, nulla opera in impio videre potest, nisi impia. *Itaque* sicut testatur Apostolus: *commendat suam ergo nos charitatem Deus, eo quod cũ adhuc essemus peccatores, Christus pro nobis mortuus*

Rom. 5. 8.

tuus est, iustificati igitur nunc eius sanguine seruabimur multo magis per illum ab ira, nam si quum inimici essemus reconciliati fuimus Deo per mortem filii eius, multo magis reconciliati seruabimur per vitam ipsius. Christus enim, sicut idem Apostolus docet, *quum nullis adhuc viribus essemus, suo tempore pro impiis mortuus est.* hæc Apostolus. Rom. 5. 6.

Vbi iam sunt præparationes, & dispositiones nostræ à Tridentinis iactatæ? Si enim reconciliati sumus Deo, atque iustificati, quum nullis iam viribus essemus ad promerendum Deum, imo verò quum peccatores essemus, quum impii, quum inimici (quæ omnia diserte Apostoli verbis continentur) profecto sola Dei charitas, sola gratia cõmẽdatur nobis, solus fauor ille, cui Concil. Trid. anathema dicit.

Præparationes ad iustificationem non negamus quidem, sed dicimus esse præparationes istas, non à nobis, sed in nobis à Deo. Et sophistas Tridentinos in eo maxime errare, q̃ è Scotistarum lacunis doceant, istas præparationes esse ex motu voluntatis, vel, vt loquitur Scotus, ex puris naturalibus, per quas mereri potest homo gratiam primam, quam vocant. Quid hoc aliud est, quã quod docuit Pelagius: gratiam dari secundũ merita nostra, quæ sententia in Pelagio damnata, ab Augustino atq; ab Ecclesia vniuersa reiecta, tandem per Scotistas reuixit, & in Concilio Tridentino promulgata, & tanq̃ Christianæ fidei fundamẽtũ firmata fuit. Nos cũ Augustino docemus, istas etiam præparationes à Deo esse, atq; ex gratia.

a Enchirid. cap. 32.

a *Quomodo*, inquit ille, *non volentis neq; currentis, sed miserentis Dei, nisi quia & ipsa voluntas, sicut scriptum est, à Deo præparatur? Alioquin si propterea dicitur: non volentis neque currentis, sed miserentis Dei, quia ex vtroque fit, id est, ex voluntate hominis, & misericordia Dei, tanquam diceretur, non sufficit sola voluntas hominis, si non fit etiam misericordia Dei: ergo non sufficit sola misericordia Dei, si non sit etiam voluntas hominis.* Hæc quum Augustinus varie, vt solet, verset & pertractet, vt veritas ex luculenti tractatione magis eluceat, tandem sic concludit: *restat vt propterea dictum intelligatur: non volentis, neque currentis, sed miserentis Dei, vt totum Deo detur, qui hominis voluntatem bonam, & præparat adiuuando, & adiuuat præparatam.* Hæc ille, quibus verbis manifeste probat, omnes istas præparationes ex gratia esse, vt totum Deo detur, qui hominis voluntatem bonam, & præparat adiuuãdo, & adiuuat præparatam. Ergo Tridentini, qui hominem ex se suæ voluntatis motu præparari, atque disponi docent, totum Deo dare non possunt, cum Ecclesiæ patribus: sed cum Pelagio, partem Deo, partem sibi.

Qui negant, ad iustificationem impij satis esse peccatorum remissionem, & imputationem iustitiæ Christi, propterea obtrudunt opera, quod intelligere nolunt, quomodo iustitia Christi facta sit nostra. Quum igitur de solius fidei iustificatione disputamus, consilium est, iustitiam Dei, qua sola iustificatur impius, aperire, non propriam: imputationem misericorditer

corditer concessam & donatam, non per modum habitus inhærentem: sola fide prensatam, non operibus nostris partam, vt Tridentina prauitas, & hæresis reuincatur, quæ dispositiones nostras & præparationes, meritorias contra Apostolum statuit, & charitatem Dei, fauoremque, tantum, tãtopere nobis in scripturis commendatum pernegat: vt Bellarmino blasphemanti os obturetur, qui cum de formali causa iustificationis disputet, conetur que confirmare iustitiam inhærentem, ita insultat iustitiæ Christi, vt eam penitus, tamquam inutilem reiicere videatur. sic enim scribit: a *Si iustitia inhærens sit formalis causa iustificationis (quod docent Pontificij) non requiritur imputatio iustitiæ Christi, quæ iustificationem alioquin inchoatam, & imperfectam absoluat.* Hæc ille. Verissimum est, quod alicubi Nazianzenus habet, neminem de Spiritu sancto recte loqui posse, sine Spiritu sancto. Itaque non miramur, si Iesuitæ, tanquam hospites, & peregrini de mysteriis fidei nostræ loquantur, nemo enim de gratia iustificationis & sanctificationis recte disputare potest, nisi qui gratiam illam habeat, vt igitur blasphemiæ istæ veritatis luce dissipẽtur, è scripturis patribusque imputationis, & solius fidei doctrinam confirmabimus.

a *lib. 2. de iustific. cap 2.*

CAPVT II.

Iustificationis doctrina ex sola fide, probatur è scripturis.

DVo iustitiæ genera proponuntur in scripturis: iustitia Dei, & iustitia operum,

prima dicitur Iustitia Dei Rom. 1. 17. *Iustitia Dei per illud (Euangelium) reuelatur ex fide in fidem.* Sic passim. Hęc eadem dicitur etiam iustitia fidei Rom. 4. 11. Et signum accepit circumcisionis, signaculum iustitiæ fidei, & Rom. 11. 6. quæ ex fide est iustitia. Nonnunquam appellationes istæ connectuntur, & dicitur iu-
Rom. 3. 22. stitia Dei per fidem. *Iustitia Dei per fidem in omnes, & super omnes credentes.*

Alia est iustitia operum, eademq; vocatur
Rom. 10. 5. iustitia legis; quia Lex opera requiret. Moses describit iustitiam quæ ex lege est. Hæc eadem etiam propria iustitia appellatur, de qua sic
Philip. 3. 9. Apostolus: *non habens iustitiam meam, quæ est ex lege, sed eam, quæ est per fidem Christi*, id est, iustitiam quæ ex Deo est per fidem. Hæc Apostolus, atque alio loco, vtrum Iudæos an Pontificios rectius describat, iudicet Lector: *Ignorantes*, inquit, *iustitiam Dei, & propriam iustitiam studentes constituere, iustitiæ Dei non fuerunt subiecti.*
Rom. 10. 3.

Hæc ita tractat sacra scriptura, vt à iustificatione nostri semper excludatur iustitia operum, quæ est eadem iustitia legis, eademq; iu-
Rom. 3. 28. Gal. 2. 16. Rom. 3. 21. Ephes. 3. 8. Phil. 3. 9. Rom. 10. 3. stitia nostra propria. *Fide iustificatur absque operibus, vt iustificemur ex fide, non ex operibus legis. Iustitia Dei sine lege; non ex vobis ipsis, Dei donum est, non ex operibus, ne quis glorietur, non habens iustitiam meam, quæ ex lege est, ignorantes iustitiam Dei, & propriam iustitiam studentes constituere, iustitiæ Dei non fuerunt subiecti.*

Quibus locis, quum videamus iustificationem

nem ita in fide ſtatui, vt nullus locus operibus noſtris, aut iuſtitiæ noſtræ propriæ, inhærenti nobis relinquatur: fidem eſſe donum Dei: neq; tamen quod ius Donum Dei ad iuſtitiam Dei excipiendam idoneum eſſe, ſed illud donum, quod omnem gloriationem excludat: fidem omnem gloriationem noſtram excludere: opera igitur, quamuis ſint etiam ipſa donum Dei, idcirco tamen à iuſtificando reiecta, quia non excludunt omnem gloriationem: non ex vobis ipſis, non ex operibus, ne quis glorietur itemque *vbi eſt gloriatio? excluſa eſt, per quam legem? operum? non, ſed per legem fidei:* Quid hæc aliud volunt, niſi, vt omnibus operibus excluſis, non in nobis, ſed in domino gloriemur, ad impium iuſtificandum ſola fides relinquatur. Nullam igitur aliam iuſtificationem impii ſacræ tradunt literæ, præter vnicam illam, qua opera excluduntur. Dicitur enim iuſtitia Dei facta noſtra, & Chriſtus à Deo factus nobis iuſtitia, modus quo fit, dicitur imputatio, manus qua excipitur, fides, fides autem ſola excipere dicitur hanc iuſtificationem, quia nihil eſt in homine, præter fidem, quod vel conſpectum Dei ferre poſſit, vel gloriationem omnem abiicere. Fides enim reiecta omni gloriatione noſtrâ, vnicum Deum in Chriſto pacatum nobis, nec quicquam propterea, tanquam neceſſarium ad iuſtificationem, reſpicit. Hæc veritas ita firma, ſolida, adeoque tuta eſt, vt etiam ex ore inimicorum ſuorum teſtimonijs extorqueat.

Epheſ. 2. 9. Rom. 3. 27.

Cardi-

Cardinalis Bellarminus, postquam eam multis verbis oppugnauerit, tandem tamen testatur, id ab eo agi, quodammodo reclamante cõscientia. sic enim scribit: a *Propter incertitudinem propriæ iustitiæ, & periculum inanis gloriæ, tutissimum est, fiduciam totam in sola Dei misericordia, & benignitate reponere.* hæc ille. Quod ergo Apostolus Paulus docuit, non ex operibus, ne quis glorietur, Bellarminus illud quidem tutissimum esse fatetur, propter inanis gloriæ periculum. Apage cum istis tepidis commentis. si tutissimum sit, quod de fide tradit Apostolus, profecto verissimum etiam erit. nihil enim tutum de fide esse potest, nisi quia verum est. Miseri ergo Tridentini omnes, miseri Iesuitæ sua confessione inueniuntur, qui ex præscripto Tridentino tutissimam fidei doctrinã relinquunt, vt reiecta iusticia Dei, propriam iusticiam constituant.

a *lib. 5. de iustific. cap. 7.*

Quod obiiciunt pontificii verba Iacobi Apostoli: Respondemus, Iacobum nullo modo Paulo contradicere. Paulus docet, hominem non operibus, sed fide iustificari, Iacobus non fide sola, sed operibus; vterque Apostolus Abrahami factum producit in exemplum, nonne igitur est contradictio? nihil minus, nam contradictio nulla esse potest, nisi omnes termini accipiãtur *συνωνύμως*. In hac autem propositione, fide homo iustificatur, duplex est homonymia, vna in verbo, *iustificari*: altera in verbo, *fide*, iustificari enim aliquis dicitur coram Deo, sicut impius iustificatur, de qua signifi-

gnificatione iuſtificationis Paulus loquitur, non autem Iacobus, nam ſanctus Paulus docet, nos iuſtificatos Chriſti ſanguine, quũ iam eſſemus nullis viribus, quumque eſſemus peccatores, impii, atque inimici. Loquitur ergo de iuſtificatione impii coram Deo, quum peccata nobis propter Chriſtum condonantur: non propter noſtra merita. nam quale meritũ eſſe poteſt in iis qui ſunt peccatores, impii, inimici Deo, ac proinde nullis viribus, ad fauorem Dei promerendum ex ſeipſis. At ſanctus Iacobus loquitur de oſtenſione iuſtitiæ, & fidei coram Eccleſia, nam ſic ait: oſtende mihi fidem tuam. Non ergo loquuntur ad idem. Iac. 2.18.
Deinde fides etiam varie ſumitur: nam vel fides eſt vera, viua, iuſtificans, de qua Paulus agit: vel eſt hiſtorica fides, quæ eſt & dæmonum, de qua Iacobus, de fide hiſtorica Iacobum loqui eſt extra controuerſiam, ex iſtis verbis: fides, ſi opera non habeat mortua eſt, Iac. 2. 17. 19.
& dæmones credunt, & horreſcunt. Quum ergo conſtet, Iacobum loqui de fide quæ poteſt eſſe mortua, quæ poteſt eſſe fide operibus, quæ poteſt eſſe Dæmonum; certum eſt, Paulum, Iacobumque non de eadem fide locutos eſſe, ac proinde non inter ſe contradicentia dixiſſe. Sic ſolebant antiqui Apoſtolorum ſcripta conciliare. Pontificiis vero lepidus videtur ludus ſcripturas inter ſe committere, lucemque tollere, vt ipſi interim per tenebras effugere poſſint. Ipſe etiam Thom. Aquinas in hanc fere ſententiam de his duobus Apoſtolis

a *in epist. Iacobi. cap. 2.*

stolis disputat. Sic enim scribit a *Iacobus loquitur de operibus sequentibus fidem, quæ dicuntur iustificare, non secundum quod iustificare dicitur infusio, sed secundum quod dicitur iustitiæ exercitatio, vel ostensio, vel consummatio, res enim fieri dicitur, quando perficitur, & innotescit.* Hæc Aquinas. Videmus igitur apud Paulum, & Iacobum, in hac propositione; *homo iustificatur fide*, terminos non ὁμωνύμως accipi, vterque quod verum est dicit, sed non loquitur ad idem, nos vero de iustificatione hoc loco disputamus, non vt est iustitiæ ostensio coram hominibus, sed vt ex S. Pauli doctrina, continet remissionem peccatorum, atque imputationem iustitiæ Christi, quam Christi iustitiæ imputationem reiiciunt Iesuitæ, tanquam non necessariam, de remissione peccatorum, vel de non imputatis nobis credentibus, peccatis nostris, plenæ sunt sacræ literæ, Apostolus ex Psalmis profert, beatitudinem nostram, id est, iustificationem nostram esse in remissione peccatorum. *Beati quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata.* Et quia fides nostra, quæ remissionem peccatorum, & reconciliationem excipit, sine omni merito consistere omnino nequit, idcirco Apostolus fidem, & meritum illud cui fides innititur frequentius coniungit, meritum credentium est, sanguis Christi, idem ergo valet apud Apostolum fide iustificari, & per sanguinem Christi iustificari nam qui sola fide se iustificari coram Deo credit, meritum pro-

Rom. 4. 7.

prium

prium negat, qui autem per ſanguinem Chriſti ſe iuſtificari credit, meritum verum explicat, quo Deus reconciliatur, cui fides innititur. Hæc ergo pulcherrime coniungit Apoſtolus, *quem propoſuit Deus propitiationem per fidem in ſanguine ipſius, ad declarandam iuſtitiam ſuam per remiſſionem præcedentium peccatorum, & iuſtificati gratis per gratiam ipſius, per redemptionem, quæ eſt in Chriſto Ieſu:* Iterumque, *in quo habemus redemptionem per ſanguinem ipſius, remiſſionem peccatorum ex diuitiis ipſius gratiæ.* Hæc paſſim apud Apoſtolum, fides ergo noſtra, remiſſionem peccatorum à Deo reconciliatio accipit, reconciliatur autem Deus non propter noſtrum opus, aut meritum, ſed propter meritum Chriſti. Hinc etiam altera illa, velut pars iuſtificationis noſtræ, conſurgit, nempe *imputatio iuſtitiæ Chriſti.* Probat enim Apoſtolus ex Dauide, *in eo conſiſtere beatitudinem hominis, cui Deus imputat iuſtitiam abſque operibus.* Hæc autem iuſtitia, quam Deus imputat credentibus, eſt iuſtitia Chriſti, Itaq; Apoſtolus docet, Chriſtum factum nobis à Deo iuſtitiam, ſicut & ſapientiam, & ſanctificationem, & redemptionem, ſic enim ſcribit: *ne glorietur vlla caro coram eo, ſed ex eo vos eſtis in Chriſto Ieſu, qui factus eſt nobis ſapientia à Deo, & iuſtitia, & ſanctificatio, & redemptio.* Ergo ſine ipſo ſapientia noſtra eſt ſtultitia, iuſtitia noſtra iniquitas, ſanctificatio noſtra impuritas, qui credit, ſapit per ſapientiam filii imputatam, iuſtificatur per iuſtitiam filii imputatam, ſancti-

Rom. 3. 25.

Ibid. 24.

Ephes. 1. 7.

Rom. 4. 6.

1. Cor. 1. 30.

ſanctificatur per ſanctificationẽ Chriſti impũtatam, ſic enim veritàs loquitur de credentib. in ſe: *Et pro eis ego ſanctifico meipſum, vt ſint & ipſi ſanctificati in veritate.*

Ioh. 17. 19.

CAPVT III.

De obedientia Chriſti actiua.

SEd quia nouam litem, atque inauditam antea in Eccleſia ſuſcitant nonnulli, de obedientia Chriſti actiua, quam negant imputatam nobis eſſe, aut ad iuſtificationem noſtrã eſſe neceſſariam: hãc nouitatem hoc loco ſuccincte examinabimus, vt facilius deinceps pgrediamur. Quod igitur de obedientia Chriſti actiua, & paſſiua comminiſcuntur, vt à iuſtificatione excludant obedientiã actiuam, paſſiuam autem, quam vocant, tantummodo retineant: vt ſcilicet cornicum oculos effigere, & acutius ipſi perſpicere videantur, quam hactenus Eccleſia Chriſti perſpexerit: mirãdum nobis videtur, de rebus ſacris aliquos ea proferre audere, quæ ante ipſos nemo protulit. Quæ ſcriptura? quis antiquorum patrum è ſcripturis hæc docuit? Certe Apoſtolus docet, non ſolum redemptionem Chriſti, id eſt, paſſiuam obedientiam factam eſſe noſtram: verum etiam ſapientiam Chriſti, & iuſtitiam Chriſti, & ſanctificationem Chriſti, hoc eſt, obedientiam actiuam, etiam noſtram factam eſſe à Deo, & pluribus verbis vtitur Apoſtolus ad hanc obedientiæ imputationem demonſtrandam.

ſtrandam. Deinde quum Apoſtolus ſuam iuſtitiam propriam reiiciat, vt iuſtitia Dei iuſtificetur: *non habens* inquit *iuſtitiam meam, quæ ex lege eſt, ſed iuſtitiam, quæ ex Deo eſt: Et; iuſtitia Dei per fidem in omnes credentes*: quærimus quænam ſit hæc iuſtitia Dei nobis imputata? num dicent iuſtitiam eſſe Chriſti tantum paſſiuam? ergo Chriſtus iuſtus, dicetur tantummodo, quia mortuus eſt, non autem quia iuſte vixit. Num ferendus videbitur, qui ita docuerit? Iuſtitia igitur Dei donata nobis, eſt, Iuſtitia Chriſti facta noſtra, vel Chriſtus à Deo factus nobis eſt iuſtitia. Quid eſt quod hic hærent in morte Chriſti? nam mors Chriſti redemptio noſtra dicitur. Iuſtitia noſtra non dicitur. Neceſſe igitur eſt vt præter redemptionem noſtram per mortem Chriſti, aliud etiam proferant in Chriſto, quod nobis factum ſit à Deo iuſtitia, & ſanctificatio. Et quid proferre poſſunt, niſi obedientiam Chriſti, quam iſti vocant actiuam? *Phil. 3. 9.*

Porro Iohannes ſic docet: *de plenitudine eius omnes accepimus, & gratiam pro gratia.* Nobis igitur communicabilis eſt Chriſti gratia. Sed quæ gratia? certe gratia vocationis noſtræ ex ipſius plenitudine nobis prouenit. Et vt diuitias gratiæ ſuæ, & velut reconditos thesauros Eccleſiæ ſuæ aperiat, qui eſt bonorum omnium munificus largitor, pro gratia vocationis confert etiam gratiam iuſtificationis, id eſt, gratiam pro gratia. Pro gratia iuſtificationis accipimus etiam ex eius plenitudine gra- *Ioh. 1. 16.*

riam sanctificationis, id est, gratiam pro gratia. Quod si ex Christi plenitudine accipimus vocationem, iustificationē, sanctificationem: num quis est, qui hæc omnia ad passiuam obedientiam referet? iustificatio, & sanctificatio ex eius plenitudine, quid est nisi idipsum, ꝙ docuit Apostolus, Christum à Deo factū nobis iustitiam, & sanctificationem. Ita iustitia, & sanctificatio imputantur nobis, non tam obediētia passiua: Deinde qui iustificationem in remissione peccatorum ita statuunt, vt iustitiam Christi imputatam negent; sponsam Christi nudam relinquunt sine ornamentis, & sponsalibus gemmis. Nam peccatorum remissio turpitudinem quidem aufert, sed non pulchritudinem illam, nitoremq; præstat nobis qui diuinum fauorem deducat nobis, & conciliat. Propter peccata mea dimissa, non iam habet Deus in me quod iram eius, & odiū pronocet, sed nec habet inde, quod diligat. Et quid mihi proderit peccatorum meorū remissio, nisi & Dei fauorem ac dilectionem obtineam? vt ergo in sanguine Christi, atque in morte eius peccatorum remissionem habemus, sic in iustitia Christi, & sanctificatione, sponsa Christi sua habet ornamenta & monilia quibus & fauor Dei, & amor sponsi cōciliatur. De quibus sponsalibus ornamentis legimus apud Holeam Prophetā: *Et sponsabo te mihi in sempiternū, & sponsabo te mihi in iustitia, & in iudicio, & in misericordia, & in miserationibus, & sponsabo te mihi in fide, & scies quia ego Dominus.*

Hos. 2. 19.

Non

Non igitur omnis iustificatio ſponſæ in remiſſione peccatorũ ponitur, habet n. & alia ornaméta, & alba veſtiméta, & datũ eſt ei vt cooperiat ſe byſſino ſplédenti, & cãdido. Byſſinũ n. iuſtificationes ſunt ſanctorũ. Quis hæc ornamenta, & iuſtificationes ſanctorũ ad paſſiuã obediẽtiã tantũmodo retulerit? Apoſtolus etiã ſic docet: *ſicut per inobedientiã vnius hominis, peccatores conſtituti ſunt multi, ita per obedientiã vnius, multi conſtituẽtur iuſti.* Certe Eccleſiã Chriſti magno bono fraudare cõnatur, q̃ docent Adæ inobedientiã actiuã nobis imputari, Chriſti obediẽtiã nõ imputari. Iã vero obediẽtia noſtra, niſi aliquo modo legi ſatisfaciat, nõ poteſt eſſe Deo accepta. Obedientia noſtra in nobis non potuit, ſed obedientia noſtra in Chriſto poterit ſatisfacere. Itaq; Apoſtolus ſic docet. *Quod impoſſibile erat legi, in quo infirmabatur per carnẽ Deus filium ſuum mittens in ſimilitudinem carnis peccati, & de peccato damnauit peccatum in carne, vt iuſtitia legis impleretur in nobis, qui non ſecundum carnem ambulamus, ſed ſecundum ſpiritum.* Apoſtolus, qui teſtatur ex operibus legis nullam carnem iuſtificari coram Deo, ac proinde iuſtitiam Dei ſuper omnes credentes manifeſtatam eſſe: hic tamen iuſtitiã legis in nobis implere docet. Quomodo 2. iuſtitia legis impletur in nobis, niſi quia actiua Chriſti obedientia noſtra eſt? aut vt doctiſſimi interpretis verbis vtar, q̃a dũ nobis accepta fertur Chriſti obediẽtia, legi ſatisfactũ eſt, vt p̃ iuſtis cẽſeamur.

Apoc. 3. 18. *Apoc. 19. 8.*

Rom. 5. 19.

Rom. 8. 4.

Sed dicunt iſti, qui hãc nouitatem inducunt; iuſtificationem legis à nobis impleri: hoc eſt, vt iuſtificemur præditi ea iuſtitia, quam lex à

„ nobis postulat, lex n. à nobis postulat aut per-
„ fectã obediẽtiã, aut pœnã nos a. perfectã obe-
„ dientiã non præstitimus, at pœnam luimus in
„ Christo; is n. pro nobis luit; ergo legi satisfeci-
„ mus in Christo: hæc dicunt illi, qui excludere volunt iustitiam & sanctificationem Christi ab ecclesia; nec intelligunt quam dissolutas scopas adferant. Si quis intelligat sensum superioris sententiæ is hic erit. Prædixi ea iustitia q̃ lex postulat, tantummodo luunt pœnam illam quam minatur lex. At, ô bone vir, hoc non est prædictum esse iustitia quam postulat lex, vt pœnam tantummodo luas. Nam iustitia, est legis obedientia, non pœna legis. Pœna iniustis ponitur, nõ autem iustis. Pœna igitur est iniustitiæ argumentum non autem iustitiæ. Apostolus docet nos legis iustitiam implere: tu exponis ea verba, nos prædixos esse legis iustitia. Iustitiam implere, & iustitia prædictum esse, non significat iniustum esse, aut reputari: at pœnam legis luere, significat iniustum reputari: hæc non cohærent.

Deinde, q̃ Christus pœnam luerit pro nobis, quis potest negare, nisi qui Christum negat? nos igitur virtutem mortis Christi non negamus, at quare tu virtutem iustitiæ Christi negas? Nam sicut Christus p̃ nobis pœnã luit, sic p̃ nobis etiam obedientiã perfectam præstitit. Nos inquis, obedientiam perfectam, q̃ lex postulat, non præstitimus, at pœnam luimus in Christo, quia ille p̃ nobis luit. Respondeo: ille etiam pro nobis perfectam obedientiam

tiam præstitit: quare pœnam obseruas, obedientiam non obseruas? Quæro à te, quicunque es, qui hæc doces (nomini n. parco, ne in hominis contumeliã, non in veritatis necessariũ testimonium hæc dicta videantur) quæro igitur ex te vtrũ existimes, Christũ perfectã obedientiam actinã præstitisse? Respondealiquid certũ. Quis Christianus negare potest, Christum perfectam obedientiã præstitisse? præsti, tit ergo. Quæro deinde, cui bono, in quẽ finẽ, ꝓ quib' ꝑstiterit? ꝓ seipso, an ꝓ Ecclesia sua? Nũ dices Christũ ꝑstitisse quidẽ, at non nobis ꝑstitisse? Ecclesia Christi non feret istas voces, si dicas, Christi obedientiã frustra fuisse. Certũ est, Christum perfectam obedientiam præstitisse: æque certum est, Ecclesiam non præstitisse; Ecclesiã igitur tanto ornamento prorsus spoliatã esse, nisi è plenitudine Christi sumat, id q̃ ex se habere non potuit. Quia igitur non erat necesse, vt Christus obediret pro se, sequitur vt dicamus, ꝓ nobis eũ hoc præstitisse. Pro nobis, credẽtibus in ipsum, ꝓ quibus à Deo factus est iustitia, ꝓ quibus & sanctificauit seipsũ, vt nos sanctificati simus in veritate. Vide quãto bono Ecclesiã spoliaueris, si negas ꝑfectam Christi obedientiã nostrã esse? At si nostrãesse concedas: quomodo nostra esse potest, nisi q̃ a nobis credentibus imputata est. E. vt sapiẽtia Dei facta est nostra, q̃ a nobis est imputata, iustitia Dei nostra facta, q̃ a nobis imputata, sanctificatio Dei nostri nostra facta, q̃ a nobis imputata; sic obedientia Dei nostri nostra facta est, quia nobis imputata.

Postremo, patres è scripturis cõstanter tradiderunt, sicut deinceps demonstrabimus, Christum nos sua, non nostra iustitia, iustos fecisse: &, assignatam esse homini iustitiã alienam, qui caruit sua. Hæc a. quomodo vera esse possunt, nisi vt dicamus, obedientiã Christi, iustitiam, & sanctificationẽ, esse nostrã, & nobis credentibus imputatam. Sufficiant hæc ad hanc nouitatem coercendam, quæ nuper sine autoritate, sine ratione excogitata est, q̃ sacræ scripturæ, q̃ patres è scripturis vbiq; conuellunt, q̃ Ecclesia magno consensu vsq; ad Mart. Lutheri tempora ignotã habuit. Nec quisquã acrius, aut illustri' in hac re verita: ẽ ꝓpugnat, quam Lutherus ipse, & magni illi è Germania viri, qui in Euangelio ꝓpagando Luthero successerunt. Vt mirum videatur, Germano cuiquam hanc nouitatem placere potuisse. Hæc de obedientia Christi imputata. Nunc ad institutam controuersiam redeamus.

CAPVT IV.

Veritas de sola fide iustificante probatur testimoniis Græcorum.

HAnc de fide iustificante doctrinã ex sacris lit. exceptã, vnanimi cõsensu purã cõseruarũ & tradiderũt patres, Græci sic docuerũt.

Clemens Alexandrin': *Per fidem solummodo efficitur fidelis perfectus.* Origenes: b *Apostolus dicit sufficere solius fidei iustificationem, vt credẽs quis tantummodo iustificetur.* Atq; iterum: c *Ex nullo legis opere, sed pro sola fide ait ad illam mulierem, remittun-*

a *Strom. lib. 7.*
b *In Rom. cap. 3. lib. 3.*
c *Ibid.*

mittuntur tibi peccata. Idemq; iterum: a *nec quisquam describitur boni operis eius in Euangelio, sed pro hac fide sola ait Iesus, &c.* Eusebius inter errores Hebionitarum hanc etiam commemorat: b *Legis cultum seruandum, quasi non sufficeret sola in Christum fides. Athanasius ait:* c *Ostendit Apostolus lege execrabiles reddi homines, & maledictioni subesse, fide vero benedictis accumulari. Nunc plane demonstrat fidem ipsam etiam solam, iustificandi in se habere virtutem.* Basilius sic docet: d *Apostolus dicit, qui gloriatur, in domino glorietur, nam ea demum perfecta & omnimoda gloriatio est in Deo, quando neq; propter suã quis iustitiam extollitur, sed agnoscit se quidem vera destitui iustitia, verum sola in Christum fide iustificatũ esse.* Gregorius Nazianzenus *requiri docet ad iustificationem* e *tantummodo credere.* Epiphanius sic habet: f *Ex fide est iustitia citra opera legis.*

Chrysostomus sic docuit: g *fides per seipsam plena est bonis operibus. Ante opera fides primo inducenda est.* Idemq;: *Si credis, cur fidei alia infers, quasi fides non sufficiat iustificare sola?* Atq; alibi: h *ex sola fide nos saluauit, atq; iterũ* i *sola fide opus est.* Theodoret' in hanc sententiã sic habet: k *Nõ nostra spõte credimus, sed vocati accessimus, & quũ accessissemus, nõ exegit vita puritatẽ, & innocẽtiã, sed sola fide suscepta, cõdonauit peccata.* Idẽq; in illa verba: *iustificati gratis per gratiã ipsius,* sic ait: l *sola n. fide allata peccatorũ remissionẽ accepimus, quoniã velut redẽptionis quoddã pretiũ domin' corpus suũ obtulit.* m *Fides dedit vobis peccatorũ remissionẽ, vos ab omni reprehensione alienos, iustosq; p*

a *Histor. eccles. lib. 3. c. 27.*
b *In Gal. c. 3.*
c *Homil. de humilitat.*
πίστει μόνῃ
d τὸ πιστεύσαι μόνον. *lib.* περὶ εὐταξίας.
e *Ancorat:*
f *Homil. de fide.*
g *In Tit. Hom. 3.*
h *In Eph. c. 2.*
i *In 1. car. c. 1.*
k *In Eph. c. 2.*
l *In Rom. c. 3.*
m *Ibid. c. 4.*

a *Ibid.* *lauacri regenerationem effecit.* a *Bonorum operum implementum eos quidem qui operantur coronat, sed Dei benignitatem, & humanitatem non ostendit.*

b *lib. diuinor. decret.* *Fides autem facit vtrumq; manifestum,* b *Iustitia a. ex fide est donum Dei vniuersorum.* De iustitia vero Christi imputata sic docet: c *Diuina misericordia cum omnes homines essent sub maledicto, & peccati laqueis essent implicati, per vnius iustitiam dedit omnibus salutē:* & mox *Ostēdit Apostolus vnius*

d *in Cantic.* *iustitiā fuisse cōmunu peccati salutare medicamentū.* Deinde sic etiam docet: d *Iustitia Dei non reuelatur omnibus, sed iis, qui habent oculos fidei. Illum sola fide comprehendi, vox Ecclesiæ quærentis & in-*

e *In Rom. c. 3.* *uenientis Christum.*

Oicumenius: e *Gratis, hoc est, absq; tuis rectis*

f *In Rom. c. 9.* *operibus saluari ac rursus ita, vt nihil conferas aliud, præter fidem.* Theophylactus: f *Demonstrato quod lex maledictos faciat, fides vero benedicat, ostendit iam nunc, & quod sola fides iustificat.* Et paulo post: *Lex enim non solum fidem postulat, verumetiam opera. Pulchre autem dixit apud Deum. Apud homines enim iusti fortasse videri queant lege detenti, vt Pharisæi, iustificantes seipsos coram hominibus.*

CAPVT V.

Continet testimonia Latinorum Patrum.

HActenus Græcos audiuimus. Sequuntur Latini. Irenæus sic docet: a *Omnes oportet credere, sicut Abraham credidit & imputatum est ei ad iustitiam.* Et subiunxit Irenæus: *fides quæ est*

a *lib. 4. c. 13.*

b *Epist. 63. pæn.* *ad Deum iustificat hominem.* Cyprianus idem habet: b *Si Abraham Deo credidit, & deputatum est ei ad*

ei ad iustitiam, vtique quisquis Deo credit, & fide viuet iustus inuenitur. & iam pridem in Abraham fideli benedictus, & iustificatus ostenditur, sicut beatus Apostolus Paulus probat. a *Fide autem stare iustitiam, & illic esse vitam, praedictum est apud Abacuk, iustus ex fide viuit.* b *Fidem in totum prodesse, & tantum nos posse quantum credimus.* In quā sententiam sic habuit etiam alibi. c *Quantum illuc fidei capacis affertimus, tantum gratiæ haurimus.* Hæc Cyprian. Arnobius sic docuit: d *Nemo siue operibus, siue precibus commendatitiis, aut sacrificiis saluus fit, sed solo auxilio Christi.* Hilarius etiam sic ait: e *Mouet scribas remissum ab homine peccatum, hominem enim tantum in Iesu intuebantur: & remissum ab eo, quod lex laxare non poterat: sola enim fides iustificat.* Idemque in parabolam duorum filiorum sic docet: f *Iunior scilicet obediēs professioni, licet non efficiens in tempore, quia sola fides iustificat.*

a *lib. testimonior. aduersus Iudaeos.*
b *ibid.*
c *Epist. 2.*
d *lib. 2. contra gentes.*
e *in Mat. can. 8.*
f *ibid. can. 21.*

Ambrosius autem eandem retinuit doctrinam, sic enim scribit: g Beati quorum remissæ sunt iniquitates &c. *manifeste beati sunt quibus sine labore vel opere aliquo remittuntur iniquitates & peccata teguntur, nulla ab his requisita pœnitentia opera, nisi tantum, vt credant.* h *Hoc consequimur quod credimus, credentes enim Christum esse Dei filium, à Deo adoptamur in filios, nihil vltra potuit donare credentibus, quam vt filii Dei dicantur, perfidi abdicatis.* & mox: *Pro infinita enim magnificentia sua Deus hoc donauit diligentibus se, quod sua dignum est maiestate, non quod homines mereantur, quia in dono plus dantur, quam accipientis*

g *Rom. cap. 3. & in 1 cor. 1.*
h *in Rom. 4.*

a In Rom. 8. consideratur sublimitas. 2 Fides data est quæ iustificat confugientes ad se, vt remittat eis quos lex tenet reos, vt agentes sub fide, liberi sint à peccato & de

b In Apolog. Dauid. 2. Dauidis peccato scribens, sic ait: b Arbitramur secundum Apostolum, iustificari hominem per fidem sine operibus legis, iustificetur ergo ex fide Dauid, qui per legem peccatum agnouit, sed

c In Rom. 3. peccati veniam ex fide credidit. c Iustitia Dei dicta est, quæ videtur esse misericordia, quia de promissione originem habet. & mox. Iustificati gratu, quia nihil operantes, neque vicem reddentes, sola fide iustificati sunt dono Dei.

De iustitia Christi imputata sic docet Am-

d In Gal. c 3. brosius: d Iustitiam hanc dicit Apostolus, quæ apud Deum imputatur iustitia, id est, fidei, quia & lex habuit iustitiam, sed ad præsens, non quæ iustificaret apud Deum, remittere enim peccata non potuit, vt de peccatoribus faceret iustos, & mox: Manifestatis peccatis suis concluse sunt, vt se excusare non possent, sed quærerent misericordiam, vt veniens, qui promissus erat Abrahæ, fidem solam ab ab iis posceret, quam habuit Abraham, vt malorum suorum veniam, & iustificationem mererentur. Et in eandem sententiam alibi sic habet:

e Epist. 72. e Ideo nemo glorietur in operibus, quia nemo factis suis iustificatur, sed qui iustus est, donatum habet, quia per lauacrum iustificatus est, fides ergo est, qua liberat per sanguinem Christi, quia beatus ille, cui peccatum remittitur, & venia datur. Hieronymus idem

f In Rom. 3. docet: f Ignorantes quod Deus ex sola fide iustificat, & iustos se ex operibus legis quam

non

non cuſtodierunt, eſſe putantes, nolluerunt ſe remiſſioni ſubiicere peccatorum. Idemque: *non ex operibus legis, ſed ſola fide, ſicut gentes, vitam in Chriſto inuenieſſe te noſti.*

Auguſtinus autem diligentius, atque accuratius hæc tractat, ſic enim ſcribit. a *Quum dicat Apoſtolus, gratis iuſtificari hominem ſine operibus legis per fidem, non hoc agit, vt percepta & profeſſa fide opera iuſtitiæ contemnantur: ſed vt ſciat ſe quiſque per fidem poſſe iuſtificari, etiamſi legis opera non præceſſerunt: ſequuntur enim iuſtificatum, non præcedunt iuſtificandum.* b *Collegimus non iuſtificari hominem præceptis bonæ vitæ, niſi per fidem Ieſu Chriſti, hoc eſt, non lege operum ſed lege fidei, non littera ſed ſpiritu, non factorum meritis, ſed gratuita gratia,* quo libro cap. 14. docet Auguſtinus, opera illa reiecta à iuſtificatione non ſolum eſſe ceremonias, ſed & decalogi præcepta, idque fuſius. c *Hæc eſt* (inquit idem) *ex qua iuſtus viuit, hæc eſt fides, qua creditur in eum, qui iuſtificat impium, hæc eſt fides, per quam excluditur gloriatio ſiue vt abſcedat qua in nobis inflamur, ſiue vt emineat qua in domino gloriamur, hæc eſt fides qua impetratur largitas ſpiritus, de quo dicitur, nos enim ſpiritu ex fide ſpem iuſtitiæ expectamus, hæc eſt fides, quæ ſalui ſunt, quibus dicitur, gratia ſalui facti eſtis per fidem, & hoc non ex vobis, poſtremo hæc eſt fides, quæ per dilectionem operatur, non per timorem, non formidando pœnam, ſed amando iuſtitiam.* d *Si non gratis meritum eſt Chriſtus in illo*

a *Lib. de ſpir. & lit. ad Marcell. c. 25.*

b *Ibid. ca. 13.*

c *Ibid. ca. 32.*

d *Lib. de nat. & grat. cõtra Pelag. cap. 1.*

illo solo iustificatur impius, cui credenti in eum, qui iustificat impium, deputatur fides ad iustitiam.

De iustitia vero imputata, & nobis donata, sic disputat Augustinus. a *Iustitia Dei manifestata est, hanc ignorant qui suam volunt constituere, & huic nolunt esse subiecti, iustitia, inquit, Dei manifestata est, non dixit iustitia hominis, vel iustitia propria voluntatis, sed iustitia Dei, non qua Deus iustus est, sed qua induit hominem, quum iustificat impium.* b *Hæc est iustitia Dei, qua in testamento veteri velata, in nouo reuelatur, qua ideo iustitia Dei dicitur, quod impartiendo eam, iustos facit.* quo libro, cap. 18. vocat *indumentum iustitiæ fidei, quo induti non nudi inueniamur.* &: *Hæc est illa iustitia fidei, non qua ipse iustus est, sed qua nos ab eo iusti facti, nemo ergo Christianorum aberret ab hac fide, quæ sola Christiana est.*

a *Lib. de spir. & lit. cap. 9.*

b *Ibid. c. 10.*

Quod si illud quenquam forte moueat, quod Augustinus sæpius de hac iustitia disputans, vocat eam iustitiam Dei, non qua Deus iustus est, sed qua nos iustos facit, vt inde colligat, Christi iustitiam non esse nobis imputatam, opinione Augustini; quia videri potest Augustinum negare, iustitiam Christi nostram esse, quum negat iustitiam Dei, qua Deus iustus est, nostram esse: Respondeo, ex Augustini verbis manifestis Augustini sensum deduco, certum est ex Augustini sententia gratiam iustificationis in imputatione iustitiæ CHRISTI, oblatam nobis, & donatam quam salubertimam doctrinam tradit Augustinus his verbis. c *Gratia*

c *Cont. Pelag. & C. lest. de gratia Christi lib. 2. cap 47.*

tia per dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, in qua nos ſua, non noſtra, iuſtitia iuſtos facit, vt ea ſit vera noſtra iuſtitia, quâ nobis ab illo eſt. Hæc Auguſtini verba ſine dubio oſtendunt, quid ſenſerit de iuſtitia Chriſti nobis imputata, diſputat eo loco contra Pelagium, qui verbis quidem gratiam conceſſit, ſicut hodie Scotiſtæ: ſed vim, virtutemque eius penitus extinctam voluit; docebat enim, gratiam eſſe adiutorium Dei, quo adiuuamur, ad non peccandum, in natura, & libero arbitrio poſitam. Ad hunc peſtilentem errorem ab Eccleſia profligandum, confugit Auguſtinus ad fontem gratiæ, in imputationis doctrina aperiendum, nam propter Chriſtum non imputatur nobis peccata noſtra, & Chriſti iuſtitia imputatur, hæc vna imputationis doctrina Pelagianos, & Scotiſtas Tridentinos ex Eccleſia profligabit.

Quum igitur Auguſtinus doceat, nos iuſtos eſſe iuſtitia Dei, non qua ipſe iuſtus eſt, refutare voluit opinionem illam, quæ tum forte apud aliquos hæreticos locum habuerat nuper vero ab Oſiandro ex inferis excitata eſt, de eſſentiali iuſtitia Dei, inſani homines hæc verba rapiebant, ad iuſtitiam, qua Deus ipſe iuſtus eſt, hoc opinionis monſtrum eſt ab Auguſtino reiectum, quia iuſtitia illa, quæ imputatur credentibus, non eſt iuſtitia eſſentialis Dei, qua Deus ipſe iuſtus eſt, ſed eſt iuſtitia, quam IESVS CHRISTVS dominus noſter præſtitit, dum perfectam

legis

legis obedientiam impleuit, dicitur autem iustitia Dei, quamuis Christus homo præstiterit hanc iustitiam, sicut sanguis Christi dicitur sanguis Dei, quamuis Christus homo effuderit illum sanguinem, propter vnionem personalem.

Gratianus etiam quædam ex Augustino, pro sola fide, collegit quæ sunt huiusmodi.

a *De præuit. dist. 2. c. 14.*

a *Quod si charitas à fide Christianorum seiungi nequit, cui scilicet soli venia promittitur, quomodo qui charitatem non habuerit, fidem Christianorum habuit, id est, in Christum credidit?* Et mox: *Hoc est enim manducare panem viuum, quod credere in Christum, id est, amando tendere in ipsum, cum ergo reprobus in eum non credit, quem non manducauit, & ita fidem Christianorum, qua sola peccata relaxantur, non habuit, quomodo si viuit dominus cui omne iudicium dedit pater, iudicium perpetuæ damnationis effugiet?*

b *Lib. de vocat. gentium.*

c *Ibid. cap. 9.*

d *Ibid. cap. 5.*

Prosper eandem post Augustinum doctrinam retinuit, sic enim ille: b *Iustificati sumus gratis, quia nihil operantes, neque vicem reddentes, sola fide iustificati sunt dono Dei*: Idemque: c *Fides qua iustificatur impius, nisi ex Dei munere non habetur, eaque nullis præcedentibus meritis tribuitur, sed ad hoc donatur, vt principium possit esse meritorum: vt quum ipsa data fuerit, non petita ipsius iam petitionibus bona cætera consequantur.* d *Vilesceret enim redemptio sanguinis Christi, nec misericordia Dei humanorum operum prærogatiua succumberet, si iustificatio quæ fit per gratiam, meritis præcedentibus deberetur, vt nõ munus largientis*

tu, sed merites esset operantis. Hæc Prosper. Leo 1. sic habet. a Sola fides catholica viuificat, & sanctificat. Primasius autem sic: b Impium per solam fidem iustificat Deus, non opera. Idemque: c Non ex operibus, sed sola fide per gratiam habere te nosti. Iterumque: d nobis sola fides sufficit ad iustitiam. Sedulius. e Conuersum impium per solam fidem iustificat Deus, non per bona opera, qua non habuit prius, alioqui per impietatis opera fuerat puniendus, hoc dicit, quia sine operibus legis credenti impio in Christum, reputatur fides eius in iustitiam. Et mox: Quomodo Abraham credens ex Gentibus per solam fidem iustificatus est, ita cæteri, fidem eius imitantes saluantur. Cassiodorus: f Constat pro nihilo peccatores saluos fieri, quando certum est, conuersionem gratuita largitate largiri. Fulgentius. g In sanctis coronat Deus iustitiam, quam eis ipse gratis tribuit, gratis seruauit, gratis perfecit, iniquos autem condemnabit pro impietate & iniustitia, quam in eis ipse non fecit, in illis enim opera sua iustificat, in ipsis opera non sua condemnat. Iterumque. h Posset Apostolus quos dixit vasa misericordiæ, vasa iustitiæ cupere, sed si vasa iustitiæ vocarentur, forsan ex seipsis iustitiam habere putarentur.

a Epist. 79.
b In Rom. 3.
c In Rom. 2.
d Ibid.
e In Rom. 4.
f In Psal. 31.
g Lib 1. ad Memim. c. 23.
h Ibid. c. 27.

Gregorius Magnus hanc doctrinã summa fide retinuit, & tradidit sic nos docet: i Nõ de meis meritis confidens, vt me saluũ facias supplico, sed de sola misericordia tua psumẽs impetrare, & nõ de meritis spero. k Misericordia est qua sine vllis præcedentib. meritis, peccatis. veniã tribuit. l Iustitia Dei, fides est, sicut scriptũ est: credidit Abraham Deo, & reputatũ est illi &c. quia iusto ex fide vixit. m Ipsa iustitia nostra

i In pœnitential. Psal. 2.
k Ibid pœnitens. Psal. 4.
l Ibid.
m In 3. cap. Iob lib 5. ca. 2.

ad

ad examen diuinæ iustitiæ deducta iniustitia est, & sordes in districtione iudicij quod in æstimatione
a *In Ezech. li. 2. cap. 16.* *fulget operantis.* a *non charitas fidem, sed fides charitatem præcedit, nemo enim potest amare quod non crediderit.*

De iustitia Christi credentibus imputata, egregie Gregorius: sic enim scribit: b *Iustitia nostra dicitur, non quæ ex nostro nostra est, sed quæ*
b *In Iob. lib. 24. cap. 5.* *diuina largitate fit nostra.* c *Iustitiæ vestimento con-*
c *Ibid. lib 14 cap. 14* *paratur, cum per Prophetam dicitur, sacerdotes tui*
d *In Iob. lib. 18. cap. 27.* *induantur iustitia.* d *Omnes superna patria electi, sancti quidem, & iusti sunt, sed participatione sapientiæ, non comparatione. Lumen sapientia, lumen, & serui sapientiæ vocari solent, sed illa lumen illuminans, isti lumen illuminatum, sicut scriptum est, erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum: istu autem tantummodo dicitur, vos estis lux mundi. Iustitia quidem, sapientia, iustitia, & serui sapientiæ nuncupantur, sed illa iustitia iustificans, isti iustitia iustificata, de Deo quippe qui est sapientia, dicitur; vt sit ipse iustus & iustificans: isti vero dicunt, vt nos efficeremur iustitia Dei in ipso, aliter ergo venerandum est lumen illuminans aliter lumen illuminatum: aliter iustitia iustificans, aliter iustitia iustificata.* Sic Gregorius. Beda etiam i-
e *In Psal. 24.* dem docuit: e *Iustruit Dauid, vt nemo vel libertatem arbitrij, vel merita sua sufficere sibi ad beatitudinem credat, sed sola gratia Dei se saluari posse intelligat.* Iterumque: f *Per iustitiam factorum nemo iustificabitur, sed per solam iustitiam fidei.* Al-
f *In Psal. 77.* kuinus: g *Fides catholica humanum genus so-*
g *In præfat. ad Carolum.* *la sanctificat.* h *Constat neminem ad veram per-*
h *Lib. 1. de Spiritu.*

uenire

uenire poſſe beatitudinem, niſi Deo placeat, & Deo neminem placere poſſe, niſi per fidem. Strabus Angloſaxo, autor gloſſæ ordinariæ, in illa verba; *arbitramur hominem iuſtificari per fidem ſine operibus*, ſic ſcribit: a *Non quin credens poſt per dilectionem debeat operari, vt Abraham filium ſuum immolare voluit, ſequuntur enim opera iuſtificatum, non præcedunt iuſtificandum: ſed ſola fide ſine operibus præcedentibus homo fit iuſtus.* Idem etiam in Epiſtolam Iacobi ſcribens, demonſtrat quomodo ſint inter ſe conciliãda Pauli, & Iacobi verba. b *Abraham per fidem ſine operib. iuſtificatus dicitur, de operibus quæ præcedebant intelligitur, quia per opera quæ fecit, iuſtus non fuit, ſed ſola fide.* Rabanus Maur. 15. d *per ſolam Chriſti gratiam ab omni ſcandalo liberantur electi.*

a *In Rom. 3.*

b *Lib. 7. in Eccleſ. cap. 2.*

CAPVT VI.

Sequuntur teſtimonia eorum, quos Pontificii ſuos vocant, vt vna vnius Eccleſiæ vox vbique agnoſcatur.

REmigius Epiſcopus Antiſiodorenſ. c *Vita æterna non eſt de merito, ſed ex voluntate eius, id eſt, ſola miſericordia.* Idemque d *Reuera iſti ſoli beati, iſti ſoli ſalui ſunt, qui per gratiam iuſtificantur, & non ex meritis.* Smaragdus. e *Neceſſe eſt ſola fide Chriſti ſaluari credentes.* Idemque. f *Secundum quod propoſuit, non ex operibus legis, nec legalibus ſacrificiis, ſed ſola fide, & ſanguinis*

c *In Pſal. 29.*

d *In Pſal. 33.*

e *In Gal. 3.*

f *In Rom. 8.*

ſui effuſione ſaluare nos præſcierat, multo magis glo-
a *In altercat. Synag. & eccl. cap. 1.* *rificauit operantes.* Gislebertus: a *Credendum eſt, quia ſola fide ſaluati ſumus, ſiue propria, qui credere potuere, ſiue aliena, qui credere non potuere.*
b *Ibid. ca. 13.* Atque iterum. b *Manifeſtum eſt, Abraham patrem noſtrum prius placuiſſe per fidem, quam per circumcifionem: dum videmus infinitum numerum periiſſe circumciſum, & alios abſque hoc ſigno etiam ante aduentum Chriſti, ſola fide gra-*
c *In 1. cor. 1.* *tiam Chriſti promeruiſſe.* Anſelmus. c *In gratia Dei, qua data eſt in Chriſto Ieſu, non Petro, vel Paulo, gratia enim data eſt in Chriſto, quia hoc conſtitutum eſt à Deo, vt qui credit in Chriſto ſaluus ſit ſine opere, ſola fide, & gratis accipiat remiſſionem peccatorum.* Atque iterum,
d *In Rom. 5.* d *Iuſtificatio quæ ex fide eſt, pacem cum Deo facit, quia inimicas præſumptiones humanorum meritorum expellit, & animam Deo humiliter ſubiicit, dum de ſola gratia ſaluari cognoſcit.* & mox:
e *Ibid.* e *Ab Ade vitio ſola Chriſti gratia liberat, quæ non ſecundum merita hominum, ſed gratis da-*
f *In Apocal. lib. 8. cap. 9.* *tur, quoniam Deus miſericors eſt.* Ansbertus f *In illo autem ei damus gloriam, quo nullis præcedentibus meritis bonorum operum, ſed ſola noſtra miſericordia ad tantam dignitatem peruenire fateamur.*

Bernardus hanc doctrinam magna fide à patribus exceptam Eccleſiæ tradidit. Poſtquam enim Auguſtini, atque Ambroſii ſententiam de iuſtificatione expoſuiſſet, ſic ait.
g *Epiſt. 77.* g *Ab his duobus columnis credere mihi difficile a-uellor. Cum his, inquam, me aut errare, aut ſapere fateor,*

fateor, credens, & ipse, sola fide hominem posse saluari. a *Quomodo is qui alieno debito se teneri forte in extremis positus recolit, fidesit vnde persoluat, sola nihilominus pœnitentia, & cordis contritione obtinere veniam creditur, nec iam pro eo damnetur: sic sola fides, & mentis ad Deum conuersio, sine effusione sanguinis, sine perfusione aquæ, salutem sine dubio operatur volenti, sed non valenti prohibente articulo baptizari.* De fidei certitudine Bernardus sic docet. b *Petrus Abailardus hæreticus in primo limine theologiæ suæ, vel potius stultilogiæ, fidem definit æstimationem, stulti ergo martyres nostri sustinentes tam acerba propter incerta.* & mox. *Sed absit vt putemus in fide vel spe nostra aliquid, vt is putat, dubia æstimatione pendulum, & non magis totum, quod in eo est, certa ac solida veritate subnixum.* hæc, & plura habet in hanc sententiam Bernardus.

a *Ibid.*

b *Epist. 190.*

De iustitia Christi imputata sic docet. c c *Quid ex se agere potuerat, vt semel amissam iustitiam recuperaret homo seruus peccati, victus diaboli? assignata est ei proinde aliena iustitia, qui carnit sua.* Et mox. *Cur non aliunde iustitia, cum aliunde reatus? alius qui peccatorem constituit, alius qui iustificat à peccato, nec verear sic eruti de potestate tenebrarum, repelli à patre Luminum, iustificatis gratis in sanguine filii eius, non condemnabit iustum, qui misertus est peccatori, iustum me dixerim, sed illius iustitia: & sane mihi tutior donata, quam innata, nam ista quidem gloriam habet, sed non apud Deum, illa autem quum sit salutis efficax, materiam non habet gloriandi,*

Aa 2 nisi

Ibid.

a *In cantic. serm.* 14. *nisi in Domino.* a *Est & iudicium, vt qui contemnunt Dei misericordiam & iustitiam, & suam volunt constituere (quæ profectò non iustificat sed accusat) eidem suæ iustitiæ relinquantur opprimendi magis, quam iustificandi.* b *Christus factus est à Deo nobis sapientia, iustitia, sanctificatio, redemptio, sapientia in prædicatione, iustitia in absolutione peccatorum, sanctificatio in conuersatione quam habuit cum peccatoribus, redemptio in passione, quam sustinuit pro peccatoribus.* c *At vero iustitia tua tanta vbique fragrantia spargitur, vt non solum iustus, sed etiam ipsa dicatur iustitia, & iustitia iustificans, quamobrem quisquis pro peccatis compunctus esurit ac sitit iustitiam, credat in te, qui iustificas impium, & solam iustificatus per fidem, pacem habebit apud Deum* d *Ego vtique misericordias domini in æternum cantabo, numquid iustitias meas? domine memorabo iustitiæ tuæ solius, ipsa est enim & mea, nempe factus es mihi tu iustitia à Deo, numquid mihi verendum ne non vna ambobus sufficiat?* e *Beatus vir, cui non imputabit Dominus peccatum, ait sanctus, non dixit, qui non fecit peccatum, non est enim hic aliquis, nisi vnus, & hic est filius Dei, qui peccatum non fecit, nec inuentus est dolus in ore eius, omne ergo, quod ipse mihi non imputare decreuerit, sic est quasi non fuerit.* Hactenus Bernardus, de sola fide, de certitudine fidei, de peccatis non imputatis, de iustitia Christi imputata antiquæ Ecclesiæ integritatem retinet, à qua longè absunt Tridentini.

b *Ibid. serm.* 22.

c *Ibid.*

d *Ibid. ser.* 61

e *Lib. de conscient.*

f *In reg. lib.* 2. *cap.* 39. Rupertus f *Sola fides Iesu Christi iustificare potest,*

poteſt, atque iterum: a *Iuſtitia hæc in fidem tendit, quia non propter opera, ſed propter fidem poſſibile eſt quenquam coram illo iuſtificari.* atque iterum. b *Sperare in nomine domini eſt deponere pertinaciam, qua ſe iuſtificari arbitrantur ex operibus, & omnem iuſtificationem credere in ſolo nomine domini, in fide Ieſu Chriſti.* Honorius Auguſtodun. c *Hi qui ſe miſeros, & à iuſtitia nudos ingemiſcunt, pauperes domini ſunt, quia ſe non poſſe ſaluari, niſi ſola Dei gratia norunt.* Hugo de S. Victore: d *Lex ſcripta, lex factorum appellatur, quia homines legis totam iuſtitiam ſuam in operibus legis conſtituebant, lex autem fidei vel gratia ſic dicitur, quia homines gratia, totam ſummam ſalutis ſuæ, in ſola gratia conſtituunt: ſcientes quod ſicut nemo ſaluabitur ex iuſtitia operum, ſic nemo iuſtificabitur ex operibus iuſtitiæ, non enim ex bonis operibus iuſtitia, ſed ex iuſtitia, hoc eſt, iuſtificatione, bona opera.*

Petrus Lumbardus e *Credere Deum, eſt credere quod ipſe ſit Deus, quod etiam mali faciunt, credere in Deum, eſt credendo amare credendo in eum ire, credendo ei adhærere, & eius membris incorporari, per hanc fidem iuſtificatur impius, vt deinde ipſa fides incipiat per dilectionem operari.* Thomas Aquinas: f *Offendit Apoſtolus hic Iudæos, & Gentes eſſe æquales, quantum ad ſtatum gratiæ, oſtendendo ſola fide Chriſti fieri iuſtificationem.* Iterumque g *Data eſt lex, vt cognoſcatur peccatum, Rom. 7. non eſt ergo in eis iuſtificationis ſpes, ſed in ſola fide.* Nicolaus Gorrham h *Sufficit ad iuſtificationem, quod aliquis credat nec exigitur, quod operetur*

a *Lib. de vid. Deo. verit. 4. cap. 21.*

b *In Sophon. lib. 2. cap. 3.*

c *In ſpecul. Eccleſ. ſerm. de natiuit. dom.*

d *In Rom. 3.*

e *Lib. 3. diſt. 23. D.*

f *In Rom. ca. 3. lect. 4.*

g *In 1. Tim. lect. 3.*

h *In Rom. 4.*

a *Ibid.* *ad hoc.* atque iterum. a *Si solum credit in Christum, licet non operetur, reputatur ideo eius fides sola ad iustitiam sufficientem.* Eandem doctrinam alii deinceps retinuerunt vsque ad tempora Concilii Tridentini: Qui igitur Mart. Lutherum huius doctrinæ autorem ferunt, sicut plurimi inter Pontificios effutiunt, insignis mendacii arguuntur, quum ab Ecclesiæ exordio, non interruptam Ecclesiæ vocem audiunt, in hanc sententiam, vsque ad Lutheri tempora, ac deinceps etiam, erat enim hæc doctrina, de sola fide iustificãte, recepta communi consensu in Ecclesia Romana, ante Cõcilium Tridentinum.

Scripsit librum de iustificatione, Gaspar Contarenus Cardinalis vir doctus, & pius, postquam iam Lutherus, aliique suam sententiã de hac re declarassent. Quo libro testatur, Protestantes & Catholicos in hac re conuenire. Recte Contarenus, qui, quum ex industria Protestantium doctrinam examinasset, nihil in ea inuenire se profitetur, quod à Catholicorum sententia dissentiret. At in sententia de iustificatione non conuenit Protestantibus cum Concilio Tridentino, non igitur erat illud Concilium conuentus Catholicorum. Et quia Catholicorum sententiam de iustificatione Contarenus eo libro explicandam susceperat, non erit alienum, si verba eius etiam fusius de hac re obseruemus, vt constare possit, quinam sint, qui cum Ecclesia Catholica consentiant, quinam etiam sint Tridentini

isti,

iſti, qui cõtra Eccleſiæ Catholicæ doctrinam, ipſorum Cardinalium iudicio figmẽtum ſuũ poſuerũt. Scripſit hæc Cõtarenus Anno dom. 1541. quadriennio fere ante primam ſeſſionẽ eius Concilii, à Paulo 3. inchoatam. Ita, vt in hac quæſtione, quæ eſt grauiſſima, Cardinalis eo conſilio laborasſe videatur, vt lucem Tridentinis præferret, admoneretque de vera, & antiqua iuſtificationis tractatione, quam animaduerterat ipſe in Eccleſia, ad eum vſque diem fuiſſe conſeruatam, vtcunque aliter fraterculi quidam Scotiſtæ doçuerant. Hanc vero Catholicorum ſententiam ſic exponit Cardinalis.

a *Attingimus*, inquit, *ad duplicem iuſtitiam, alteram nobis inhærentem, qua incipimus eſſe iuſti, & efficimur conſortes diuinæ naturæ, & habemus charitatem diffuſam in cordibus noſtris: alteram vero non inhærentem, ſed nobis donatam cum Chriſto, iuſtitiam, inquam, Chriſti, & omne eius meritum, quod autem Deus donauerit nobis Chriſtum, & omnia cum eo, eſt textus Apoſtoli, ad Rom. His reor nullum poſſe contradicere. Reſtat inquirere, vtra debeamus niti, & exiſtimari nos iuſtificari coram Deo. Ego prorſus exiſtimo pie, & Chriſtiane dici, quod debeamus niti, niti, inquam, tanquam veſtabili, qua certo nos ſuſtentat, iuſtitia Chriſti nobis donata, non autem ſanctitate, & gratia nobis inhærente.* Hæc ille. ſed pergat Cardinalis. a *Lib. de iuſtificat.*

b *Hac ſola*, inquit, *certa, ſtabili nobis nitendum eſt, & ob eam ſolam credere nos iuſtificari* b *Ibid.*

coram Deo, id est, iustos haberi. Hic est pretiosus ille Christianorum thesaurus, quem qui inuenit, vendit omnia quæ habet, vt emat illum. Et post: *Inde est, quod experimento videmus viros sanctos, qui quanto magis in sanctitate proficiunt, tanto minus sibi placent, ac propterea tanto magis intelligunt se indigere Christo, & iustitia Christi sibi donata, ideoque se relinquunt, & soli Christo incumbunt, hoc non ob eam accidit causam, quod facti sanctiores minus videant, quam prius, neque quoniam facti sunt animo demissiori & viliori, imo quanto magis in sanctitate proficiunt, tanto maiori sunt animo, tanto sunt perspicaciores. Quamobrem facti perspicaciores magis intuentur sanctitatis & iustitiæ inhærentis tenuitatem, cum qua perspiciunt multas maculas, quæ eorum oculos, factos perspicaciores magis offendunt: ac propterea agnoscunt, non sibi nitendum esse sanctitate, charitate, & gratia sibi inhærente, sed confugiendum sibi esse ad Christum, & gloriam Christi ipsis donatam, qua nituntur, & incumbunt.* Hæc ille, & plura etiam in hanc sententiam.

Probat etiam Cõtarenus hanc esse doctrinam Thomæ Aquinatis, deinde ad Scotistarum obiectiones respondet. Nam Scotistæ erant, qui hanc lucem absconderunt. Denique quum ad omnes obiectiones respondisset, locosque è scripturis adductos explicasset, sic tandem infert. a *Mihi videntur hi loci adducti esse adeo perspicui, quod nullam dubitationem facere possint in sententia hac, in*

a *Ibid.*

qua

qua Catholici, & Proteſtantes conuenerunt. Et quod non ſatis recte intelligantur abijs, qui eis nituntur.

Hæc Cardinalis Contarenus, paulo ante Concilium Tridentinum inchoatum. Ita intelligimus ex confeſſione huius viri, quænam fuerit Catholicorum ſententia ante Concilium Tridentinum, de iuſtificatione: quod ſi alia, & plane contraria ſententia ex eo tempore inualuerit, viderint nouatores, nobis ſatis eſt Originem huius mutationis indicaſſe. Catholicorum ſententiam ſic explicat Cardinalis: Hac ſola iuſtitia Chriſti, certa ſtabili nobis nitendum eſt, & ob eam ſolam credere nos iuſtificari coram Deo. At contra hanc Eccleſiæ doctrinam, catholicam habitam ante Concilium Tridentinum, perpetuis Eccleſiæ teſtimoniis: Concilium illud anathema denuntiat, Seſſion. 6. Can. 11. Vicerunt in illo Concilio Scotiſtæ. Concilium enim illud, nec generale erat, contra quod multi Reges, & Principes proteſtati ſunt. Quidam etiam in in ipſo Concilio, in medio Patrum, non publicum Concilium, ſed priuatum conuenticulum habendum eſſe cenſuerunt. Sicut Abbas Belloſanus Galliæ Regis legatus Regis ſui nomine denuntiarat. Nec liberum erat Concilium illud, in quo nemo ſuffragium ferre potuit, qui non prius iuramento obligatus eſſet Rom. Pontifici. Nec legitimum Concilium eſſe potuit, quia non legitima autoritate conuocatum fuerat. Pontificii enim vnius Romani Pontificis autoritatem ſufficere prædicant,

Concilium Tridentinum quale fuerit, & qua artes & fraudes in eo peracta.

ad generalia Concilia cõuocanda, qua tamen autoritate generalia Concilia nunquam fuerunt conuocata, nec erunt in posterum. Mitto fraudem, artes, stratagemata in eodem Concilio dolo malo peracta: quod quum quosdã sensissent paulo liberiores in dicendo, iuuenta ratio fuit, vt iis reuocatis, atq; summotis, alii summitterentur nequiores: quod maximus Episcoporum numerus esset ex Italia: & ad extremum euentum, decem & tres Cardinales subito crearentur, Itali omnes, qui ad Concilium missi, suffragiorum numero, atq; auxilio, rem Tridentinam, alioqui ruituram, restituerunt: Quod deniq; veneficiis grassarentur. Nam qui virtute, & sanctitate cæteris præstare videbantur, è medio sublati sunt, inter quos erat Cardinalis Contarenus, qui veneno extinctus est, ne insignis eruditio, & pietas huius viri Scotisticum illud Conciliabulum conturbasse videretur.

CAPVT VII.

Obiectiones, & aduersariorum responsiones ad patrum testimonia, diluuntur.

HActenus vnam Ecclesiæ vocem per diuersa secula in scripturibus in patribus, ac recentioribus scriptoribus sonansonantem audiuimus, & in Ecclesia conseruatam, vsque ad Concilium Tridentinum. Hæc est illa Ecclesia vera, visibilis, in qua per successiones, vera fides semper eadem tradita est. Pontificia siue Iesuitica ista Ecclesia, quæ hodie fidẽ hanc oppugnat, nup nata, nouam fidẽ exhibet

exhibet. Est ergo pontificia ista ecclesia (quam Romanam Ecclesiam non dicimus, sed Romanam curiam) prorsus alia ab antiqua fide. Alia autem, & posterior fides, quid est, nisi error? Iam priusquã erroris huius originẽ aperiamus, videam⁹, q̃d ad hæc Cardinalis Bellarminus respondeat. Ex tanta nube testiũ, pauciſſimos affert Bellarminus quibus sic respondet. Opera à patribus reiecta à iustificatione, vel esse opera externa, ita eludit testimonium Origenis: vel opera legis, sicut respõdet Hilario: vel opera naturæ viribꝰ facta sine fide, atq; ita ẽneruat Basiliũ: vel opa ceremonialia, atq; hac arte Ambrosii testimoniũ suspendit. Sæpius illud velut vnicum refugium inculcat; opera hæc esse naturæ viribus facta sine gratia. Ergo ad solam fidem toties à patribus repetitam, ad doctrinam de imputatione iustitiæ Christi, tanta fide à patribus conseruatã, plane nihil habet q̃ dicat. Vbi sunt ergo, qui solam fidem ante Lutherũ inauditã clamitant? Hæc sunt effugia hominum ad lucem caligantium. De opere interno, & externo, q̃ cõminiscitur, vt à patribus reiecta esse doceat opera externa, nõ a. interna: nec omnino falsum est, nec causam hanc pontificiam omnino iuuat. Nam si cõcedamus, omnia opera interna nõ esse reiecta à iustificando, q̃d ex eo colligẽt pontificii? nã & fides ipsa est opꝰ internũ, Ioh. 6. 28. Quid faciemus, vt operemur opera Dei Respondet Iesus; *hoc est opus Dei, vt credatis in illũ, quẽ misit ille*. De operibꝰ ceremonialibꝰ q̃ nugãt, ex eadẽ

est

eſt officina Sophiſtica. Neque enim opus erat patribus ad populum Chriſtianum loquentibus, tam enixe ceremonialia reiicere, vnde periculum nullum metuebatur. Quod ipſum quoties monere voluerunt, non operum, ſed ceremoniarum aut ſacrificiorum appellatione vtuntur. Poſtremo diſerta patrum verba euincunt, eos non de ceremonialibus, ſed de moralibus ſcripſiſſe. Nam opera illa excludunt à iuſtificatione, quæ ſequuntur iuſtificatum. Hæc autem non ſunt ceremonialia, ſed moralia. Quod addit de operibus legis, & de operibus ſine fide, vel factis naturæ viribus ſine gratia, ex eadem prodit vanitate.

Vt igitur omnes iſtas offucias paucis retegamus: hoc eſto nobis demonſtrandũ, opera ipſa legis facta per gratiam excluſa eſſe à iuſtificatione. Hoc ſi è ſcripturis, patribuſq; confirmemus, os Phariſæis obturabitur. Quandoquidem fidei iuſtificationem ita diſerte exponat Apoſtolus, vt opera legis excludat, interrogabimus beatum Apoſtolum, vt exponat ipſe mentẽ ſuã, & dicat, quænã opera intelligat? Reſpondet Apoſtolus Epheſ. 2. 9. 10. quo loco, quum fidẽ, vt ſolet, aſtruat, reiectis operibus; *non ex operibus, ne quis gloriatur*: ſtatim hæc verba ſubiungit: *Nam ipſius opus ſumus conditi in Chriſto Ieſu ad opera bona, quæ præparauit Deus, vt in illis ambulemus.* Quærimus quænã ſint opera illa, de quibus hic loquitur Apoſtolus? Profecto opera, quæ Deus præparauit, vt in illis ambulemus. Apoſtolus igitur excludens opera à

Epheſ. 2. 9.

ra à iuſtificatione, deinde optimus ipſe ſui interpres exponit, opera illa eſſe ad quæ à Deo conditi ſumus, vt in illis ambulemus: profecto infallibiliter probat, opera per gratiã facta reiici à iuſtificatione: opera a. eſſe ad quæ, non ex quibus, aut per quæ iuſtificamur: ac proinde non eſſe formam iuſtificationis, qua vt loquuntur ſophiſtæ Tridentini, formaliter iuſtificamur, ſed finem eſſe, ad quem, & effectum iuſtificationis.

Apoſtolus etiam docet: Ex operibus legis non iuſtificabitur omnis caro coꝝ illo, p legẽ n. agnitio peccati. Quũ oſtẽdiſſet iuſtificationẽ ex lege non eſſe: exponit q̃ legẽ intelligat, nẽpe moralẽ: quia lex illa, q̃ deducit homines in agnitionẽ peccatorũ ſuorũ, moralis eſt. Certũ n. eſt, nullã al: ã eſſe legẽ quæ, quũ nõ poſſet iuſtificare, homines ꝓpter infirmitatẽ carnis noſtrę, poteſt tamẽ oſtẽdere nobis peccata noſtra, & omnes homines conuincere peccati, reoſq; coꝝ Deo cõſtitoere, q̃ legẽ moralẽ. Lex igitur moralis eſt, q̃ à iuſtificatione noſtri excluditur. Idemq; demõſtratur ex natura iuſtificationis, atq; imputationis. Quia peccatũ nõ imputatur credẽtib' in Chriſtũ. Hinc beatitudinẽ noſtrã exponit Apoſtolus: Quẽadmodũ etiã Dauid definit beatitudinẽ hominis, cui Deus imputat iuſtitiam abſq; operibus. Beati quorũ remiſſæ ſunt iniquitates, & quorũ tecta ſunt peccata, beatus vir cui nõ imputauit Dominus peccatũ. Peccatũ tollitur imputatione, iuſtitia a. donatur imputatione. Hæc eſt virtus

Rom. 3. 20.

Rom. 4. 6.

ſupra

ſupra virtutem legis moralis, quæ nec peccatorum remiſſionē, nec imputationē nouit. Ex hac iuſtitiæ imputatæ cognitione, tanq; ex regula, intelligimus multos ſcripturæ locos, qui de iuſtitia operū loquuntur. Quos n. Dominꝰ ſemel in beatitudinis ſeu iuſtificationis conſortium recepit, ita vt peccata illis ſua non imputet, iuſtitiam a. filii ſui imputet: illi non modo ſibi propitium habent Deum, ſed & operibus ſuis, quorum maculæ & næui Chriſti puritate obteguntur, hinc eſt, q̄ opera hominis iuſtificati iuſta reputantur, & iuſtificatus iuſtus.

Hæc igitur opera gratiæ, ad quæ facienda creati ſumus in Chriſto Ieſu, ex noua creatione, hoc eſt, ex iuſtificatione, ſunt eadem opera legis. Lex iubet, ſed vires non miniſtrat, gratia dat vt faciamus, quæ lex iubet. At lex perfectam obedientiā poſtulat, obedientia noſtra imperfecta eſt. Chriſtus igitur interponit obedientiam ſuam perfectā; quæ quia noſtra eſt, imperfectum illud noſtrū in rationē nō venit corā Deo: quia ꝓpter Chriſtū, nec imperfectio operū noſtrorū, nec peccata nobis imputantur. Itaq; nos etiam legem implere dicimur, quum ſincerum obedientiæ amorem præſtamus. In hanc ſententiā illud à patribus ſæpius iactatur; q̄ lex imperat, fides impetrat, Auguſt. a ergo: *a per legem agnitio peccati, per fidem impetratio gratiæ contra peccatū, per gratiam ſanatio animæ à vitio peccati, per animæ ſanitatem libertas arbitrii, per liberū arbitriū iuſtitia dilectio, per iuſtitia dilectio-*

a *Lib. de ſpir. & lit. cap.* 30.

dilectionem legis operatio. Quibus verbis Augustinus à transgressione nostra, qua excidimus à lege, circumducit nos quasi in circulo ad opera gratiæ, quæ sunt opera legis. Quod si quis obiiciat, opera legis à scholasticis intelligi, nō quæ p fidē, & dilectionē fiunt, sed q̄ p minas extorquet lex. Respōdeo, scholasticorū speculationes hic nō excutio, q̄ nec opera gratiæ nec opera legis recte explicarūt. Nā opera p minas extorta quomodo opera legis dici possint non video; quandoquidē lex perfectā obedientiā postulat ex toto corde, tota anima, & tota mente. Minatur q̄dem lex non obedientibus pœnas, sed obedientia extorta per minas nō est legis obedientia. Deinde patrū sententia, q̄ nos exquirimus, ab huiusmodi argutiis lōge remota est. Patres n. ita opera intelligūt, vt eadē sint opera, & à lege imperata, & à gratia impetrata, eadēq; à iustificatione omnino exclusa. Lex ex iustitia requirit hæc opera, fides a. ea præstat ex obedientia. Iustificatus n. quū semel misericordiā Dei in se agnouerit, ingratissimū se, atq; miserrimū omniū hominū iudicat, nisi p tā infinita misericordia in bonis operib', obedientiæ, & gratitudinis testimōiū exhibeat. Charitas n. Christi vrget nos, æstimātes hoc quoniā si vnus p omnib' mortuus est, e. omnes mortui fuerūt. Et, p omnib' mortuus est Christus, vt q̄ viuunt, iā nō sibi viuant, sed ei, qui p ipsis mortuus est & resurrexit sicut docet Apostolus. Hæc est illa charitas, vrgēs & cōstringēs nos, q̄ iustificatos homines nō patit esse otiosos, q̄n vt semp bonis operib' studeāt, mouet, imo cōmouet, cōstituit excitat. Itaq; fides illa Iesuitica execrāda sēp in Eccl. Christi habita est qua docēt:

2. Cor. 5. 14.

Bellarm. lib. 1. de fide iustif. c. 15.

fidem veram posse reipsa à dilectione cæterisque virtutibus separari.

Nam si per fidem veram intelligant fidem iustificantem, certum est, non posse fidem & charitatem cõiunctã semel, separari. Sin fidei professionem intelligãt, dicimus, hanc fidem separari posse à charitate, atq; à iustificatione. Nec esse, q̃ nos quærimus fidem iustificantẽ.

Ioban. 12. 24. Ioh. 12. dicitur: *multi ex principibus crediderũt in eum, sed non confitebantur, dilexerunt enim magis gloriam hominũ, quam gloriam Dei.* a Ex quibus verbis concludit Bellarminus, atque ex similibus locis: fidem fuisse absque charitate.

a *Bellarm. lib. 1. de iustif. cap. 15.*

Respondeo: hic scripturæ locus, aliiq; similes: sunt de fidei externa professione, non a. de fide iustificante. Fides a. hæc iustificans Iesuitis est penitus ignota, qui externam fidei professionem, & sacramentorũ communionem, quæ sensu ipso percipitur, sufficere sibi arbitrantur. Fides ergo non potest esse sola, si effectus, & fructus iustificationis consideretur, qa charitas Christi cõstringit nos: qa finis p̃cepti est charitas, de corde puro, & cõscientia bona, & fide non ficta: quia conditi sumus in Christo Iesu ad bona opera: quia fides per charitatem operatur. Quibus verbis describit Apostolus fructũ fidei iustificãtis, q̃ nõ est ficta, ꝙ si fidei iustificãtis natura consideretur in suis principiis fides sola iustificat sine charitate, & bonis operib': quia fides p̃cedit charitatẽ, & bona opera. Nã qa credim', ideo operamur; nõ a. ideo credim' qa operamur: quia charitas & opera se-

ſequuntur iuſtificatum, non præcedunt iuſtificandum: quia gloriatio excluſa eſt.

Opera igitur, quæ excluduntur à iuſtificatione, non ſunt tantum opera naturæ viribus facta, quæ præcedunt iuſtificationem, verum opera per gratiam facta; opera quæ ſequuntur iuſtificatum, Auguſtino: opera omnia noſtra, quia nullum opus noſtrum gloriationem excludit Baſilio: opera omnia præter vnam fidem, quia ipſa per ſe plena eſt bonis operibus Chryſoſtomo: opera omnia apud Deum, non autem apud homines Theophylacto: opera, quia opera imputationem iuſtitiæ non admittunt, Irenæo; opera quæ meritũ oſtentant, quia fides meritum nullum quærit Cypriano: opera quæ auxilium Chriſti admittũt quidem, ſed non ſolum Arnobio: opera, quæ iuſtificationem nõ ſinunt eſſe gratis Ambroſio: opera quibus qui ſe iuſtos eſſe putant, ne vt nolint ſe ſubiicere remiſſioni peccatorum Hieronymo: opera, quæ in iuſtificatione impii nulla eſſe potuerunt, præter impietatis opera Sedulio: opera, quæ impedirent, ne iuſtificati dicerentur vaſa miſericordiæ Fulgentio: opera omnia noſtra, quia ipſa iuſtitia noſtra, quæ eſt ex operibus, iniuſtitia eſt, & ſordet Gregorio: opera, in quibus eſt iuſtitia factorum venerabili Bedæ: opera ipſa, quæ debemus poſt iuſtificationem operati Gloſſæ ordinariæ: opera, quæ CHRISTI gratiam non permittunt ſolam, Rabano: opera noſtra omnia, quia opera noſtra inimicas

præsumptiones non possunt expellere, & animam Deo humiliter subiicere, Anselmo: opera nostra, quia aliena iustitia iustificati sumus, non propria nostra Bernardo: opera, quæ non permittunt homines sperare in solo nomine Domini, & deponere pertinaciam, qua se operibus iustificatos arbitrantur, Ruperto: opera, quæ iustificatus debet deinceps per dilectionem operari Lumbardo: opera, quia in eis nulla est iustificationis spes, Aquinati.

Quæ profecto omnia facile euincunt, patres cum Apostolo opera ipsa per gratiam facta reiecisse à iustificando. Patres igitur solam fidem prædicant, quam etiam nonnunquam solam misericordiam appellant, & solam gratiam, & solum verbum, & solum Dei nomen, & solum Christi auxilium, non quod fides sit aut misericordia, aut gratia, aut verbum, aut auxilium Christi: sed quod ex istis & per hæc fit fides. Atque istis omnibus opera excluduntur, vt stabiliatur fauor ille Dei tantum, qui Tridentino percutitur anathemate.

CAPVT VIII.

De erroris origine.

IAm de origine erroris huius dicamus. Solius fidei iustificationem ex Romana Ecclesia nemo disertis verbis negauit, antequam Martin. Lutherus eandem è scripturis docuisset

ſet. Itaque quum inepti atque impudentes homines ex ignorátia nobis obiicere ſoleant, doctrinam de ſola fide iuſtificante nunquam fuiſſe ante Lutherum auditam (ſic enim complures Pontificii effutire ſolent) quis non iſtorum vel ignorantiam, vel impudentiam miretur. Nos enim plane contrarium confirmare poſſumus, & omnibus antiquos ſcriptores verſantibus conſtat, hanc doctrinam vſque ad Lutheri, & Tridentini Concilii tempora à Patribus, à recentioribus Theologis continenter prædicatam; contrarium autem errorem tum primum ex contradicendi ſtudio natum.

Sparſa ſunt apud Scholaſticos erroris huius ſemina, ſed quæ in zizaniorum pernitioſam ſegetem multo peſtilentius in recentioribus Ieſuitis excreuerunt. Occaſio erroris erat à diſtinctione fidei, in formatam, & informem, de qua re quærere ſolent Scholaſtici theologi 3. ſententiar. diſtinctione 23. & 24. & Aquinas 2. 2. quæſtione 4. artic. 3. quo loco quærit Aquinas; an charitas ſit forma fidei, & reſpondet affirmando. Quod ſi argutias Scholarum ſectari placuerit, multo expeditius, probare poſſemus, fidem eſſe formam charitatis. Verum ex eo pronuntiari cœpit in Scholis charitatem eſſe formam fidei. Ex quo inferunt alii, formatam fidem iuſtificare. Ieſuitæ tandem concludunt, fidem ſolam non iuſtificare, quia non fides informat, ſed formata iuſtificat. Sed iſti

non videntur sensum Theologorum suorum accipere, non enim sunt hæc contradicentia Theologis, fides formata iustificat, & sola fides iustificat, quandoquidem sunt inter eos, qui vtrumque tenent. Quod autem dicitur à Theologis, fidem illam iustificare quæ formata est, si probe intelligatur, non reiicimus, & recte informem reiiciunt illi, quanquam de fidei forma crassius loquuntur Scholæ. Aquinas ipse, non tam male, quam confuso, & crasso more, id est, non suo more agit, verum formam intelligit Aquinas nō internam illam, quæ naturam constituit, sic enim ipse
a 2.2. qu 4. art. 3. sese explicat. a *Charitas*, inquit, *est forma fidei, in quantum per charitatem actus fidei perficitur*. Deinde concedit Aquinas, propriè loquendo, charitatem non esse formam, sed finem fidei; verum contendit ille, in voluntariis finem esse pro forma statuendum, sic e-
b *Ibid.* nim ait; b *Actus voluntarij speciem recipiunt à fine; qui est voluntatis obiectum. Id autem à quo aliquid speciem sortitur, se habet ad modum formæ in rebus naturalibus, & ideo cuiuslibet actus voluntarij forma quodammodo est finis, ad quem ordinatur.* Hæc Thomas, valde quidem confuse, atque improprie. Nam Thomæ ipsius concessione, finis in voluntariis habet rationem obiecti. Sed quis vnquam dixit, charitatem esse fidei obiectum? hoc nec Iesuitæ dixerint. quod si obiecti rationem non habet, certè nec finis rationem habere potest, si finis intelligatur habere rationem obiecti. Charitas

tas effectum fidei dici potest, obiectum non potest.

Verissimum est, quod Augustinus habet cõtra Iulianum Pelagianum, qui virtutes infidelium iactabat: virtutes non officiis, sed finibus à vitiis discernendas esse. Finis autem ille, qui virtutem efformat, & secernit à vitiis, obiecti rationem habere potest, qua mouet & excitat: hac ratione fides potest esse finis charitatis quia fides mouet & excitat charitatẽ, charitas autem non sic se habet ad fidem, non enim ideo credimus, quia bene operamur, sed ideo bene operamur, quia credimus. Fides ergo est quodammodo finis charitatis, vt & omnium aliarum virtutum, non enim sunt virtutes, quæ non referuntur quodammodo ad fidem. Itaq; vera virtus est tantummodo in fidelibus, quanquam enim alii in officiis ipsis versentur, quia tamen ad verum finem non agunt, non habent virtutes veras. Atque hoc est, quod Augustinus affirmat contra Iulianũ, qui virtutes infidelium iactauerat; virtutem non officiis, sed finibus distingui à vitio. Itaque sententia Aquinatis de forma fidei non est sana, quia fides charitatem distinguit, efformat, regulat: charitas autem fidem non efformat, sed tantum ostendit, tanquam effectum suam causam.

Deinde sententia Aquinatis nihil adiuuat Iesuitas. Isti enim colligunt, ab operum inhærenti iusticia homines iustificari, quia charitas, vt supponunt illi, est forma fidei. At Tho-

mas, qui charitatem docuit esse formam fidei, diserte tamen affirmat, in operibus nullam esse spem iustificationis, sed in sola fide. Solius igitur fidei iustificationem tradit Aquinas, quam isti negant. Præterea Aquinas charitatem formam fidei docet esse, quia fides perficitur per charitatem: hoc est, sicut se exponit Aquinas, fides innotescit, exercetur, & ostenditur per charitatem. Hæc enim sunt Aquinatis verba: a *Iacobus loquitur de operibus sequentibus fidem, quæ dicuntur iustificare, non secundum quod iustificare dicitur infusio, sed secundum quod dicitur iustitiæ exercitatio, vel ostensio, vel consummatio: res enim fieri dicitur, quando perficitur & innotescit.* Hæc ille. Plurimũ igitur à sententia Aquinatis dissentiũt Iesuitæ. Nam quum sententiam nostram oppugnant Iesuitę, quæ profecto in hoc negotio eadem est omnino cum sententia Aquinatis: nonne in nostra sententia oppugnanda, Aquinatẽ manifesto oppugnãt? Ex Aquinatis igitur sententia nõ bene intellecta de forma fidei, falso, & inepte colligunt Iesuitæ contra mentem Aquinatis, fidem solam non iustificare. Non erit inutile aut alienum, corruptelarum, tanq; zizaniorum inter fruges excrescentium incrementa, quam succincte fieri possit, aperire, atq; ostendere. Aquinas primus illud intulisse videtur; fidei formam esse charitatem, cuius sententiæ vestigia quędam ex Lumbardo hauserat, reliqua addidit. Non quidẽ pessime sentiens (si mentẽ eius cõmode accipiamus) neq; præsentiens quãtæ

a *In epist. Iacobi c. 2.*

ex

ex ea re tragœdiæ erant deinceps excitandæ. Postea Ioh. Scotus doctrinã meriti ex congruo multum amplificauit. Quæ doctrina quamuis ad aliam quæstionem proprie pertineat, ita tamen cũ hac quæstione arcte cohæret, vt meriti doctrina semel susceptæ iustificationis doctrinã penitus oppresserit: sic ergo est meriti doctrina paulatim introducta. Aquinas fundamenta iecit meriti, tam de congruo, quam de condigno: sic n. scribit: a *Si consideretur opus meritorium, secundũ quod procedit ex libero arbitrio, sic non potest esse condignitas, propter maximã inæqualitatem, sed est ibi congruitas, propter quandam æqualitatem. Videtur n. congruum, vt homini operanti secundum suam virtutem, Deus recompenset secundũ excellentiam suæ virtutis. Si autem loquamur de opere meritorio, secundum quod procedit ex gratia spiritus S. sic est meritorium vitæ æternæ ex condigno.* Hæc Thomas. Scotus autem, quod attinet ad meritum de condigno, dissentit à Thoma; Sed doctrinam meriti de congruo, vel ad insaniam vsque extulit.

a 1.2.q.114. art.3.

Scoti placita de hac re sunt hæc: b *Peccatum potest ex naturalibus, cum cõmuni influentia considerare peccatum vt offensiuum Dei.* & mox: *Potest voluntas peccatum sic consideratum detestari, & ille motus potest continuari, & intendi ante infusionem gratiæ.* Ex postea: *Iste motus dicitur attritio, & est dispositio sine meritum ex congruo ad deletionem peccati mortalis.* Et paulo post: *Quod si attritio sit perfecte circumstantiata in genere motus, videtur omnino dispositio sufficiens*

b Libr.4 d. 14. qu.2.

ad iustitiam in termino illius attritionis acquirendam. & deinceps: *Si manet idem motus contra peccatum in esse naturæ, & moris, qui prius fuit attritio, in illo instanti fit contritio.* Idemq; fere docet lib. 2. dist. 28. Quem sequuntur recentiores Scholastici plerique, traduntque actum illum, quo homo vltimum quod potest, facit, vt illi gratia communicetur, esse, secundum Scotum, ex puris naturalibus, & meritorium ex congruo.

Hæc est sententia Concilii Tridentini, sicut ex superioribus canonibus constare potest, & ex Bellarmini verbis, huiusmodi Concilii mentem aperientibus: a *potest homo nondum reconciliatus per opera pœnitentiæ impetrare & mereri ex congruo gratiam iustificationis.* Hæc ille. Sequuntur ergo Tridentini Scoti placita, quanquam reclamantibus viris doctissimis, quia hæc sententia plane nihil differt ab errore Pelagianorum, quod multi viri docti ex Rom. Ecclesia testantur, maxime vero Franciscus Victoria, cuius verba subiungam. b *Homines alioqui acres & docti, hic in hac disputatione peccant, & errant, ex eo quod non bene sentiant de contritione: putantes primo, quod contritio est ita sufficiens ad remissionem peccatorum, vt quasi ex iustitia debeatur remissio, & gratia, posita contritione. Vnde etiam provenit, vt meritum ponant congruum ad primam gratiam, contra Apostolum Paulum, non considerantes, quod quacunq; dispositione posita in peccatore, est omnino tanta liberalitas incollatione gratiæ, & tam gratis remittuntur peccata, sicut data fuit gratia Adæ in primo statu: imo magis, nec oportet imaginari aliud meritum, nisi*

a *Libr. 5. de gratia & lib. arbitr. cap. 22.*

b *Relect. 1. de potestat. Eccles.*

puram

gam misericordiam diuinam. Nec plus contritio est meritum ad gratiam, vel remissionem peccatorum, quam bona opera sunt meritum ad predestinationē. Hac enim erat bona pars erroris Pelagianorum, si ego quicquam intelligo. Hęc Victoria disserte, & libere disputat contra Scotistarum errorem, in concilio Tridentino iam tandem receptum.

Alterum est Scholasticorum commentum, quod puriori doctrinæ de iustificatione è scripturis exceptæ, atq; à patribus traditæ, mirabilem attulit confusionem. Nam Petrus Lumbardus quærit, a *An gratia sit virtus?* illam conclusionem in summam veritatis perniciem Theologi subsequentes arripuere. Itaq; sic habet Scotus: b *Gratia formaliter est virtus, qua est charitas.* Et paulo post: *Illud, propter quod Deus acceptat habens vt dignum beatitudine dignitate qua est in correspondentia meriti ad premium, illud dicitur gratia, & ita aliquam imperfectionem includit illud quod est gratia.* Hæc Scotus. Hoc est venenum Babylonicum quod Tridentinus propinauit Scotus.

a *lib. 2 dist. 27.*

b *lib. 2 dist. 27. quæst. 1.*

Libet hic antiqui serpentis versutias cōtemplari. Pelagium in lucem primo protulit, qui gratiā Dei negarit, liberum arbitrium extolleret. Pelagius luculento Ecclesiæ iudicio damnatus est. Reuixit tamen Pelagius in Scotistis, qui ad Pelagianismum illum, de merito congrui, aliam etiam fraudem excogitarunt, vt sub gratiæ explicatione, ac definitione, gratia Dei penitus euerteretur. Hoc agunt Scoti-

ſtæ, atq; exinde Tridentini. Nam quum nullam aliam gratiæ cognitionem tradant, quam vt ſit virtus noſtra, & qualitas nobis inhærens: quid aliud egit ſerpens ille, qui hanc ſcenam exhibuit, quam vt gratiæ diuinę cognitionem vniuerſam extingueret. Gratia profecto non eſt qualitas nobis inhærens, ſed eſt diuini in Chriſto propoſiti executio, hoc eſt, ſicut Victoria è patribus ſcripturiſq; habet, pura miſericordia diuina, vel fauor ille Dei, cui concilium Tridentinum maledixit. Nam quæ eſt iuſtificationis, eadem eſt & vocationis noſtræ, & prædeſtinationis gratia. Si quis autem gratiam vocationis, aut prædeſtinationis dicat eſſe non fauorem Dei tantum, ſed formaliter virtutem noſtram, quæ eſt Charitas, non ille de ſacris literis, ſed de myſtico illo Babylonis poculo hauſit.

Neceſſarium videtur hoc loco admonere, de profunditatibus Satanæ in canone illo Concilii Tridentini, quem initio huius diſputationis propoſui, quo canone anathemata dicunt iis, qui homines iuſtificari docent, vel ſola imputatione iuſtitiæ Chriſti, vel ſola peccatorum remiſſione, excluſa gratia, & charitate quæ diffundatur in cordibus eorum per Spiritum ſanctum qui illis inhæreat: aut etiam gratiam qua iuſtificamur, eſſe tantum fauorem Dei. Hactenus canon Tridentinus.

Quis non miretur inſolſitatem decreti huius? ex vno diſcite omnia. Nam quomodo po-

poteſt homo iuſtificari ſola imputatione iuſtitiæ Chriſti, vel ſola peccatorum remiſſione, excluſa gratia? Num qui gratiam ſolam prædicat, is gratiam excludere poſſit? Nos qui iuſtificationem fieri imputatione iuſtitiæ Chriſti docemus, cum Apoſtolo, cum Patribus, gratiam ſolam prædicamus. Hæc enim eſt gratia illa, quam vnicam ſemper agnouit Eccleſia Chriſti, vt credentibus in Chriſtum peccata non imputentur, iuſtitia vero Chriſti imputetur. Concilium Tridentinum dicit, eos excludere gratiam, qui iuſtificationem affirmant eſſe in imputatione, hoc eſt, in ſola gratia. Heu quianam tanta patres vertigine raptos impulit huc cæcitas & durum cor? Sed profecto in iſtos ſcopulos abiici neceſſe erat eos, qui gratiam Dei, non fauorem tantum, & miſericordiam eſſe volunt, ſed virtutem noſtram.

Itaq; in iſta verborum confuſione pergunt Tridentini Patres, in eodem canone, & fumum abyſſi eiaculantur. *Excluſa gratia*, inquiunt, *& charitate quæ in cordibus eorum diffundatur &c.* Quemadmodum gratiam negãt eſſe fauorem Dei tantum, ita eodem fumo charitatem Dei ex oculis & conſpectu legentium abſcondunt. Nam Apoſtolus affirmat charitatem Dei effuſam eſſe in cordibus noſtris, per Spiritum S. qui datus eſt nobis. Tridentini veteratores expungunt vocem illam (Dei) vt ex induſtria fauorem Dei obſcurent. Et quod Apoſtolus de charitate Dei dixit, [Rom. 5. 5.]

dixit, qua nos Deus prosequitur: id illi immani sacrilegio immutando, & omittendo, Apostoli verba ad charitatem nostram rapiunt, sicut est virtus Theologica. Apostolus de charitate Dei disputat eo loco.

Postquam enim charitatem Dei in cordibus nostris effusam esse docuisset: charitatem illam verbis proxime sequentibus sic explicat: *Christus enim quum adhuc viribus essemus, suo tempore pro impiis mortuus est.* Et statim: *Commendat suam erga nos charitatem Deus, eo quod quum essemus peccatores, Christus pro nobis mortuus sit.* Num quis affirmabit, Apostolum hic agere de charitate nostra, qua nos diligimus Deum? affirmant Tridentini, & contra Apostolum insurgunt. Commendat suam erga nos charitatem Deus; inquit Apostolus. At isti dicunt se commendare suam erga Deum charitatem. Quod ergo Iohannes docet. *In hoc est charitas, nequaquam quod nos dilexerimus Deum, sed quod ipse Deus dilexerit nos, & miserit filium suum propitiatorem pro peccatis nostris*: id Tridentini patres, scilicet catholici, non verebuntur immutare hoc modo: *imo in hoc est charitas, nequaquam quod Deus dilexerit nos, sed quod nos dilexerimus Deum.* Quam absurditatem, & obganniendi insulsitatem vitare non possunt, qui gratiam Dei in virtutem nostram, & charitatem divinam, in charitatem nostram conuertunt. Charitas autem illa Dei, de qua tam diserte loquuntur Paulus, & Iohannes

Rom. 5.

1. Iob. 3. 4.

Apo-

Apoſtoli; quid eſt niſi pura miſericordia, & fauor ille Dei tantum, quem de Eccleſia ſublatum, & anathemate extinctum eſſe voluit Concilium Tridentinum.

Aquinas igitur, & Scotus Eccleſiam ingrediuntur tanquam duo fulmina belli Pontificii, tremendi ac robuſti duces cum vaſtatricibus exercitibus. Et quanquam magnam Thomas cum ſuis Thomiſtis cladem dederat, in multis tamen ab illo intacta atque inuiolata, imo & ab eodem propugnata antiqua doctrina perſtiterat: genuina patrum traditio in multis valuit. Quicquid vero à ſuperioribus Thomiſtarum iniuriis intactum integrumque remanſit: id omne Scotus cum horrendo Locuſtarum, Scotiſtarum inquam agmine ſubſecutus expoliauit, atque in captiuitatem Babylonicam abduxit. Iſtorum enim fumo ἐσκοτίσθη ὁ ἥλιος, inquit Iohannes: vt Scoti nomen in ipſo Locuſtarum exitu quodammodo proditum eſſe videatur. Quoties vero à Thoma puriores fontes ſectante, diffident Scotiſtæ, Tridentini patres σκοτίζοντες ex induſtria relicto Aquinate, vt plurimum Scoti ſequuntur placita. Interdum etiam deteriora ſecuti, Scotum ipſum improbitate & corruptelis ſuperant. Obſeruandum eſt interim, opiniones iſtas ſiue Thomiſtarum, ſiue Scotiſtarum, fuiſſe tantum inter priuatas opiniones fraterculorum habitas, non autem inter Eccleſiæ Roman. decreta, Apoc. 9. 2.

creta, antequam in Concilio Tridentino prò decretis sanciretur.

Reliquum est, vt dissensiones inter Theologos, & Iesuitas in hac re obseruemus. Vt facilius constare possit, quantum à patrum sententia Theologorum speculatio distet, quantum etiam à Theologis discrepent Iesuitæ. Nam de fide formata, & informi, mirificæ sese produnt inter Scholasticos & Iesuitas, vel contradictiones, vel absurditates. Fidem enim informem Theologi eam intelligunt, quæ est sine charitate. At Iesuitæ pro fide catholica declamitantes, nullam nobis aliam fidem relinquunt, quam informem. De informi fide Lumbardus sic scribit: a *Fides quam dæmones & falsi Christiani habent, qualitas mentis est, sed informis, quia sine charitate est.* Hæc ille. At Cardinalis Bellarminus nouam, & admirabilem traditionem è Tridentino conciliabulo inuectam promulgat his verbis: b *Fides improborum & dæmonum est vera, & recta fides ex parte obiecti.* Deinde probat etiam hanc fidem esse, catholicam, & iustificantem. Quod autem huius nequitiæ patronum adducit Augustinum, facit vt solet frustra, & falso. Quod igitur Scholasticis est fides informata, hoc Iesuitis est fides catholica. Iure quidem; nam se catholicos Iesuitæ, Ecclesiam suam catholicam, fidem suam catholicam, nullo modo probare se posse confidunt, nisi quomodo (horrenda

a *lib. 3. d. 23.*

b *lib. 1. de iustif. ca. 15.*

in

in Eccleſiam Dei blaſphemia) fidem dæmonum, & improborum catholicam ſtatuant. Hoc Bellarmino, cæteriſque Ieſuitis familiare eſt, vt quum catholicam fidem deſcribant, aliam nobis nullam oſtendant, quam informem illam dæmonum, & reproborum.

Errores de fide apud Pontificios inde orti auctique videntur, vt quod nullam adhibeant diſtinctionem fidei. Hæc res magnam, vt ſolet confuſionem parit. Neceſſaria igitur videtur fidei diſtinctio. Fides autem in ſcripturis varie ſumitur: vel eſt enim fides hiſtorica, quæ iſta dicitur, quia fidem habere poſſumus rei, nihil interim commodi aut vtilitatis expectantes ex ea re, quam credimus. De hac fide Iacobus loquitur, vbi ait, dæmones credere, & contremiſcere: vel fides eſt profeſſio fidei, adeoque ipſa religio. Sic dicitur obedientia fidei Roman. prim. quo loco fides pro fidei profeſſione, atque vniuerſa religione ponitur. Fides autem, ſicut notat fidei profeſſionem, poteſt eſſe vel vera, vel temporaria qualis deſcribitur Matth. decim. tertio, vigeſimo prim. vel dubia, & ſubdola, qualis deſcribitur Iohan. ſecundo 24. vbi Dominus credentibus in ſe non credit: & Iohannis duodecim. 44. vbi qui in eum credebant hominum gloriam antepoſuerunt gloriæ Dei. De fide miraculoſa non eſt neceſſe vt dicam. Hæc quæ breuiter dicta ſunt, oſten-

Fidei ſignificatio varia in ſcripturis.

Iac. 2. 19.

Rom. 1. 5.

ostendere possunt occasionem eorum errorum qui apud Pontificios inualuerunt. Nam nihil altius de fide sentiunt, quam vt fidem describant quæ est vel historica, vel quæ est fidei, & religionis externa professio. At præter istas fidei acceptiones alia est etiam in Sacris scripturis, fides iustificans, quæ certa fiducia recumbit in promissionem Dei, & remissionem peccatorum promissam sine hæsitatione recipit. Ignorantia distinctionis huius ex manifestis scripturis exceptæ, Pontificios in errorum Labyrinthos deduxit, ita, vt tanquam cæci ambulent, & andabatarum more in tenebris dimicent. Sic enim de fide, de obiecto fidei, de gratia, de iustificatione disputant, ita confuse, & tenebricose, vt mirum non sit si veritas istos fugiat, qui lucem ex industria fugere videntur, & de illis rebus disputare audent, quas non intelligunt. Nam fidem, gratiam, iustificationem quomodo possunt, aut qui non habent intelligere, aut qui non intelligunt docere?

Quum igitur dicat Bellarminus, improborum, & dæmonum fidem, veram, rectam, catholicam esse ex parte obiecti: non est silentio prætereundum, quod de obiecto fidei iustificantis tradit. [a] *Obiectum fidei iustificantis*, inquit, *non est specialis misericordia, sed omnia quæ reuelauit Deus in scripturis.* Hæc ille. Si de fide loqueretur, sicut est professio fidei, recte dixisse videretur, sed distinctiones,

[a] *Lib. 1. de iustif. cap. 8.*

nes, quæ lucem rebus afferre poſſunt, exhorrent Ieſuitæ. Bellarminus hæc de fide Iuſtificante intelligi vult. Sic enim idem repetit: a *Obiectum fidei iuſtificantis, quod hæretici reſtringunt ad ſolam promiſſionem miſericordiæ ſpecialis, catholici tam late patere volunt, quam late patet verbum Dei. Quin potius certam promiſſionem miſericordiæ ſpecialis, non tam ad fidem, quam ad præſumptionem pertinere contendunt.* Hæc ille. Loquitur ſemper de fide iuſtificante. Superius ex Lumbardo oſtendimus, fidem quam Bellarminus iuſtificantem vocat, eandemque & dæmonum fidem eſſe affirmat: eſſe fidem informem. Ita fides informis Bellarmino iuſtificans eſt. Iam vero oſtendemus è Scoto, hanc fidem quam Ieſuitæ iuſtificantem vocant, nihil eſſe aliud quam fidem ex puris naturalibus acquiſitam, a *Ibid. ca. 4.*

Quum de obiecto fidei diſputant Theologi, diſtinctionem illam tractare ſolent, de fide acquiſita, & infuſa. De quare hæc ſunt Iohannis Scoti placita. b *Certum eſt, quod in nobis eſt fides reuelatorum credibilium acquiſita.* Plura ex eodem adiiciam. c *Propter credulitatem articulorum reuelatorum, vt homo firmiter credat omnibus articulis reuelatis, & determinetur ad alteram partem ſine oppoſiti formidine, non oportet ponere fidem infuſam, nec neceſſitas eius poteſt ex hoc concludi.* Hæc Scotus. Quicquid ergo de fide iuſtificante docet b *lib. 3. diſt. 23. qu. 1.* c *Ibid.*

Bellarminus, illud Scotus fatetur verum esse, de fide acquisita. Quia fides acquisita apprehendit credibile reuelatum in scripturis. Sed plura (si placet) proferat Scotus, vt fides hæc Tridentina certius teneatur.

a *Ibid.* a *Fide*, inquit, *acquisita ex puris naturalibus, potest homo assentiri omnibus reuelatis à Deo.* Et mox: *Hoc igitur tenendum est tanquam certum, quod reuelatorum in scriptura est nobis acquisita fides, generata ex auditu & ex actionibus nostris, qua eis firmiter adhæremus.* Hæc ille. Denique differentiam fidei acquisitæ, & infusæ ostendit non esse ex parte habituum, sed ex parte obiectorum (si recte Scoti sententiam retulit Velloſillus in aduertentiis suis. Sic enim obseruauit ille. Quanquam hoc non habeat Scotus in eo quem is annotauit loco) quod si ex parte obiectorum nulla sit differentia inter fidem iustificantem, & acquisitam (sicut contendit Scotus, & è Scoto Bellarminus) sequetur profecto fidem iustificantem esse acquisitam, non infusam.

Quanquam igitur cum primariis Theologis non consentiant recentiores, optime tamen Iesuitis cum Scotistis conuenit. Magister fidem formatam requiri docet, quia informis, quæ est sine charitate, est dæmonum, & improborum: At Bellarminus hanc informem fidem sine charitate, quæ est dæmonum, & improborum, docet esse catholicam, & iustificantem. Formata fides ergo non

non requiritur, quandoquidem apud Scotistas & Iesuitas, nullus est fidei formatæ vsus. Magister charitatem requiri docet in fide formata, qua homo diligat Deum super omnia, & proximum sicut seipsum. Ad hoc veteres Theologi fidem infusam necessariam esse docuerunt. At Iohannes Duns noster diserte affirmat: *a* posse hominem ex puris naturalibus diligere Deum super omnia, & proximum sicut seipsum. Hæc Scotus. Vel ergo Charitas est ex puris naturalibus, vel non est necessaria, quandoquidem id agere possunt Scotistæ ex puris naturalibus, quod charitas iubet. Maxima pars Scholasticorum recentium hanc sententiam sequitur, & in Pelagianorum castra transiuit. Hæc placita Scotistis fixa, & Iesuitis, qui nunc à Roman. Pontifice ad aciem profligatam, ac plane deploratam restituendam Scotistis succenturiati milites summittuntur. Scotus enim fidei acquisitæ obiectum contendit esse credibile reuelatum in scripturis, hoc est, quæcunque Deus reuelauit in scripturis, vt loquitur Bellarminus. Hoc autem affirmat idem Bellarminus esse obiectum fidei iustificantis. Fides ergo iustificans, & acquisita non differunt ex parte obiecti. Atque hæc est fides horribilis Bellarmini, eadem iustificans, catholica, recta; eademque informis improborum, eademque dæmoniorum.

a lib. 3. d. 27.

Cum famosas istas speculationes de obiecto fidei ex puteo abyssi in Ecclesiam intulerint Scotistæ, à Scotistis exceperint Iesuitæ: necessarium videtur de obiecto fidei iustificantis succincte dicere, vt inter varian-

De obiecto fidei iustificantis.

tia hominum commenta aliquid certum è verbo Dei teneamus. Qui obiectum fidei iusti ficantis ponunt omnia in scripturis reuelata, in eo errant quod non distinguunt inter externam fidei professionem, & fidem iustificantem. Scotus, cum de obiecto fidei agit, fidem intelligit, vt continet fidei professionem. Hæc à Iesuitis ad fidem iustificantem rapiuntur, Nos, missis contentionibus, aliisque fidei acceptionibus, de obiecto fidei iustificantis hoc loco quæremus.

De obiecto fidei iustificantis agit Apo-

Rom. 4. 6. stolus 4. c. ad Rom. *Propterea*, inquit, *ex fide est, vt sit p gratiã, quo firma sit ꝓmissio vniuerso semini.* Quatuor inter se diuino vinculo concatenata aperit Apostolus hoc loco: gratiam, fidem, promissionem, & promissionis firmitudinem, vel certitudinem salutis. Propterea ex fide, vt sit per gratiam. Ergo fides est per gratiam excitatur à gratia. In quem finem excitatur fides à gratia? vt firma sit promissio. Fides ergo à gratia excitatur, vt in promissionem firmiter recumbat. Promissio igitur est obiectum fidei iustificantis proprium. Quia fides à gratia excitatur, vt apprehendat obiectum suum, apprehendit autẽ promissione? Quan-

tam

tam lucem afferunt pauca Apoſtoli verba? quantam confuſionem Scotiſtis & Ieſuitis?

1. *Propterea ex fide, vt ſit per gratiam.* Ergo fides eſt per gratiam, & ex gratia, ac proinde falſum eſt, atque impium quod docuit Bellarminus: *a* Fidem & conuerſionem noſtram eſſe in poteſtate liberi arbitrii. 2. *Eſt per gratiam, vt firma ſit promiſſio*: ergo eſt firma promiſſionis certitudo omni credenti, & falſum eſt atque impium, quod garriunt Ieſuitæ: *b* Firmam promiſſionem fiduciam non ad fidem, ſed ad præſumptionem pertinere. 3. *Propterea ex fide vt ſit per gratiam, quo firma ſit promiſſio.* Firmitudo igitur promiſſionis, & fiducia noſtra, non ex meritis noſtris, ſed ex ſola fide naſcitur. Contra Bellarmini errorem quem his verbis ponit: *c* Fiducia ſanctorum, quam de Deo conſtituunt, non ex ſola fide, ſed ex bonis meritis naſcitur. 4. *Vt firma ſit promiſſio vniuerſo ſemini.* Firmitudo igitur promiſſionis, & fiducia certa miſericordiæ eſt gratia conceſſa omni ſemini, hoc eſt, omnibus vere credentibus: ac proinde falſum eſt atque impium, hanc fiduciam non omnibus vere credentibus conceſſam eſſe, ſed tantum Prophetis, Apoſtolis, & paucis aliis per extraordinariam Spiritus S. reuelationem. Quod docent Ieſuitæ. 5. *Propterea ex fide, vt ſit per gratiam, vt firma ſit promiſſio*: Fides igitur per gratiam

a *Lib. de grat. & lib. arb. 6. cap. 15.*

b *Bellarm. lib. 1. de iuſtif. cap. 8.*

c *Lib. 5. ca. 3. de iuſtif.*

recumbit in promissionem, & proinde promissio est proprium obiectum fidei iustificantis.

Heb. 11. 1. Idem constat ex fidei definitione. *Fides*, inquit Apostolus, *est sperandarum substantia rerum, & argumentum non apparentium.* Quæ enim in promissione gratiæ continentur, sperantur, & non apparent. Quum ergo fidem definiat Apostolus per ea, quæ sperantur, & non apparent, quia hæc misericordiæ promissionem declarant, idem prorsus est, ac si diceret, fidem esse substantiam, & argumentum promissionis Dei. Quia fides iustificans recumbit in promissionem, hoc est in ea quæ sperantur, & non apparent, tanquam in verum & proprium obiectum.

Rom. 4. 20. Deinde Apostolus sic docet: aduersus promissionem Dei non disceptauit infidelitate, sed robustus factus est fide, dans gloriam Deo. Quibus verbis docet Apostolus, quid interſit inter fidem, & infidelitatem. Fidem enim fiduciam promissionis describit. Qui ergo fiduciam promissionis à fide iustificante excludunt, (quod faciunt Iesuitæ, maxime vero Cardinalis Bellarminus) quid reliquum faciunt, nisi illud, quod Apostolus hoc loco vocat ἀπιστίαν, hæsitantiam de promissione, seu infidelitatem. Apostolus etiam eodem loco ait, Abraham roboratus est fide, dans gloriam Deo, certo persuasus, quod vbi quid promisit, possit etiam præstare. Ideo impu-

Rom. 4. 20.

imputatum est illi in iustitiam. Non autem scriptum est, propter ipsum tantum, imputatum fuisse illi, sed etiam propter nos, quibus imputabitur: quo loco Apostolus agit de fide qua iustificatus est Abraham. Vnde istæ Theses certo firmantur. Prima: *Fides iustificans est fides imputata in iustitiam.* Secunda: *Fides iustificans est fides, qua fideli certo persuasum est de promissione Dei.* Tertia: *Fides Abrahæ, & nostra eadem est, quoad obiectum, & modum imputationis.* Hęc omnia in disertis Apostolis verbis inhærent.

Sic ergo contra Iesuitarum ἀπιστίαν confirmat nos Apostolus. Fides est, qua promissio firma est, vt firma sit promissio. Firmitudo hæc promissionis, est fiducia promissionis, fiducia hæc est sine hæsitantia. Apostolus hæsitantiam excludit ne aduersum promissionem Dei disceptemus infidelitate, vt roborati simus fide, dantes gloriam Deo. Remota est hæc Schola à Iesuitarum sensibus, qui pugnāt pro hæsitantia, docentq; omnes incertos esse de salute debere, promissionem non esse certa fiducia excipiendam, fiduciam promissionis esse præsumptionem. Ita Iesuitæ. Hæsitantiam igitur, & ἀπιστίαν inducunt, fidem penitus tollunt. Iam si quis fidem definierit infidelitatem, & hæsitantiam, πίστιν, ἀπιστίαν, num sanus videbitur? At hoc docent Iesuitæ. Imo Ecclesiam Christi inuictis clamoribus exagitant, vt hanc suam ἀπιστίαν inferre possint.

Apostolus Christi insanos istorum clamores compescat. Sic enim proponit Apostolus: Fides quæ in promissione Dei hæsitat, est ἀπιστία: hoc est manifestis Apostoli verbis certo constat. At assumunt Iesuitæ, fides catholica hæsitat in promissione Dei. Non enim est fides, inquiunt, sed præsumptio, si quis apprehendat certam, & firmam promissionem misericordiæ. Concludimus nos fidem, quam isti vocant catholicam, esse omnino ἀπιστίαν. Eodemq; modo probamus fidem istarum non dare gloriam Deo; quia quæ hæsitat in promissione non dat gloriam Deo, ex eodem Apostolo. Atque hæc est fides Iesuitarum catholica, scilicet ἀπιστία quæ Deo gloriam dare non potest. Nunquis salutem istis spondere possit, qui fidem catholicam ita mutarunt, vt eius loco horrendam confusionem de ἀπιστία intulerint? Non dubito quin inter Pontificios plurimi sint, qui ab hac Tridentinæ fidei traditione penitus abhorreant. Illud tamen non dubitanter affirmauerim, neminem ex verbo Dei salutem istorum probare posse, qui hanc sequuntur traditionem: sicut faciunt Iesuitæ omnes.

Hæc est fides illa, quam contra scripturas, contra antiquos patres, imo contra Ecclesiam Roman. à Scotistis hausit Concilium Tridentinum. Nam ante tempora huius Concilii vixit, viguitque etiam in Roman. Ecclesia fides catholica. Viderint illi quam spem salutis habere possint, qui anti-

antiquam fidem Catholicam immutarunt. Nos quum promiſſioni DEI adhæremus firma fide, DEVM habemus authorem, cuius ſpiritu credentes ducuntur: Apoſtolum habemus Doctorem, cuius doctrina Eccleſia inſtituitur: Abrahamum habemus patrem, quem ſequimur; cuius fides ab Apoſtolo eo nomine laudatur, quod in promiſſione DEI non hæſitauerit τῇ ἀπιστίᾳ, ſed roboratus fide dederit gloriam DEO. Exemplum patris credentium ab Apoſtolo credentibus omnibus proponitur. Dicant iam Ieſuitæ, quemnam patrem, quem authorem ſequantur ipſi, qui ἀπιστίαν, hæſitantiam, & infidelitatem in promiſſione tantopere inculcant? & firmam in promiſſione fiduciam, non ad fidem, ſed ad præſumptionem pertinere docent. In hanc cæcitatem iuſto DEI iudicio abiiciuntur, qui veritatem cum flagitioſa vita ſe retinere poſſe ſperant. Contendunt Ieſuitæ, homines impuros, in quibus nulla eſt interna virtus, eſſe vera ſanctæ Eccleſiæ membra: Contendit Cardinalis Bellarminus, [a] Romanorum Pontificum ſcelera, & flagitia non impedire, quin idem Pontifex ſit lapis probatus, angularis, pretioſus, in fundamento fundatus ab Eſaia propheta prædictus, quam horrendam hæc in CHRISTVM blaſphemiam continent? ſed ita oportuit eos excæcari, qui veritatem cum ſceleribus, & flagitiis coniungere volunt. CHRISTVS do-

[a] *Præfat. in lib. de ſumm. Pontif.*

minus Ecclesiam suam longe aliter instituit, *Si quis*, inquit, *voluerit voluntatem eius facere, cognoscet de doctrina, vtrum à DEO sit, an ego à metipso loquar. Qui à semetipso loquitur, gloriam propriam quærit: qui autem quærit gloriam eius, qui misit eum, hic verax est, & iniustitia in illo non est.* Iesuitæ igitur, qui vt impurius viuant, sanctitatem in Ecclesiæ membris non esse necessariam arbitrantur; qui voluntatem Papæ facere volunt, qui ex semetipsis loquuntur; veritatem DEI quomodo retinere possunt? rectè, & sanctè sanctus Augustinus. a *In cognitione cauendum est error, in actione nequitia. Errat autem quisquis putat veritatem se posse cognoscere, quum adhuc nequiter viuat,* Hæc ille.

Ioh. 7. 17.

a Libr. de operc Monach. c. 13.

Hæc nobis necessaria videbantur admonuisse, vt constare possit, ex quo fonte Iesuitæ hodie solius fidei iustificationem impugnent: ex doctrina scilicet Scoti, antiquis ignota. Isti quidem sophismatis suis quid aliud agunt, quam vt fidem iustificantem è fidelium oculis abscondant, & conuertant in fidem historicam, in acquisitam, in informem, denique in dæmonum fidem, nihil est enim in fide Scotistarum, & Iesuitarum, quod non sit etiam in fide dæmonum.

Quanto tutior est fides nostra, quæ verbo DEI innititur, testimonium habens à lege, & Prophetis, ab Apostolis, ab vniuersa Ecclesia, ab ipsis denique aduersarijs. Vt igitur inui-

iuſtitiæ veritatis vis appareat, à coacto illo, & vi veritatis extorto Bellarmini teſtimonio, quod ſuperius poſuimus, tandem concludamus. a *Propter incertitudinem propriæ iuſtitiæ, & periculum inanis gloriæ, tutiſſimum eſt fiduciam in ſola DEI miſericordia, & benignitate reponere.* Hæc ille. Quod perinde eſt, ac ſi diceret: quanquam ego ad ſcribendum à Romano Pontifice conductus hæc contra ſolius fidei iuſtificationem, & ſolius miſericordiæ fiduciam ſcripſerim: profiteor tamen hanc doctrinam, quam oppugnaui, tutiſſimam eſſe: Et quia nulla ſententia de fide tutiſſima eſſe poteſt, niſi quia eſt veriſſima, eandem profiteri cogor veriſſimam eſſe: ac proinde contrariam ſententiam, quam de operum meritis ex congruo hominum nondum renatorum confirmare volui, eſſe falſiſſimam.

a Lib. 5. de iuſtif. c. 7.

QVARTAE CONtrouersiæ

Pars Prima:

Contra Pontificios,

DE GRATIA INHÆRENTE.

Theses Pontificiæ.

Si quis dixerit homines iustificari vel solâ imputatione iustitiæ Christi, vel sola peccatorum remissione, exclusa gratia, & charitate, qua in cordibus eorum per spiritum S. diffundatur, atq; illis inhæreat: aut etiam gratiam qua iustificamur, esse tantummodo fauorem Dei, anathema sit. Concil. Trid. sess. 6. can. 11.

Est gratia (quemadmodum Tridentina Synodus ab omnibus credendum pœna anathematis proposita, decreuit) non solum per quam peccatorum fit remissio, sed diuina qualitas in anima inhærens, ac veluti splendor quidam, & lux, quæ animarum nostrarum maculas omnes delet, ipsasq; animas pulchriores, & splendidiores reddit. Catechismus Concil. Trid. tractat. de sacram. baptismi.

Theologorum communis sententia est, gratiam esse habitum supernaturalem, à Deo nobis infusum, quo anima exornatur, & perficitur, adeoque iusta, Deoque grata & accepta redditur. Bellarm. lib. 1. de grat. & lib. arbit. cap. 3.

Certe si gratia iustificans à virtutum Theologicarũ habitibus distingueretur, iure Concilium Tridentinum

tionum reprehendi posset: gratia ergo iustificans non distinguitur ab habitu charitatis. Bell. ibid. c. 6.

Potest homo nondum reconciliatus per opera pœnitentiæ impetrare, & mereri ex congruo gratiam iustificationis. Bellar. de iustific. lib. 5. c. 22.

CAPVT I.

Status quæstionis explicatur.

IN quæstione de gratia Dei, Pontificii veritatem, per inhærentiam suam conturbant, contra quam nobis hoc loco certandum est.

Quæstio hæc de gratia iustificationis, vt grauissima est, ita cognitione nostra dignissima; vnde maximam tractatio hæc secum adferet vtilitatem, & fructum. Ex ea enim constabit ipsos fontes religionis apud Pontificios veneno infectos esse, atque ex hoc puriſſimo fonte corrupto, alios errores facile profluxisse.

Pelagiani veteres, & quicunque errores de gratia, vel excogitarunt, vel ab aliis inuentos suscipiunt, in eo maxime peccarunt, quod reiectis scripturis, aliam huius verbi acceptionem amplectuntur, quam sacræ literæ prodidere. Nam Pelagius gratiam quidem prædicabat, sed intelligebat liberum arbitrium, & gratiam illam, quam hominem accepisse putabat, in creatione. Eodemque modo Tridentini gratiam DEI prædicant, sed gratiam ab ipsis confictam, quam è scripturis ostendere non possunt. Nam Tridentini sententiam suam ita exponunt, vt gratiam distinguant in eam, quæ gratis data est, & quæ gra-

Distinctio gratiæ, in gratis datã & gratum facientem.

gratum facit, gratis datam docent esse donum supernaturale, absque vllo debito collatum; præcipue ad aliorum salutem: de hac gratia nō est quæstio inter nos. Gratiam autem gratum facientem dicunt esse, vel permanentem, siue habitualem, vel auxilii specialis: gratiam illam permanentem, habitum esse, vel qualitatem, per modū habitus nobis inhærentem, qua quidem qualitate nos Deo gratos esse, atque iustificatos contendunt: hanc autem habitualem qualitatem nihil aliud esse quam charitatem. Sic isti gratiam explicant.

Nos de gratia Dei, verbum Dei consulendum iudicamus: quia nisi scripturarum lucem sequamur ducem, ab errore liberari non possumus, distinctionem superiorem gratiæ gratis datam, & gratum facientem, non repudiamus, quia in scripturis continetur, nā quæ Apostolo χαρίσματα vocantur gratia à Scholasticis gratis data intelligitur. Sed nos hic gratiam illam quærimus, qua saluamur, non tam de aliis gratiæ acceptionibus solliciti, in hac potissimum insistemus. Gratia apud Latinos scriptores, vt & χάρις apud Græcos, decorem significat, & venustatem. At in vsu linguæ Hebraicæ hanc verbi huius vim non reperies, vsitata locutio est apud Hebræos: inuenit gratiam in oculis eius. De Noa dicitur, quod inuenerit gratiam in oculis Domini, in Hcb. est מָצָא חֵן, i.e. inuenit misericordiam. Hinc illę vsitatissimæ locutiones in sacris literis, si inueni gratiam in oculis tuis: Hebraice est, si inueni misericordiam. Igno-

Gratia quid significet.

Gen 6. 8.

Ignorantia idiomatũ fefellit incautos homines in vſu huius verbi. Nam ſi quis relictis fontibus Hebraicis, in vſu Latinæ, aut Græcæ linguæ vim huius verbi quærat, longè erit à veritate. Gratiæ igitur explicatio è ſacris literis petenda eſt. Quod ad verbi vim attinet, idem prorſus eſt gratia, quod Hebræis miſericordia. Apoſtoli igitur in Nouo Teſtamento gratiæ vocabulo vtuntur, vt patefaciant miſericordiam DEI, & ſupereminentem illam charitatem, quæ in Chriſto Ieſu manifeſtata eſt, in liberandis hominibus à captiuitate diaboli, ac ſeruitute peccatorum ſuorum, à qua lex homines liberare non potuit. Ac proinde ſæpiſſime opponitur ſupereminens hæc DEI charitas, legi, & operibus noſtris, & iuſtitiæ noſtræ, nobis inhærenti: vt in Eccleſia credentium certo conſtare poſſit, hanc liberationem credentes, non à lege, ſed à CHRISTO, non omnino à ſeipſis, ſed à DEI fauore & miſericordia habere. Atque hæc eſt illa ſupereminens DEI charitas, & fauor, quæ in ſcripturis noui teſtamenti dicitur, *gratia*; *& ſupereminens magnitudo virtutis eius in nos, qui credimus, ſecundum operationem potentiæ virtutis eius, vt poſſimus comprehendere cum omnibus ſanctis, & ſcire ſupereminentem ſcientiæ charitatem* CHRISTI. Ita ſcriptura appellat gratiam, ſupereminentem magnitudinem virtutis eius in nos, & ſupereminentem charitatem: conſtat autem in cognitione CHRISTI. Ephes. 1. 19.

Hæc

Hæc est gratia DEI, cuius sana doctrina in Ecclesia conseruata fuit, & per successiones tradita, & celebrata, donec Scholastici Theologi suis horrendis figmentis commutarunt eam. Tunc enim inimicus humani generis, dormientibus hominibus venit, & superseminauit zizania in medio tritici, & abiit. Hæc zizania postquam radices altioris in fraterculorum opinionibus egerunt, maxime apparuerunt in Concilio Tridentino. Dominus autem messis suo tempore mandabit messoribus suis, vt ea in fasciculos colligant ad comburendum. Nec potuerunt Tridentini manifestius à CHRISTO ad Pelagium transire, quam vt hanc saluberrimam doctrinā corrumperent. Relicto enim Christo & Euangelio, vt meriti fundamentum stabilire possint, confingunt gratiam, qua salua-mur, & iustificamur, esse qualitatem animę inhærentem, animæ nitorem, habitum inhærentem, habitum istum dicunt, per præparationes, & dispositiones nostras acquiri posse, sicut externa philosophia docet per multas dispositiones habitū tandem acquiri. Iohan. Scotus, quem sequūtur Tridentina πάντες, docet, istas dispositiones, & præparationes peccatorē posse ex puris naturalibus ita præstare, vt illi gratia ex merito congrui cōmunicetur. Quanquam sunt quidam inter pontificios theologos, quos tandem pudere cœpit huius tam crassi Pelagianismi. Et speramus, re bene explorata, plures etiam futuros, qui in hac re

Tri-

Tridentina principia deserenda sibi necessariò esse, iudicabunt. Quæstio igitur inter Ecclesiam Catholicam, & Pontificios est; vtrum gratia Dei qua iustificamur, sit misericordia, siue fauor Dei tantùm, & supereminens illa Dei charitas, qua nos peccatores dilexit Deus in Christo, sicut semper docuit Ecclesia Catholica; an verò habitus, inhærens nobis, vel charitas nostra, & nitor, & splendor animæ, sicut ex Theologorum nouis commentis docet Concilium Tridentinum.

CAPVT II.

E Scripturis probatur gratia Dei.

PRimo, vt instituti nostri ratio postulat, ex sacra scriptura gratiam, & gratiæ cognitionem quæremus. Deinde ad hunc lydium lapidem reliqua examinabuntur. *Ei qui operatur,* inquit Apostolus, *merces non imputatur ex gratia, sed ex debito: ei verò qui non operatur, sed credit in eum, qui iustificat impium, imputatur fides sua pro iustitia.* quo loco Apostolus docet, meritum cum fide, & gratia, consistere non posse, nam merces quæ ex merito debetur, quid est nisi debitum? at merces illa ex debito, vel merito, non est ex gratia, quia ei qui non operatur, sed credit in eum qui iustificat impium, fides sua imputatur pro iustitia, atque ita gratia demõstratur. Itaque in iustificatione impii, fides & gratia Dei sola commendatur nobis. Si merces, & debitum, & meritum hoc de congruo, Rom. 4. 4.

cum gratia consistere non potest, quomodo poterit hæc gratia esse habitus inhærens? quia habitus, ex operationibus consurgit, gratia operationes excludit: quia ei qui non operatur, merces imputatur ex gratia. Nec sufficit distinctio habitus, in infusum, & acquisitum; nam quamuis Tridentini infusum hunc habitum agnoscant, pertinaciter tamen hanc conclusionem retinent, hunc habitū ex multis præparationibus, & dispositionibus haberi. Atque ita hunc habitum explicat Scotus, quique eum sequuntur, vt nihil plane differat ab habitu acquisitò. Et ratio manifesta conuincit: nam si habitus hic per dispositiones, & præparationes nostras habetur, quomodo differt ab habitu acquisito? at omnes Tridentini in eo conſentiunt, quod per dispositiones & præparationes nostras acquiri possit. Frustra igitur nomen infusi habitus retinetur, quò Pelagianismus contectus, incautis non appareat. Impius iustificatur ex gratia, non operans, sed tantum credens in eum, qui iustificat impium: nō ergo ex habitu inhærente. Quando impius iustificatur, & ex impio fit pius per gratiam; ostendunt nobis Tridentini, quis habitus aut nitor inhæreat impio: quem si nemo mortaliū ostendere potest, quid est quod non cedant virtuti. nam in iustificatione impii omne debitum, ac proinde omne meriti, omnes præparationes nostras, omne nobis inhærens excludit Apostolus, vt gratiam solam stabiliat.

Dein-

Deinde ſic etiã docet Apoſtolus: *Propterea ex fide, vt ſit per gratiam, vt firma ſit promiſſio vniuerſo ſemini.* Habitus ille inhærens, intelligitur eſſe in charitate noſtra, atque in operibus. At Apoſtolus dixit: Propterea ex fide, vt ſit per gratiam. Ergo in iuſtificatione impij fides & gratia ſtatuitur, ſine operibus, & inhærente qualitate noſtra. In iuſtificatis charitas ſeſe prodit, & bona opera fiunt, tanquam fructus huius gratiæ. Neque opera illa ſunt ſine gratia: ſed nos gratiam quærimus, qua iuſtificatur impius coram Deo, quam in virtute nobis inhærente eſſe negat Apoſtolus. Ac proinde electio Dei gratuita, quæ ex ſolo Dei beneplacito conſiſtit, dicitur electio gratiæ, Rom. 11. 5. *Reſeruatio*, inquit, *facta eſt ſecundum electionem gratiæ.* Ergo Deus per gratiam elegit homines ad fidem, & ſalutem. Quod ſi gratia hæc ſit habitus nobis inhærens; iam electio, & prædeſtinatio erit ſecundum qualitates noſtras inhærentes. Itaq; anathema Tridentinum ſic ex Apoſtolo refutamus: gratia eſt ſecundum quam Deus eligit, & prædeſtinat homines ad fidem, & ſalutem; eſt igitur miſericordia, & fauor Dei tantummodo. Rom. 4. 16.

Apoſtolus etiã ſic diſputat: *Quod ſi per gratiã, iam nõ ex operibus, alioquin gratia iam nõ eſt gratia; ſin ex operibus, iam nõ ex gratia, alioquin opus iam nõ eſt opus.* hæc Apoſtolus. Quid ergo reſpondebũt Ieſuitæ, ſi q; ratione ſic colligat Quod ſi p gratiã, iam nõ ex habitibus inhærentibus, aut ex a- Rom. 11. 6.

liquo animæ nitore habituali; alioqui gratia iam non est gratia. nam disputat de gratia electionis, quæ, sicut excludit opus nostrum, sic omne nobis inhærens. Atque vt intelligamus, gratiam Dei esse quiddam extra nos, nō in nostris habitibus aut virtutibus situm, Apostolus gratiam Dei in proposito Dei reconditam, atque inde nobis prodeuntem ostendit. itaque propositum vocat propositum gratiæ Rom. 4. 5. sicut & electio dicitur electio gratiæ Rom. 11. 5. & prædestinatio dicitur præparatio gratiæ. quia prædestinatio est secundum propositum; ex prædestinatione autem est vocatio, ex vocatione iustificatio, ex iustificatione glorificatio. Hinc Augustinus obseruat, plenitudinem Christi in Ecclesiam defluentem, quia ex plenitudine eius omnes accepimus, & gratiam pro gratia. quid est, *gratiam pro gratia?* gratia prædestinationis, & gratia vocationis, est gratia ex misericordia Dei tantummodo. pro qua, & ex qua est fides. pro fide iustificatio, hoc est gratia pro gratia. pro iustificatione sanctificatio, & tandem glorificatio, id est, gratia pro gratia. nam vitam æternam gratiam esse, & gratuitum Dei donum docet Apostolus Rom. 6. 23. stipendium, inquit, peccati est mors: at vita æterna est χάρισμα θεοῦ, id est, donum Dei gratuitum. Hæc autem gratia, quæ datur secundum propositum, & electionem, quæ datur per prædestinationem, per vocationem, per hdem, per iustificationem: num quis sanus existi-

existimabit esse qualitatem nobis inhærentem? num eligimur per qualitatem nobis inhærentem; num prædestinamur per qualitatem inhærentem? num vocamur per qualitatem nobis inhærentem?

Eadem verò veritas constat ex iis scripturæ locis, quæ charitatem Dei nobis commendant. Nam sicut docet Apostolus: *Charitas Dei effusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis. Christus enim, cum nullis adhuc essemus viribus, suo tempore pro impiis mortuus est, &c. Commendat autem suam charitatem erga nos Deus, quod cum adhuc peccatores essemus, Christus pro nobis mortuus sit.* Ex quibus verbis genuina gratiæ explicatio petenda est: vt gratiam intelligamus in charitate Dei constitutam, non in charitate nostra. Hic sese Tridentini expediant, qui docent, gratiam, qua iustificamur, non esse tantum fauorem Dei, sed virtutem nobis inhærentem seu charitatem nostram. Apostolus ait, charitatem Dei effusam esse in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis. Prius docuerat, iustificatos nos ex fide pacem habere erga Deum per Dominum nostrum Iesum Christum, per quem etiam habemus aditum in hanc gratiam, in qua stamus. Tridentini, qui ex habitibus inhærentibus iustificari se credunt, hanc pacem apud Deum penitus ignorant. Itaque Cardin. Bellarminus multas paginas consumit, vt probet incertitudinem gratiæ & iustitiæ, nec mi- *Rom. 5. 5. 6. 8.* *Lib. 3. de iust. fidei.*

ramur, si Tridentini pacem hanc apud Deum inuenire non possint. Vbi enim est incertitudo gratiæ & iustitiæ, pax erga Deum esse non potest. At quum iustificati habeamus pacem erga Deum, & aditum ad hanc gratiam in qua stamus; quod docet Apostolus: operibus autem suis, & inhærenti qualitate, & habituali suo nitore iustificati, incerti semper sint de gratia, & pace erga Deum, quod fatentur Tridentini: num quod aliud euidentius, aut illustrius argumentũ produci potest, quam hoc, quo veritas, & sapientia, & à filiis suis, atque etiam ab inimicis suis iustificatur. Gratia diuina certa est, quæ pacem apud Deum præstat, gratia Tridentina incerta est, nec pacem erga Deum præstare potest; non est ergo hæc Dei gratia. Quod iustificemur, quod pacem habeamus, quod gloriemur sub spe gloriæ, quod gloriemur in afflictionibus, totum hoc est ex gratia. Deinde progreditur Apostolus; si quis enim quærat, vnde sit hæc tanta gratia? Respondet Apostolus, ex charitate Dei. Nam charitas Dei effusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis. Non est ergo ex nobis, sed à Deo, non ex inhærenti qualitate nostra, sed ex effusa charitate Dei.

At dicunt Tridentini, charitatem illam Dei, quam docet Apostolus effusam esse in cordibus nostris, esse gratiam, & charitatem nobis inhærentem, qua nos diligimus Deum. Sic docet Concilium Trident. sub pœna anathema-

thematis, sess. 6. Apostoli igitur verba sunt sess. 6. cap. 11.
accuratius excutienda. Charitas Dei effusa est, ἐκκέχυται. Vtitur Apostolus effundendi verbo, vt exprimatur benignitas donantis, non virtus recipientis hanc gratiam. Ac proinde non pro expectatione, aut meritis nostris, tanquam merces redditur, sed pro voluntate, & ad mensuram donantis effunditur. Charitas ergo hæc Dei est, non nostra inhærens: non enim mihi Deus commendat charitatem meam, sed commendat Deus nobis, inquit Apostolus, charitatem suam.

Charitas ergo hæc Dei diffusa est in cordibus nostris. Quare in cordibus nostris? Dicitur in Psalmis: *Effusa est gratia in labiis tuis.* Psal. 44. 3.
Quæ verba de Christo prolata sunt, sed quæ de Capite in scripturis dicuntur, ad membra relata intelliguntur, quatenus à Capite ſit membris communicatio gratiæ. Est itaque gratia effusa in labiis nostris, & gratia effusa in cordibus nostris. In cordibus nostris ad credendum, in labiis nostris ad confitendum: *Corde enim creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem.* Gratia primum est Rom. 10. 10.
in cordibus eius, deinde in labiis. A corde fluit ad labia, atque ad omnes corporis animæque potentias. Totus enim homo, & omnia quæ sunt in homine suaviter Deo subiguntur simul ac hæc gratia locum sedemque suam acceperit in corde hominis effusa. Ezech. 16.
Hinc est quod sapiens ait: cor sapientis eru-

dicit os eius, & labiis eius addet gratiam. Itaque gratia est in ore, & in labiis, sed quæ procedit à corde; in corde à Deo est. Hæc est virtus illa, quæ mutat cor nostrum, id est, cor durum. Nam quod nostrum est cor, durum est. Sed hæc virtus Dei cor nostrum durum mutat, & potentia sua emollit; antequam Deus hanc gratiam effundat, cor nostrum durum est. Sed gratia effusa in cordibus nostris, ex duris carnea, & iam mollita reddit. Itaque cor mollitum iam nostrum etiam est. Sed virtus illa, qua mollitur cor, nostra non est, habitus noster inhærens non est. De hac virtute contendimus cum Tridentinis.

Hæc autem virtus optimè describitur hoc loco ab Apostolo. Docet enim vnde sit? quænam sit? vbi sit? per quam denique potentiã, aut operationem sit, atque operetur in nobis? Si quæras vnde sit? est à Deo. quia charitas Dei effusa est in cordibus nostris. Si quæras, quænam sit? sic illam explicat Apostolus: commendat Deus suam charitatem erga nos, quod cum adhuc peccatores essemus Christus pro nobis mortuus est. gratia ergo illa, quam Deus nobis commendat, est virtus Christi crucifixi & pro nobis peccatoribus mortui. Si quæras vbi sit? est in cordibus nostris in quibus Dei charitas effusa est. Si quæras per quam potentiam, aut operationem sit, atque operetur in nobis responsio est in illis verbis, per Spiritum sanctum, qui datus est nobis.

bis. Hic ergo est charitas Dei, virtus Christi, operatio Spiritus Sancti. nihil hic meum innenio, nisi cor, in quod effusa est hæc gratia. Sed nec cor meum recipere potest hanc gratiam, nisi à Deo mutatum, imo verò, & noua creatione denuo creatum. ac proinde ad illum clamare non cessabo, cum Propheta: *cor mundum crea in me Deus, & Spiritum rectum innoua in visceribus meis.* Iam ergo vbi est nitor ille, & splendor, scilicet, animæ inhærens, & Deo nos gratos & iustos reddens? gratia hæc est virtus Christi pro nobis peccatoribus mortui, quæ cum merito de congruo stare non potest. quia peccator nondum reconciliatus Deo, nihil habet intra se, quo Deum placare possit, donec hæc charitas Dei cor eius tangat. Fons igitur gratiæ extra est, à Deo. Sedes in qua effunditur intus est, cor nostrum, iam nouum, iam denuo creatum; vis operans, quę tantum bonum in cordibus nostris operatur, est operatio Spiritus Sancti. Ergo nec virtus nostra est, nec qualitas nostra, non opus nostrum, non operatio nostra. nihil nostrum dicere possumus, nisi cor, cor durum ex natura: cor de nouo creatum, ex gratia. Non quæro hoc loco dê voluntatis libero arbitrio. Scio me libere voluisse quodcunque volui, siue quum voluntas hæc duro cordi seruiebat, siue quum de nouo creato cordi inseruit. Voluntas liberè voluit quicquid voluit. Hoc vnum mihi certum est, liberatum me ex miseria mea, ac iustificatum per gratiam. Hanc autem gratiam Psa. 50. 12.

non esse virtutem mihi inhærentem, sed virtutem Christi pro me peccatore mortuo. Et certo perfuasus sum, omnes Tridentinos diabolos hanc mihi fidem eripere non posse. Hæc monui ex occasione huius loci à Tridentinis improbe in alienum sensum detorti.

Tridentini ergo, qui charitatem hanc Dei, in charitatem nostram conuertunt contra diserta Apostoli verba, tanquam cæci in suam perniciem ruunt. Christus enim mortuus est pro nobis peccatoribus, infirmis, impiis, inimicis suis. Vbi tunc erat nitor ille animæ inhærens, quum nos peccatores fuimus, infirmi, nullas vires habentes, impii, inimici? Vbi nam gentium tunc erat gratia ista Tridentina, inhærens ista virtus? Certe ipsorum confessione nondum erat. At gratia Dei tunc erat illustris, & per nostram etiam miseriam illustrior: per gratiam enim liberati sumus ab hac miseria. Num quis tam vecors repertus est, aut forte in posterum reperietur, qui dicet nos liberatos esse ex miseria nostra, ex peccatorum seruitute, & iugo Diaboli per aliquam nobis inhærentem qualitatem, aut nitorem internum? furiosos esse constabit qui ita docuerint. Expediant ergo se Tridentini: & dicant, quomodo gratia qua iustificamur, qua liberamur à miseria, sit virtus nobis inhærens, vt non etiam virtute nostra liberemur à peccatis & miseria. Vel si hæc expedire non possint cedant manifestæ veritati, & contra

ana-

anathema Tridentinum dicant, gratiam qua liberamur à peccatis noſtris, & miſeria, eſſe à charitate Dei tantummodo. Quia charitatem ſuam Deus commendat nobis, quod quum eſſemus peccatores, Chriſtus pro nobis mortuus eſt.

Hæc eſt illa charitas Chriſti, à qua nihil poteſt ſeparare credentes. *Quis nos ſeparabit à charitate Chriſti? an tribulatio? an anguſtia? an fames? an nuditas, an periculum? an perſecutio? an gladius? certus ſum, quod neque mors, neque vita, neque Angeli, neque Principatus, neque virtutes, neque inſtantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia, poterit nos ſeparare à charitate Dei, quæ eſt in Chriſto Ieſu Domino noſtro.* Ex hoc loco recolant Tridentini ſpem ſuam, & gratiam quam ſectantur in charitate ſua, vt putant iſti, ſitam, quæ ita eſt mutabilis, incerta nutanſque, vt ipſorum confeſſione nihil illa incertius eſſe poſſit. Hinc eſt, quod de incertitudine ſalutis diſputare ſoleant, quia relicta charitate Dei, à qua nulla creatura credentes ſeparare poteſt inhærent in figmento ſuo, quod ipſos adiuuare non poteſt. Miſeram gratiam Tridentinam ab hominibus otioſis inutiliter confictam, & fabricatam, quæ cultores ſuos non ſeruare, nō ſanare poſſit, ſed incertos, dubios, anxiis conſcientiæ ſtimulis vexatos dimittit. Hæc eſt illa gratia, quæ nec ſalutem promittere, nec pacem conſcientiis præſtare poteſt. Rom. 8. 35.

CA-

CAPVT III.

Bellarmini responsum diluitur, & gratia confirmatur.

a *lib.1.de Grat.& lib. arbit.cap.7.*

BEllarminus, ne nihil dixisse videatur, responsionem excogitat ipso nihilo leuiorem. Nam sic ait: a *Deus duobus modis nos diligit, vno modo, vt simus iusti, alio modo, quia sumus iusti, & sancti.* Hæc ille: sed nihil ad propositum. Non enim negamus, Deum sanctos suos diligere; quia quos semel dilexit, semper diligit. *Quum dilexit suos, qui sunt in mundo, vsq; ad finem dilexit eos.* Sed omnis controuersia est, de priore modo, quo Deus nos diligit, vt iusti, & sancti simus. Nam hæc est illa gratia iustificationis, quæ quia prior est charitate nostra, & causa charitatis nostræ, certe hæc est gratia, qua nos prior dilexit Deus, non potest esse virtus nostra.

Ioh.13.1.

b *Bellarm. ibid.*

Sed attendite artificium Sophistæ. b *Charitas quæ in nobis est*, inquit, *quum effectum, & obiectum est benevolentiæ Dei, vt effectum, est illa posterior, vt obiectum est prior.* Nescio quid noui monstri semper parturiant Ieuitæ. Vt probet, charitatem nostram esse aliquo modo priorē charitate Dei, fingit horrendum figmentum: charitatem nostram esse obiectum charitatis diuinæ; atq; vt est obiectum, ita esse priorem. Atque ita Sophistica Bellarmini plane enervat Theologiam Iohannis Apostoli. Nam si charitas nostra est obiectum charitatis Dei, ac proin-

proinde prior; fefellit nos Iohannes, quum docet; *in hoc esse charitatem, non quod nos dilexerimus Deum, sed quod ipse dilexerit nos, & miserit filium suum, vt esset propitiatio pro peccatis nostris.* Ergo obiectum charitatis diuinæ, non erat nostra charitas, sed nostra miseria. Et ne quis præuisam charitatem nostram iactare possit, idem Iohannes docet, esse causam antecedentem charitatis nostræ. Nos; inquit, diligimus eum, quoniam ipse prior dilexit nos. Quis in tam perspicuis scripturæ verbis, tantam Sophistarum audaciam ferendam putet?

Ioh. 4. 10.

Ibid. vers. 19.

Deinde in apertum Pelagianismum ista erumpunt. Nam obiectum, vt loquuntur Scholæ, est mouens, non motum. Si ergo charitas nostra sit obiectum charitatis diuinæ, non mouetur à charitate Dei, sed mouet illam. Et quid est hoc, nisi quod docuit Pelagius, esse aliquid in nobis, quod Deum mouere potuit, atque excitare, vt nos diligeret. Si quis dicat Bellarminum aduersus hûc errorem viam obstruxisse, quum initio dixerit, gratiam gratum facientem esse donum supernaturale sine debito collatum: respondemus, neque sic errorem hunc vitari; sed hoc esse ex vno in alium Pelagianismum transilire. Nam qui docuerunt, homines prædestinari propter præuisam fidem: in Pelagianismi luto hæserunt, atque eo nomine damnati sunt ab Augustino, & Prospero, Leone, Cœlestino, adeoque vniuersa Ecclesia. Et qui hodie fidem præuisam iactant, in eodem ludo hærent, quamuis fidem

donum

donum Dei supernaturale agnoscant. Quid vero refert, fidei ne præuisæ, an charitatis præuisæ opinionem induxeris? nisi quod mollius videantur peccare, quia fide, quàm quia charitate præuisa Dei amorem excitatum statuunt.

Porro Bellarminus contradicentia loquitur, & impossibilia inter se coniungit. Nam quum doceat, charitatem nostram esse donũ Dei supernaturale, sine debito: deinde idem affirmet, charitatem nostram esse obiectum diuinæ charitatis; quis hęc pugnantia componet? si donum est supernaturale, iam Deus donauit. At omnia Dei dona, ex beneuolentia Dei proueniunt. Itaque Deus prius dilexit eos, quibus hoc donum dedit. At si obiectum dicas, id est, quocunq; modo ante charitatem Dei; iam charitas Dei non donauit nobis charitatem nostram. Quia ex hoc figmento charitas nostra erat antequam à Deo donata nobis esset. Atq; ita dicendum foret; charitas nostra obiectum charitatis diuinæ monuit Deum, vt donaret nobis charitatem nostram. Quis hanc absurditatem aut dicere, aut intelligere potest? At necessario sic dicendum erat ex Bellarmini sententia. Hoc est latibulum tenebrarum in q insanos homines Tridentina insaniens sapientia induxit. Sed via veritatis perspicua est, & illustris, à Iohanne Apostolo præmonstrata; gratiam Dei, in misericordia sitam esse, non in charitate nostra, sed in charitate Dei, qua nos prior dilexit.

De

De gratia Dei ita disputant aduersarii, vt homines in admirationem sui rapti, atque superbientes, gratiam intra se quærant. Interim Christus, veluti foras exclusus, nusquam apparet. Nos autem à diuinis literis instituti, gratiam Dei in Christo quærimus. Prædestinationis gratia in Christo est, in quo nos prædestinauit. Hanc gratiam in Dei misericordia scripturæ constituunt, in quare manifestanda, vel propositum gratiæ aperitur, vel imputatio iustitiæ Christi docetur, vel pretium redemptionis nostræ in sanguine Christi demonstratur, vel solius fidei iustificatio, exclusis operibus, statuitur. Per istos modos gratia Dei illustratur in scripturis. Quocunque autem modo patefiat, gratia semper in Dei misericordia, & acceptatione ponitur, non in habitibus nostris.

Quatuor sunt ordinata ad nos in hac re rudiendos. Iustificatio, gratia, sanguis Christi, fides. Quatuor hæc ita in scripturis ordinatur: iustificationem Christi sanguis meruit, gratia nobis donat, fides apprehendit. Nec quicquam præterea nostrum in hoc negotio scriptura admitti patitur. Nam Charitas nostra post iustificationem accedit cum sanctis operibus. Sed vt impius iustificetur coram Deo, nihil est quod hanc gratiam vel meteri possit, vel excipere; præter sanguinem Christi, & fidem nostram. Deinde Apostolus regno peccati, & mortis, regnum gratiæ opponit. Nam regnum describit Apostolus virtutis nostræ,

aut

aut habitus alicuius inhærentis nobis? *Vbi autem est peccatum superabundauit gratia, vt quemadmodum regnauerat peccatum in mortem, ita,* inquit, *gratia regnaret per iustitiam in vitam æternã.* Rom. 5.11. Quænam est illa gratia, quæ superabundauit, quum aucta essent peccata nostra? miseri Pōtificii hanc gratiam, vel non possunt, vel nolunt intelligere. Gratia hæc, quæ super omnia peccata nostra abundauit, quæ regnum peccati destruxit, quæ regnat per iustitiam in vitam æternam, nihil nostrum est, non virtus, non habitus noster, sed misericordia, & gratuita acceptatio Dei. & fauor Dei tantummodo, qui iustitiam Christi nobis credentibus imputauit, quam propterea vocat Apostolus iustitiam Dei, per fidem Iesu Christi, in omnes, & super omnes credentes.

Hæc igitur gratiæ explicatio ad salutem nostram conficiendam tanto sacrarum literarum consensu statuitur; tot, ac tanta fert secum salutis mysteria, de Christi pretioso illo sanguine, de prædestinatione, de vocatione, de fide, de iustificatione (quæ omnia è gratiæ Thesauro prodeunt, in eoque recondita seruantur) vt qui hunc lapidem loco suo mouere ausus fuerit, vniuersam salutis nostræ structuram concutere, atque occultis cuniculis subuertere deprehenditur. Itaque hæc virtus & potentia Dei in scripturis suis loquentis, tanta luce, & splendore, ipsorum etiam non nunquam Pontificiorum oculos perstringet, vt vel inuitos in admirationem trahat, & ab

errore

errore etiam aliquando liberet; Quemadmodum Albertum Pigghium perstrinxerat, qui æternum Pontificium excussit. Sic enim docet: *a Gratia acceptionem variam, non è Scholis, sed ex diuinis scripturis petamus, quandoquidem in illis fere imaginantur gratiam Dei, qualitatem aliquam increatam animæ nostræ à Deo, vel eandem cum charitatis habitu, vel distinctam ab eadem. Quæ commentitia vniuersa existimo, nec ex scripturis vllam autheritatem habere.* Hæc ille. Dicunt Pontificii Pigghium, alioqui Catholicum doctorem, seductum ex lectione librorum Caluini. At Pigghius ipse testatur, se sententiam suam è lectione scripturarum hausisse. ô Caluinum, vel aduersariorum testimonio beatum, cuius scripta tantum cum sacris scripturis consensum retinent, vt quod Pontificius Doctor celeberrimus fatetur se ex Sacræ scripturæ lectione habuisse, id alii Pontificii, lectioni librorum Caluini tribuant. Profecto nisi Scholasticorum sententia cum manifestis scripturis pugnasset, nunquam illam deseruisset Pigghius. Sacrarum ergo scripturarum virtute ab errore Scholasticorum retractus est Pigghius, quæ & Cardinalem Bellarminum retrahere possent, si eas sincerè, animo veritatis studioso legere, & tractare voluisset.

a lib. 5. de lib. arbit.

CAPVT IV.

De Opere operato.

QVI semel à gratiæ cognitione exciderũt, præcipites ruunt, nec vbi sistere possint,

inueniunt. Atque hinc est, quod Pontificii gratiam sacramentis & aliis institutionibus alligatam somniant, ita, vt nec fide, nec bono aliquo motu opus sit, quandoquidem ex ipso, vt loquuntur, opere operato, gratiam consequi possint. Hæc est gratia Pontificia. Et ne quis nos iniuriam istis bonis viris feciſſe existimet, hoc loco Pontificiorum sententiam de opere operato, quanta possumus breuitate aperiemus. Hæc enim sententia, & Pontificiorum prodit superstitiosam vanitatem, & gratiam Dei vehementer obscurat.

Mart. Chemnicius è Scholasticis ostendit, opinionem operis operati esse, vt sacramenta dicantur conferre gratiam ex opere operato, etiamsi in suscipiente non sit bonus interior motus; modo non ponatur obex. Hanc peregrinam, & inconditam sententiam Scholasticorum fuisse docet ex Gabriele, qui omnium sententiariorum disputationes & opiniones in vnum collegit: ex Petro Palude, Marsilio, Alberto, Mensingero.

Bellarm. a lib. 2. de sacram.

Exclamat Bellarminus, falsam esse hanc expositionem operis operati, Scholasticis iniuriam fieri, miserum Chemnicium Scholasticos non potuisse intelligere. Hæc Bellarminus magno strepitu agit, neque tamen recedit ipse ab hac sententia. O miseram conditionem eorum, qui veritatem oppugnant. Pudet erroris, quem tamen mordicus retinent; nec abiiciunt hypocritæ sententiam,

tentiam, quam damnandam iudicant.

Gabrielem citat Chemnicius ſic docentem. a *Præter exhibitionem ſigni foris exhibiti, non requiritur bonus motus interior in ſuſcipiente.* Reſpondet Bellarminus, corrupte citari Gabrielem; nam mox ſubiungit, quo motu de congruo, vel condigno mereatur gratiam: non igitur Gabriel excludit motum internum, diſponentem ad gratiam, ſed meritorium gratiæ. Hæc Bellarminus. Reſpondemus: ipſum hunc motum diſponentem, ex Biele, & Scholaſticis, ac proinde ex Pontificiorum ſententia, eſſe motum meritorium gratiæ. Itaque ſine cauſa reprehenditur Chemnicius, & vana eſt reſponſio Bellarmini. Nam quum motus internus, diſponens ad gratiam ſit meritorius, idem dicit Bellarminus, ac ſi reſpondiſſet, Bielem non excludere motum meritorium, ſed motum meritorium.

a *diſt.* 1 *qu.* 1. *lib.* 4.

Iam vero, motum hunc diſponentem ad gratiam, eſſe meritorium gratiæ de congruo, proximis verbis fatetur Bellarminus; ſic enim ſubiungit: b *Nam etſi illa diſpoſitio poteſt eſſe meritoria de congruo, vel etiam augmentum gratiæ de condigno, ſi fit actus ex charitate procedēs, tamē alia eſt gratia, quæ datur ob diſpoſitionē alia, quæ datur ex vi ſacramenti.* Hæc ille. Sequamur paulīſper iſtum per tenebras iſtas, tanquā Cacū Italum, fumū atq; flammas eiaculantē, vt in tenebris latere poſſet. Quæſtio eſt, an in opere operato bonus intern' motus aliquis à Gabriele ſtatua-

b *de Sacram. lib.* 2. *cap.* 7.

tur; non bonus motus internus disponens ad gratiam, sed meritorius gratiæ excluditur, inquit, Bellarminus. At motus ille disponens, est etiam meritorius, inquit idē Bellarminus; Lutherani tardiores, non possunt istas tam profundas absurditates intelligere; nec tam pugnantia inter se componere. Sed videamus Romanum ingenium; quamuis ista dispositio potest esse meritoria de congruo, & condigno, tamen alia est gratia, quæ datur per motum disponentem meritorium, alia quæ datur ex vi sacramenti. At vera Christi gratia vna est atque eadem, non alia, atque alia. Non enim aliam gratiam docet Ecclesia dari extra sacramenta, aliam in sacramentis, sed vna est Dei gratia, non alia; ab eodem Christo, siue cum sacramentis, siue sine sacramentis donata, qui non est alius atque alius, sed vnus idemque in omnibus suis. Sed commentitia Antichristi gratia, est alia atque alia. Verumtamen hoc illi concedamus, quod nisi cōcesserimus, probare non potest, aliam esse gratiam huius dispositionis, aliam sacramenti. Quid hoc ad Chemnicium, qui hoc loco non de dispositionibus, sed de sacramentis loquitur. Probat Chemnicius, in sacramentorum receptione, ex Pontificiorum sententia, opus operatum satis esse, sine bono motu interno. Respondet Bellarminus, gratiam illam, quæ est ex merito de congruo, non sine bono motu esse, sed gratiam, ex vi sacramenti conferri quidem sine bono motu mentis interno. Et quid aliud erat,

erat, quod Chemnicius contendit, à Scholasticis doceri? Deinde (nisi forte miseri scilicet Lutherani non possint intelligere profunditatis Sathanæ in Iesuitis sese efferentis) omnis bonus motus in opere operato excluditur, quia omnis meritorius motus excluditur. Nam nullus est apud Pontificios motus bonus qui non sit meritorius; quum etiam motum aliquem non bonum faciant meritorium. Quod ex Bellarmino sic probamus. Homo nondum reconciliatus nõdum habet bonum motum mentis: at homo nondum recõciliatus mereri posset: sequitur ergo aliquem motum non bonum esse meritarium. Propositio vera est ex Apostolo: quia nondum recõciliatus, hoc est impius nihil boni cogitare potest. Assumptio est Bellarmini, sic enim docet: a *potest homo nondum reconciliatus per opera pœnitentiæ impetrare, & mereri ex congruo gratiam iustificationis.* Iam, si motus non bonus meritorius sit, omnis bonus motus meritorius erit. Qui ergo docent, in opere operato nullum motum meritorium requiri, docent certe nullum bonum motum requiri.

1 *Cor.* 3. 5.

a *lib.* 5. *de iustific. cap.* 22.

Quod si hæc sententia Pontificiis non placeat, quare non diserte sese exprimunt? dicant anathema omnibus docentibus, in opere operato, ad gratiam consequendam, non requiri bonum motum mentis. Hoc enim dicunt, imo contrarium habet Concilium Tridentinum.

Est igitur hæc communis sententia Scholasti-

lasticorum; sacramenta ex opere operato cõferre gratiam, ita vt non requiratur bonus motus mentis meritorius. Sic docuit Scotus noster. a *Sacramentum ex virtute operis operati confert gratiam, ita quod non requiritur bonus motus interior, qui mereatur gratiam: sed sufficit, quod suscipiens nõ ponat obicem.* Iam qui omnem motum internum meritorium excludũt, certe fidem excludũt, quia fides est motus meritorius si quis alius sit. Iraq; nos nullam istis iniuriam facimus, quum dicimus, ex eorum sententia in opere operato fidem non requiri. Et ne lõgius quæramus, Bellarminus ipse fatetur, gratiam iustificationis per sacramenta ita dari, vt non excitetur actualis fides, aut dilectio. Sic enim ille: b *Sacramenta iustificant, at certe non iustificant, nisi concurrendo per modum instrumenti, ad infusionem iustitiæ habitualis. Nam si iustificare deberent excitando actualem fidem & dilectionem, frustra adhiberetur baptismus infantibus & frustrà baptizarentur, vel reconciliarentur, ij qui vi morbi vsum rationis & sensum amisissent.* Hæc ille. Respondemus hanc rationem falso inniti fundamento. Falsum est, sacramenta per modum instrumenti infundere iustitiam habitualem.

a *lib. 4. dist. 1. q. 6.*

b *lib. 2. ca. 13. de iustif.*

Primo, non habent sacramenta modum instrumenti infusorii, sed modum signaculi. Deinde non infundunt gratiam, quæ prius nõ inerat, sed obsignant eam, quæ suscepta fuerat in credentibus. Postremo non infundunt habitum illum; quia talis habitus non est. Nulla est e-

est enim gratia iustificationis, quam non apprehendit fides. Apostolus docet, sacramenta esse signacula fidei. Rom. 4. 11. nec valet distinctio illa Pontificiorum, qua distinguunt inter sacramenta legis, & Euangelii. Nam vtcunque hæc distingui possint: certum est tamen, in ea re conuenire, ad quam rem confirmandam, Apostolus verba illa adduxit, vt & imputationis, & sacramentorum doctrinam confirmet. Loquitur enim de Abrahamo, non sub lege, sed in præputio, in eumq; finem hæc affert Apostolus, vt Abrahamus intelligatur pater omnium credẽtium in præputio. Sic enim dicit Apostolus: *Abrahamo fides imputata est pro iustitia. & signum accepit circumcisionis, signaculum iustitiæ fidei, quæ fuerat in præputio, vt esset pater omnium credentium in præputio, vt imputetur etiam ipsis iustitia.* Rom. 4. 9. 11. Ex quibus Apostoli verbis constat, sacramenta in præputio esse signacula fidei. Constat etiam, Abrahamum hoc loco omnibus in Ecclesia credentibus exemplar proponi: quia dicitur pater credentium in præputio, quia in præputio accepit sacramentum, signaculum iustitiæ fidei. Itaque sic disputamus. Omnes credentes eodem modo iustificantur, quo Abraham iustificatus fuit. Hæc propositio certissima est, quia Abraham hoc respectu dicitur pater omnium credentium in præputio. At Abraham non fuit iustificatus per sacramenta, concurrendo per modum instrumẽti, ad infusionẽ iustitiæ habitualis: sed p

imputationem iuſtitiæ. Omnes ergo credentes eodem modo iuſtificantur. Et eſt hæc ipſa concluſio Apoſtoli: vt imputetur, inquit, etiam ipſis iuſtitia. Videmus quanta ſit repugnãtia inter doctrinam Tridentinam, & Doctrinã Apoſtolicam, de virtute ſacramentorum. Nos virtutem & vſum ſacramentorum ex manifeſtis ſcripturis oſtendimus. At num poſſunt Tridentini è ſcripturis oſtendere figmẽta ſua, de inſtrumenti modo de infuſionibus ſuis, de habituali iuſtitia infuſa ita, vt non ſit fide apprehenſa? Hæc è Scoto, Gabriele, reliquisve eiuſdem fermenti facile ſumere poſſunt, è ſcripturis non poſſunt. Sanctus Petrus etiam de Baptiſmo idem habet, quod Paulus de circumciſione docuerat; docet enim, baptiſmũ non eſſe in fuſionibus, aut infuſionibus, aut habitibus ſine fide; quod ſomniant iſti: ſed eſſe bonæ conſcientiæ ſtipulationẽ apud Deum. Hæc ſtipulatio apud Deum ſine fide eſſe non poſſet: nec ergo Baptiſmus. Sic igitur ſacramentorum genuinum vſum è Sacris literis colligimus, qui ex Scholiaſticis fruſtra quæritur.

1. Pet. 3. 21.

Neque tamen fruſtra Baptiſmus datur infantibus; quia fides, & ſtipulatio apud Deum neceſſario, ſecundum ſcripturas, requiritur in Baptiſmo: nam infantes baptizantur in fide parentum. Quia promiſſio datur fidelibus & ipſorum liberis. Act. 2. 38. & Gen. 17. ſicut & circumcidebantur infantes. Quod ſi ſacramenta conferrent gratiam iuſtificationis ſine fi-

ne fide ex opere operato, vt habet Bellarminus: omnes baptizati haberent gratiam iustificationis, & sanctificarentur: nam gratia iustificat, & sanctificat. Augustinus contra Donatistas disputans, distinctionem adhibet inter perceptionem sacramentorum, & gratiam sanctificationis; qua infallibiliter probat, gratiam non necessariò conferri per ipsam perceptionẽ sacramenti ex opere operato. *a Quotquot*, inquit, *in Christo baptizati estis, Christum induistis: at auari, inuidi, ebriosi baptizantur: quomodo ergo Christum induunt?* Respondet Augustinus: *Induunt homines Christum aliquando vsq; ad perceptionẽ sacramenti, aliquando vsq; ad vitæ sanctificationem. Primum commune esse potest bonis & malis: alterum proprium piorum.* Hæc ille. Huius ergo iudicio ipsa perceptio sacramenti ex opere operato non sanctificat, non confert gratiã iustificationis: quia gratia hæc semper sanctificat.

a *Lib. 5. c. 24. de Baptism. contr. Donatist.*

Hæc responsio Augustini eo est accuratius obseruanda, quia ex eodem scripturæ loco, Aquinas sic concludit: *b Sacramenta noua legis causant gratiam per modum instrumenti, nempe quia Apostolus dicit, quotquot baptizati estis in Christo, Christum induistis.* Aquinas non rectè colligit: nam duplex est responsio: Prior est Augustini, in illa distinctione superius à nobis adducta. Quia affirmat Augustinus, malos qui non sanctificantur, sacramenta percipere; ipsa igitur perceptio non causat gratiam per modũ instrumenti, sicut docet Aquinas. Altera re-

b *3. q. 62. art. 1.*

Gal. 3. 27.

ſponſio eſt, vt intelligamus Apoſtolum loqui de filiis Dei qui verè credunt. Hanc autem fuiſſe Apoſtoli mentem, conſtat ex integra comprehenſione totius ſententiæ. nam integra ſententia eſt hæc: *Omnes enim filii Dei eſtis, per fidem in Chriſto Ieſu; nam quicunque in Chriſto baptizati eſtis, Chriſtum induiſtis.* Apoſtolus hic loquitur de filiis Dei, vere iuſtificatis & ſanctificatis, atque de eorum fide. Fraudulenter ergo faciunt, qui fidem à ſacramentis amotam cogitant, vt ipſa ſacramenta per ſe ſine fide gratiam conferre intelligantur. Conſtat igitur, ſententiam Pontificiorum de opere operato eſſe huiuſmodi, vt dicant, ſacramenta conferre gratiã, vel cauſare, ſicut aiunt iſti, per modum inſtrumenti, ex opere operato, ſine fide. Scholaſtici docent, nullum motum meritorium requiri: fatetur Bellarminus, fidem actualem non requiri, hoc eſt, fidem illam, quæ iuſtitiam imputatam apprehendat, non hic eſſe neceſſariam. Ita fidem quam includit Apoſtolus, excludunt iſti. Iure igitur dicimus, hanc eſſe iſtorum ſententiam, in opere operato non requiri fidem, quæ promiſſionem apprehendat.

Gal. 3. 26.

Exiſtis interpretibus nos ſenſum Concilii Tridentini inueſtigamus, vbi ſic docet: *Si quis dixerit, per ipſa noua legis ſacramenta ex opere operato non conferri gratiam, ſed ſolam fidem diuinæ promiſſionis, ad gratiam conſequendam ſufficere, anathema ſit.* Inſidioſe iſta ponuntur à Tridentinis, quaſi noſtrâ ſententiâ ſola fides ita prædica-

Seſſ. 7. can. 8.

dicaretur, vt vſum reiiceremus verbi, & ſacramentorum. Sed quum Tridentini hæc duo opponunt, opus operatum, & fidem, quæ in promiſſione excipit gratiam, ſiue in ſacramentis, ſiue extra ſacramenta: ex hac antitheſi ſatis conſtat, fidem excluſam. Quæ Concilii ſententia illuſtratur à Bellarmino, quum docet fidem, quam vocat actualem, non requiri. Ita, ſi Bellarminus Concilii ſententiam rectè expoſuit, fides actualis, hoc eſt, fides apprehendens promiſſionem, excluditur. Omnis igitur fides excluditur in adultis, qui actu credunt, vel credere debent. Hæc eſt illa opinio noua, quam Tridentini è Scholaſticis exceperunt, quam nec retinere poſſunt, nec abiicere volunt. Pudet eos huius abſurdæ fidei, & tamen mordicus retinent: vel ipſi penitus deponant, & anathemate feriant, vel ne nobis ſuccenſeant, quod ipſis tribuimus hanc nouitatem quam dimittere nolunt. Scholaſticorum omnium ſententiam proponit Bellarminus (à qua Tridentini ne latum vnguem diſcedere ſtatuunt) in opere operato nullum motum meritorium requiri. Nonne penitus excludunt fidem? nam vel ipſorum Pontificiorum ſententia, fides eſt motus meritorius. Concludimus itaque, hanc eſſe genuinam Pontificiorum ſententiam, in opere operato non requiri fidem.

Opinio iſta, quæ docet ſacramenta conferre gratiam ex vi operis operati ſine bono motu meritorio, nõ ponenti obicem, circa Ioannis

nis Scoti ſæculum enata videtur. Aquinas ad hanc ſtructurã lapides quoſdam attuliſſe videtur, quum docuerit: *Sacramenta noua legis gratiam cauſare per modum inſtrumenti.* hæc occaſionem Sophiſtis inſequentibus dederunt philoſophandi ſuo more. Verum Aquinas nihil habet de opere operato, aut de obice. Hæc addita videntur à poſterioribus. Atque ita fides Tridentina tanquam ramoſa tunica, ex multis & variis panniculis conſarcinata tandem congeſta coaluit. Ante hæc tempora inaudita erat hæc opinio in Eccleſia Romana. Hæc de opere operato.

3. par. q. 62. artic. 1.

CAPVT V.

Obiectiones Bellarmini examinantur & diluuntur.

CArdinalis Bellarminus quum videat, ſe gratiam iſtam inhærentem probare non poſſe, niſi prius iuſtitiam Chriſti credentibus imputatam reiiciat; immane facinus aggreditur. Probaturus enim, hanc iuſtitiam inhærentem, imputationem iuſtitiæ Chriſti conuellere tentat. At facilius Solem de cœlo detrahet, quam Chriſtum iuſtitiæ Solem de ſua Eccleſia. Et in eo Ieſuitarum improbitas inſolentius in Eccleſia Dei ſeſe efferre videtur, quod non verentur ea mouere, quæ ante ipſos nemo mouere auſus fuit. Nam viri docti & graues in Eccleſia Romana, hæc inter ſe conuenire poſſe docuerunt, imputationem ſcilicet

cet iuſtitiæ Chriſti, & iuſtitiam inhærentem. Nam illi iuſtitiam nobis inhærentem, ſanctitatem appellarunt. Sic Cardinalis Contarenus, cuius ſententiam iam commemoraui; ſic multi alii. Nam in iuſtificatione impii intelligunt, docentque, nos iuſtificatos non noſtra, ſed aliena iuſtitia nobis imputata, nempe Chriſti. At verò quum iuſtificati in operibus ſanctitatis proficiunt, vt qui iuſtificatur, iuſtificetur adhuc; hanc iuſtitiam, ſiue iuſtificationis noſtræ declarationem, atque oſtenſionem vocare ſolebant iuſtitiam inhærentem. Contra quam ſententiam nos nihil habemus quod opponamus. Hæc antiquorum patrum, atque Eccleſiæ Romanæ ſententia tamdiu in Eccleſia valuit, donec Ieſuitæ ex fraterculorum conſarcinatis figmentis, aliam excogitarunt. Illud autem hoc loco obſeruamus, doctrinam imputationis iuſtitiæ Chriſti primũ à Ieſuitis reiectam fuiſſe. Scholaſtici enim imputationem Chriſti, ſicut nec confirmant, ita neque nominatim reiiciunt. Ieſuitæ autẽ, quum videant ſe nõ poſſe Scholaſticorum commentum de merito congrui, de opere operato, de infuſione habitualis gratiæ recipere; niſi imputationem iuſtitiæ Chriſti reiiciant: maluerunt Chriſtum cum ſua iuſtitia repudiare, quam figmenta hæc non amplecti. Audiamus iam, quibus argumentis iuſtitiam Chriſti imputatam reiiciat Bellarminus, vt iuſtitiam inhærentem ſtatuat.

Primo ex eo loco pugnat: *Per obedientiam vnius*

Rom. 5. 19. *vnius hominis, iusti constituuntur multi.* a *Nos*, inquit, *per obedientiam vnius Christi iustos multos constitui existimamus, in eo sensu, vt merito obedientiæ Christi reconcilietur nobis Deus, & ab eo iustitia donemur, quæ sit qualitas animæ nostræ infusa, & inhærens.* Hæcille. Egregia probatio Cardinalis: *nos existimamus.* Doctissimus Cardinalis in maximo religionis articulo videtur balbutire, & sine sensu loqui. Merito, inquit, obedientiæ Christi reconciliatur nobis Deus, & ab eo iustitia donamur, quæ est nobis inhærens. Huius sententiæ pars posterior pugnat cum priore. Nam si merito obedientiæ Christi Deus nobis reconcilietur, ita vt à Deo iustitia donemur: quærimus à Domino Cardinali, quænam sit illa iustitia donata à Deo, parta autem merito obedientiæ Christi? Respondet, esse nobis inhærentem. At Dom. Cardinalis non cogitat se impossibilia coniungere: nam iustitia, quæ ex merito obedientiæ Christi nascitur, est extra nos: quia Christus à Deo nobis facta est iustitia. Atq; hinc Apostolus hominis credentis beatitudinẽ definit in iustitia imputata, Christus factus à Deo nobis iustitia, iustitia nobis donata, iustitia nobis imputata: alienam iustitiã demonstrant nõ inhærentem.

a *Lib. de grat. & lib. arbitr. 1. cap. 4.*

Deinde videte quomodo Dom. Cardinalis sese implicet atq; illaqueet. Merito, inquit, Christi Deus nobis reconciliatur, & à Deo iustitia donamur quæ est nobis inhærens. Vnde est iustitia inhærens? ex merito nostro: hic est communis cõsensus omnium Tridentinorũ.

Vnde

Vnde est iustitia nobis à Deo donata, iustitia imputata? ex merito obedientiæ Christi, inquit Cardinalis. Hic Cardinalis quo plus luctatur, eo magis suo nodo constringitur. Nam iustitiã inhærentem esse ex merito nostro, sententia est omniũ eorum, qui meritũ congrui recipiunt, ac proinde omnium Iesuitarum. Itaq; Bellarminus sic docet: *a Posse hominem nondũ reconciliatũ impetrare & mereri de congruo gratiã iustificationis.* At si gratia iustificationis sit nobis ex merito congrui: vbi iam est meritũ obedientiæ Christi, & iustitia à Deo nobis donata? certè meritum Christi planè extinguitur per meritum hoc Iesuiticum ex congruo: nec potest Dom. Cardinalis ita plumbeus esse, quin hæc videat ἀσύστατα esse, iustitia nobis à Deo donata, ex merito obedientiæ Christi, & iustitia nobis inhærens, quam homo nondum reconciliatus mereri potest ex congruo. Et tamẽ hæc inter se pugnantia vnius sententiæ periodo sine sensu comprehendere voluit doctissimus Cardinalis. Quando impius iustificatur, iustitiam imputatam, à Deo donatam habet, quia propria destituitur. At quando homo nõ reconciliatus meretur ex congruo gratiam iustificationis, ex se gratiam sumit, non donatam accipit. Impius autem intelligitur quicunque non est reconciliatus Deo: ita ex Domini Cardinalis sententia quando impius iustificatur, intelligendum est, impium iustificare seipsum. Hæc est Pelagianorum pestifera doctrina, à Tridentinis susceptа, quæ gratiam

a Lib. 5. cap. de iustific.

tiam Christi euacuat. Videmus ex hoc, in quale barathrum præcipites ruant, qui doctrinam imputationis impugnant.

Pergit tamen Cardinalis, & hoc suum somnium probare vult ex antithesi verborum Apostoli. dixerat enim Apostolus, *quemadmodum per inobedientiam vnius hominis peccatores constituti sunt multi*: & continuò adiecit; *ita per obedientiam vnius hominis iusti constituuntur multi. Constat autem*, inquit Cardinalis, *nos non constitui peccatores per imputationem iustitiæ, quæ fuit in Adamo, sed per iniustitiam nobis inhærentem per modum habitus, igitur iusti etiam constituimur, si quid Apostoli antithesis valet, non per imputationem iustitiæ, quæ est à Christo, sed per iustitiam nobis inhærentem per modum habitus.*

Respondeo: vtrumque constat, & imputari nobis peccatum Adæ, & iniustitiam nobis inesse inhærentem. negat Cardinalis imputationem peccati, vt facilius imputationē iustitiæ negare possit. At manifestis scripturæ testimonijs conuincitur. Deus minatur se visitaturum iniquitatem patrum in filios, in tertiam, & quartam generationem. Quod fieri non potest, nisi impiis, & impœnitentibus filiis, imputando peccata parentum. Quod si Cardinalis hæreat in peccato Adæ, quasi non imputato: consulat Apostolum eo ipso, quem citat loco Cardinalis. Nam eodem capite Apostolus hæc habet verba: *Peccatum autem non imputabatur quum lex non esset. Sed regnauit mors ab Adam vsque ad Mosen, etiam in eos, qui non pecca-*

Exod. 20. 5.

Rom. 5. 13.

peccauerunt in similitudinem prauaricationis Adæ. Quibus verbis intelligere potest Cardinalis, legem hoc facere, vt peccatum imputetur. Est igitur peccati imputatio, sicut & iusticiæ, potest etiam intelligere, mortem ab Adamo vsque ad Mosem regnantem, probare, peccatũ Adæ imputari paruulis, iis scilicet, qui nõ peccauerunt in similitudinem prauaricationis Adæ, nam Adæ peccatum actuale fuerat, paruulorum autem ex Adamo nascentium peccatum est originale. Qui quamuis non peccent ad similitudinem peccati Adæ, tamẽ peccatum Adæ imputatum habent, ac proinde peccatores constituuntur ex imputatione.

Constat, inquit Cardinalis, nos non constitui peccatores per imputationem iniustitiæ quæ fuit in Adamo, quo modo hoc constat? aut quibus? qui hæc dicit, quomodo peccatũ originale tueri potest? vel originale peccatum est prorsus negandum cum Pelagio, vel per iniustitiæ imputationem, quæ fuit in Adamo, peccatores constituimur, quia originale peccatum est peccatum imputatum, non negamus peccatum hoc inhærere, atque etiam inhabitare, sed quod addit Cardinalis, peccatores nos constitui, per iniustitiam inhærentem per modum habitus, vniuersaliter verum esse non potest, quia peccatores constituimur per peccatum originale, quod non est inhærens per modum habitus.

Deinde probare contendit Cardinalis, gratiam esse habitum nobis inhærentem, ex illis

Ioh. D. 14. verbis: *Aqua quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam. fons hic*, inquit dom. Cardinalis, *Spiritus sanctus est per gratiam inhabitans, porro dubitari non potest quin per fontem intelligatur aliquid permanens & fixum, ac per hoc significatur gratia inhærens animæ, per modum habitus inhærentis, vnde fluant vini bonorum operum qui saliant in vitam æternam, aqua enim tam alte ascendit, quam est altus locus, vnde descendit. &c. quoniam fons iste de cœlo descendit, ideo aqua eius ad cœlum vsq; perueniunt.* Hæc Bellarminus.

Hæc atq; huiusmodi sunt argumenta Bellarmini, quibus ludificando, nugando lectorem circumagit, mihi vero bonæ horæ non sunt tam inutiliter locandæ, vt in istis refutandis moter, quæ nec dialecticæ, nec quidem sophisticæ speciem aliquam præferunt.

Istis prorsus similia sunt ea, quæ de hoc iustitiæ inhærentis figmento Aquinas disputabat. Nam postquam argumenta quædam pro more obiecerat, quum tandem contra obiectiones illas sententiam suam statuere cœpit, mirifico prorsus fundamento innititur, sic n. refert. *Sed contra est quod super illud Psalm. 103. vt exhiberet facie in oleo, dicit glossa quod gratia est nitor animæ sanctum concilians amorem: sed nitor animæ est quadam qualitas, sicut & pulchritudo corporis: ergo gratia est quadam qualitas.* Hæc Thomas. Ita isti in grauissimis fidei controuersiis ludunt & istorum ludos excipiunt Iesuitæ: Hoc argumento nunquam efficiet Aquinas quod proposuit, nisi prius glossæ ordina-

1.2. qu. 150. artic. 2.

riæ

riæ autoritas ſacroſancta ſtatuatur in Eccleſia, vnde tuto & firmiter poſſimus controuerſias fidei definire. Sed nec gloſſæ ſententiam recte retulit Aquinas, nam integra gloſſæ verba ſunt hæc: *Gratia ergo, & nitor quidã, qui eſt ad hominis conciliandum ſanctum amorem, oleum dicitur.* hæc ille, ita Gloſſatoris verba peruertit Aquinas. Sed & gloſſator ipſe Auguſtini ſententiã, q̃ eo loco referre voluit, non corrumpendi, ſed abbreuiandi ſtudio, ab autoris mẽte detorſit. Auguſtini enim verba ſunt: *Quid eſt exhilaratio faciei in oleo? Gratia Dei, nitor quidam in manifeſtatione, ſicut dixit Apoſtolus, vnicuiq; datur ſpiritus ad manifeſtationem.* Hæc Auguſtinus.

Ex cuius rei obſeruatione cordatus lector facile iudicare poteſt, quibus modis, gradibus, & incrementis zizania in agro dominico accreuerint, nam hic inimici hominis improbitatem certo deprehendere licet, & quaſi furem, aut latronem in flagranti crimine tenere. Apoſtolus in agro dominico bonum ſemẽ ſeminauit, *vnicuique*, inquit, *datur manifeſtatio ſpiritus ad vtilitatem*, loquitur Apoſtolus de donis ſpiritus, quæ dantur ad ædificationẽ aliorum, nam diſcrimina ſunt inquit donorũ, ſed idem ſpiritus. Certum eſt Apoſtolũ hic diſputare, non de gratia iuſtificante, quæ dicitur à Theologis gratia gratum faciens: ſed de donis ſpiritus Sancti, & de gratia, quę dicitur à Scholaſticis, gratis data. Auguſtinus verba retulit Apoſtoli, ita vt ſenſum etiam retineret. Loquitur enim de manifeſtatione ſpiritus, quę eſt 1. Cor. 12. 7.

in gratia gratis data, verbum vnum addidit, gratiam enim hanc vocat nitorem, alludens ad oleum per tropologiam. Deinde de gratia, quæ est hominum ad homines, disputat Augustinus. gratia inquit quædam quæ est hominum ad homines perspicua, ad conciliandum sanctum amorem, oleum dicitur in nitore diuino, hic sese explicat Augustinus, ne quis hęc rapere possit ad gratiam, quæ est inter Deum & homines. Ab hoc vnico verbo addito, videte quantam segetem sparserit inimicus homo glossa ordinaria imperfecte hæc refert: *nitor, inquit, qui est ad hominis conciliandum sanctum amorem*, hic vides quædam detracta, quædam addita, & sensum inuersum, atque immutatum. Aquinas deinde hinc gratiæ definitionẽ elicit, vt sit nitor animæ, sanctum concilians amorem. Theologi subsequentes hęc sine examinatione suscipiunt, & referunt ad gratiam gratum facientem, addunt etiam & ipsi, esse hunc nitorem habitualem qualitatem inhærentem, non re distinctam à charitate. Tandem Concilium Tridentinum omnes istas deprauationes, immutationes, additiones collegit, & articulum Tridentinum composuit, de infuso hoc habitu, & collato in sacramentis ex opere operato, atque ita quod initio de gratia gratis data traditum est in scripturis, & susceptum à patribus, Theologorum & Iesuitarum improba industria, adiuuante inimico homine, conuersum, & commutatum est in gratiam gratum facientem, Et sic nitor hic excogi-

cogitatus, & habitualis qualitas seminata, & aucta, in segetem tandem erupit, & crescit in Ecclesia, donec domini mandato eradicabitur, obseruamus præterea ex Aquinate, hanc opinionem enatam ex hominum ingeniis sine scripturæ testimonio. Nam si potuisset hæc sententia, vel scripturæ, vel patrum testimonio confirmari, non dubium est, quin ea adducturus fuerit Aquinas, nec in Glossatoris verbis hæsurus, itaque scripturæ, & antiquitatis testimonio destituturus, quum antiquiora, & meliora inuenire non potuisset, vnius Glossæ testimonio fretus hæc docuit.

CAPVT VI.

Testimonia Græcorum patrum referuntur.

HAnc quæstionem de gratia, veteres ante Augustinum parcius tractarunt, quia ante Pelagium nemo illam veritatis partem in dubiam reuocauerat. Nos tamen de hac re veterum traditionem adferemus, si prius lectorem admonuerimus, de supina Pontificiorum vanitate. Bellarminus enim affirmat, hanc sententiam quæ gratiam habitum inhærentē esse defendit, esse totius Ecclesiæ sententiam, ad quam rem confirmandam duo recentia concilia profert, Viennense, de quo infra, & Tridentinum. At nos totius Ecclesiæ sententiam, non ex recentibus testimoniis, sed ex totius antiquitatis consensu exquiramus.

Sic ergo in orientali Ecclesia docuerunt Græci. Clemens Alexandrinus: a *Oportet mẽtem habere sanam, & quæ nulla retardetur pœnitẽtia à boni venatione, ad quod quidem maxime diuina opus habemus gratia, rectaq; doctrina castaq; & nũda animi affectione, & patris ad ipsum attractione,* Hinc diuinam gratiam per patris attractionẽ explicat, positam ergo faretur, non in virtute nostra, sed in fauore attrahentis. b Origenes; *Gratia nobis per fidẽ primo coniũgitur sicut & Apostolus dicit, gratia salui factiestis per fidem.* & mox *post gratiam credulitatis emendatio fit morũ & vitæ cõuersio,* hæc ille. Multa sunt, quę paucis verbis exposuit Origines 1. gratia est per fidẽ: ergo nõ per habitum indistinctum à charitate, quia fides re distinguitur â charitate 2. gratia est ꝑ fidẽ ergo sacramenta nõ conferunt hanc gratiam ex opere operato, quia in opere operato Pontificii non requirunt fidẽ 3. gratia primo per fidem inest: ergo non per habitus, quia inest nobis ante omnes habitus 4. post gratiam fit vitę conuersio. Ergo habitus, & qualitates quæ in conuersione vitę consistunt, sunt effectus gratiæ, atq; ex gratia. Ex quibus omnibus constat gratiam quam nobis nuper excogitarunt pontificii, fuisse Origeni penitus ignotam.

a lib. 3. strom.

b In lib. reg. Hom. vnica.

Basilius sic docet: c *Gratia immensa humanitatis Dei nos in dilectione Christi Iesu Domini nostri præuenit, cuius nobis ad mortẽ vsq; obedientia, sicut scriptum est, facta est redemptio* Basilius ergo gratiam Dei posuit in dilectione Christi, nõ in dilectione nostra. Idemq;: *Non in virtute, nõ in sapientia humana, sed in Dei gratia est salus.* Chryso-

c Serm. de Baptism.

d In psal. 33.

stomus: a *Illi (Galat a sc.) dicebant, qui sola fide nititur execrabilis est Apostolus cōtra demōstrat, qui sola fide nititur eū benedictū esse*, & postea. *Lex nō tātum fidē requirit, sed opera quoq; gratia vero ex fide seruat, & iustificat.* a *Quid est gratia remissio videlicet & purgatio peccatorum.* Cyrillus Alexādrinus *Vincit gratia quæ iustificat impium, & omni labe eos qui misericordiā consecuti sunt, liberat*, atq; alibi *gratiam sanctis dari à patre per filiū. Paulus testatur gratias ago Deo meo semper de vobis propter gratiam Dei q̄ vobis data est in Christo.* Theodoretus: b *Gratia donat peccatorū remissionē hæc cōfirmat Dei promissionē, donans gentibus benedictionē*, hæc ille, atqui habitus ille, & nitor pōtificius, nec donat peccatorū remissionē, nec apprehēdit ꝓmissionē Idemq; d *Gratia concepit me per fidē hæc est Ecclesiæ vox.* e *Salus hominū ex sola misericordia Dei pendet, neq; n. hanc adipiscimur præmiū & mercedē iustitiæ, sed Dei bonitatis donū est.* hæc ille, quid disertius dici potest cōtra habitū inhærentē? Idēque sic habet e *Dominus Christus; & Deus est, & propitiatoriū, & pontifex, & agnus, & in suo sanguine nostrā salutē procurauit, solā fidē exigēs.* Theophylactus: *Iustitia Dei est, q̄ ex fide est, hæc nō indiget laborib. operib. ve nostris verū tota ad gratiā Dei pertinet*, hæc illi. Si tota iustitia Dei ad gratiā ꝑtinet, nec laborib. nostris indiget: certe nec habitibus nostris indigebit. Idēq; gratiam iustificationis egregie exponit his verbis. *Iustificantur omnes gratis gratia Dei, quæ per redemptionē fit, hoc est perfectā libertatē, quam operatus est Christus ipse enim sese in pretiū redēptionis dans, iustificauit nos.* Sic docuerunt Græci.

a *Hom. 34. in epist. ad Heb.*
b *In Esai lib. 5. orat. 2.*
1. *Cor. 1.*
c *In Rom. c. 4.*
d *In cantic. cap. 4.*
e *In Sophan. cap. 3.*
f *In epist. ad Rom.*
g *In epist. ad Rom.*

CAPVT VII.

Testimonia Latinorum patrum referuntur.

a Lib. 3. c. 22. LAtini sequuntur: Irenæus: a *Paulus infirmitatem hominis annuntians ait, scio quoniam non habitet in carne mea bonum, significans quod nõ à nobis, sed à Deo est bonum salutis nostræ*, hæc ille egregie contra meritum de congruo Tertullianus; b *Quidam sic opinantur, quasi Deum necesse habeat præstare etiam indignis q. spospondit, & liberalitatem eius faciunt seruiturem.* c *Quum sine gratia Dei salutem non possit custodire natura humana quam accepit, quomodo sine Dei gratia poterit reparare quod perdidit?* Cyprianus d *Gratum quicquid non virtuti hominum ascribitur, sed de Dei munere prædicatur Dei, inquam, Dei est omne quod possumus, quantam illuc fidei capacis adferimus tantum inde gratiæ inundantis haurimus.* e *Hoc diebus, ac noctibus postulamus, vt sanctificatio, & viuificatio, quæ de Dei gratia sumitur, ipsius protectione seruetur.* f *Oramus vt fiat in nobis voluntas Dei, quæ vt fiat in nobis, opus est Dei voluntate, id est ope eius, & protectione, quia nemo suis viribus fortis est, sed Dei indulgentia ac misericordia tutus est. Ambrosius:* g *Manifestum est, quia gratia donum Dei est, non debita merces operibus, sed gratuita ratione, misericordia interueniente concessa*, & mox: *veniam dare peccantibus, non aliud: quam gratia est.* Hieronymus, vbi contra Pelagianos prius docuerat, solum Deum esse sapientem, non gratia, vt cetera, sed natura: omnes homines esse peccatores,

b Lib. de præmit. c. 6.

c Autor definitionum, quæ Tertulliani operib. adiudicata sunt. c. 46.

d Epist. 2.

e In orat. dom.

f Ibid.

g In Rom. c. 11.

res, ex Apostolo: & fide iustificati sine operibus legis, tandem hæc subiungit a *Maximè ostendit Apostolus, non in hominis merito, sed in Dei gratia esse iustitiam, quæ sine legis operibus credentium suscipit fidem.* b *Tunc iusti sumus, quando nos peccatores esse fatemur, & iustitia nostra non ex proprio merito, sed ex Dei consistit misericordia.*

a *lib. 2 contr. Pelagian.*

b *Ibid.*

Quid interest inter Pelagianos, & pontificios? Pelagius docuit, homines iustificari non gratia, sed meritis: patres contra probant, non meritis, sed gratia. Pelagius admonitus, hæc inter se pugnantia coniungere voluit, & gratia, & meritis, hoc est, gratiam Dei verbis concedere, reipsa tollere. Testantur patres, Pelagium admonitum gratiam verbis saltem concessisse sub ambigua generalitate, quod sentiret, absconderem, vt gratiæ vocabulo frangeret inuidiam, offensionemque declinaret, hoc faciunt etiam Pontificii, qui gratiæ acceptionem nouam, & antiquæ Ecclesiæ inauditam excogitarunt: vt gratia sit in habitibus nostris inhærentibus, vt comparari possit merito de congruo, vt conferatur ex opere operato, quicquid ergo patres disputarunt contra Pelagium valet contra Pontificios.

Augustinus omnium accuratissimè tractat controuersiam de gratia contra Pelagianos, imo vero & contra Pontificios. Nam sic docet: c *Gratia per Dominum nostrum Iesum Christum, in qua nos sua, non nostra iudicia iustos facit, vt ea sit vera nostra iustitia, quæ nobis ab illo est*, hæc ille, non minus contra Pelagianos, quam con-

c *De gratia Christi. lib. 1. cap. 47.*

tra Tridentinos: qui negant cum Pelagianis imputationē iustitiæ Christi. Idēq; a *Intelligāt homines per eandē gratiam se iustificari à peccatu, per quā factum, vt homo Christum nullum habere posset peccatum.* b *Gratia est qua gratis datur, nō meritis operantiū, sed miserationē donantis.* c *Gratia? Dei per Dominū nostrū Iesum Christum, quare gratia, quia gratis datur, quare gratis datur? quia merita tua nō præcesserunt, sed beneficia Dei te prævenerūt.* d *Quid est gratis datur? gratis cōfitat, nihil boni fecisti & datur tibi remissio peccatorū. Attenduntur opera tua & inueniuntur omnia mala, si q; debetur istis operib. Deus redderet, vtiq; damnaret, nō tibi redderet Deus debitā pœnā, sed donat indebitā gratiā.* e *Qui ergo inde per gratiā liberantur, nō vasa meritorū suorū, sed vasa misericordiæ nominātur, cuius misericordia? nisi illius qui Iesum Christū misit in hunc mundum peccatores saluos facere* f *vivifica me secundū verbū tuum, bene autē non ait, vivifica me secundū meritum meum, sed secundū verbū tuum, quod quid aliud nisi secundū promissum tuum, filius promissionis vult esse, nō filius elationis, vt secundū gratiam fit ma fit promissio omni semini,* hæc ille, quā acriter pontificios etiā pungit, quos filios probat elationis, quia negant promissionē gratiæ fide suscipiendā ad iustitiā, nam imputationē iustitiæ Christi, q̄ Tridētini pertinaciter reiiciunt, Augustinus pertinaciter retinet. g *Ergo in tua iustitia, non in mea, quia mea quidē præcessit iniquitas, & quum ero iustus, tua iustitia erit, quia iustitia mihi abs te data iustus ero, & sic erit mea, vt tua sit, id est, abs te mihi data, in eum enim credo, qui iustificat impium, vt deputetur fides*

a *Enchirid. cap. 36.*

b *Lib. de grat. nou. test. c. 19.*

c *in Psal. 30.*

d *Ex prolog. Psal. 31.*

e *Libr. de natur. & grat. ca. 5.*

f *in psal. 118. conc. 19.*

g *in Psal. 70.*

mea

mea ad iustitiam. a *Inter gratiam, & prædestinationem hoc tantum interest: quod prædestinatio est gratiæ præparatio, gratia vero iam ipsa donatio.* Hæc, & plura in hanc sententiam Augustinus, vbi tunc fuerunt figmenta illa, de merito congrui de opere operato, de nitore & habituali qualitate inhærẽte? Prosper: b *Sicut nulla sunt tam detestanda facinora quæ possunt gratiæ arcere donũ: ita nulla possunt tam præclara opera existere, quib. hoc q̃ gratis tribuitur, pretributionis iudicium* c *debeatur. Vbi pœna præscribitur debet esse pœnitẽtia, vbi remissio donatur, gratia est, præcedit pœnitentia sequitur gratia, neq; pœnitentia ergo sine gratia neq; gratia sine pœnitentia, debet enim pœnitentia prius dãnare peccatũ vt gratia possit abolere.* d *De primi hominis pœna nemo liberatur, nisi per gratiã Domini nostri præparatam & prædestinatã in æterno concilio Dei ante constitutionem mundi. hæc ille.* Quam longe sunt isti à sensu pontificiorum. Sedulius e *Gratia Dei aut filius Dei dicitur, quia per suã gratiã gratis peccata dimisit,* num hæc pontificii ad suũ nitorem & habitum inhærentẽ trahere possunt. Leo 1. f *Causa reparationis nostræ non est nisi misericordia Dei, quem non diligeremus nisi prius nos ipse diligeret.* Isychius: g *Gratia ex misericordia & cõpassione præbetur, & fide cõprehenditur sola, non ex operibus.* Primasius h *Sola fide saluati estis per gratiam.* i *Christus pro peccatoribus & pro impiis mortuus est, vt ad credendum non merito, sed gratia vocaremur.* Fulgentius. Postquam gratiæ diuinæ catenam explicasset, sic k subiecit: *Hæc omnia, id est, & vocationis nostræ initia, &*

iustifi-

a *Lib. de prædest. sanct. cap. 10.*

b *Lib. de voca. Gentium.*

c *Ibid.*

d *Ad obiectiones Gallorum.*

e *In epist. ad Heb c. 2.*

f *Serm. 1. de ieiun 10. mensis & collect.*

g *Lib. 4. in 14. Leuitic.*

h *In epist. ad Gal. c. 1.*

i *In epistol. ad Rom. c. 9.*

k *Lib. 1. ad Monim.*

iuſtificationis augmenta, & glorificationis præmia in prædeſtinatione ſemper Deus habuit, quia & in vocatione, & iuſtificatione, & in glorificatione ſanctorum gratia ſua futura opera præſciuit.

a *Iu* 28. *ca.* 1. *Iob. lib.* 18. *ca.* 21.

Gregorius 1. *Gratia redemti ſumus, illa namque ſola opera male viuendo dedimus, quibus ſi iuſta retributio ſeruaretur, nō Chriſtus, ſed ſupplicia redderentur, ſed aliud homo per iuſtitiam meruit, aliud per gratiam accepit.* Quam ſincere Gregorius Papa contra Pontificios, figmentum vero illud Tridentinorum, de præparationibus noſtris, & merito congrui, ſic radicibus conuellit Gregorius, in illa verba Iob. *Quis ante dedit mihi vt reddam ei.* b *Nemo*, inquit, *quippe vt diuina illum gratia ſubſequatur, prius aliquid contulit Deo, nam ſi nos Deum bene operando præuenimus, vbi eſt quod Propheta ait, miſericordia eius præueniet me? Si quid nos bona operationis dedimus, vel eius gratiã mereremur, vbi eſt quod Apoſtolus dicit. Gratia ſaluati eſtis per fidem, & hoc non ex vobis. Dei donum eſt non ex operibus, ne quis glorietur. Si noſtra dilectio Deum præuenit, vbi eſt, quod Iohannes Apoſtolus ait, non quia nos dilexerimus Deum, ſed quia ipſe prior dilexit nos?* vbi etiam plura habet Gregorius in hanc ſententiam, & mox: *ſi ſaltem dona bonorum operum virtute noſtra bene cogitando præuenimus, vbi eſt quod curſus per Paulũ tam ſalubriter dicitur, vt omnis de ſe humana mentis fiducia ab ipſa cordis radice ſuccidatur, cum ait: non quia ſufficientes ſimus aliquid cogitare à nobis quaſi ex nobis, ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt*, Hæc Gregorius. Romani igitur Pontifices antiqui omnes noſtri

b *In Iob. lib.* 33. *cap.* 20.

ſtri ſunt, imo Chriſti ſunt: & cum Eccleſia Chriſti conſentiunt contra Tridentinos.

Caſſiodorus: a *Eſt quidem in mala parte exercabilis libertas arbitrii, vt prauaricator creatorem deſerat, & ad vitia ſe nefanda conuertat: in bona vero parte arbitrium liberum Adam peccante perdidimus, ad quod niſi per gratiam Chriſti redire non poſſumus: dicente Apoſtolo: Deus eſt, qui operatur in nobis, & velle, & perficere pro bona voluntate.* a *In pſal.* 117.

Olympiodorus: b *Summa ſalutis in miſericordiis domini, ac benignitate indiciis repoſita* c *eſt.* b *In Eccleſia. c.* 12. c *In expoſit. orat. dominic.*

Fortunatus: *hominis voluntas non habet bonum, niſi dominus inſpiret, iuxta illud Deus meus, miſericordia eius præueniet me.* Maxentius Iohannes. *Nullum* d *ab Adamo nunc vſque per naturæ vigorem credimus eſſe ſaluatum, niſi dono gratiæ Spiritus ſancti in fide nominis Ieſu. Liberum vero naturale arbitrium ad nihil aliud valere credimus niſi ad deteruenda tantum, & deſideranda carnalia, ſiue ſecularia.* & mox: *Quapropter anathematizamus eos, qui contra vocem Apoſtoli audent dicere noſtrum eſt velle Dei autem perficere, quum idem Doctor, & velle & perficere teſtetur donum diuinum.* Beda. e *Datur à patre credentibus fides, vt nemo glorietur in fide ſua, quæ à ſe non eſt, quaſi propria, ſed à Deo datur quaſi gratia.* f *Talis accipiet benedictionem, id eſt, multiplicationem à Domino hanc ſcilicet, vt in præſenti bene promouearnur, & in futuro bene remuneretur, & hoc non ex meritis, ſed ex ſola gratia, quia accipiet miſericordiam à Deo, id eſt, quia præcedit bona voluntas Dei in eo, & gratia eius, quæ non ex meritis eſt, ſed à Deo.* Hæc Beda noſter, multa d *Libello fidei. cap.* 3. e *In cap.* 6. *Ioannis.* f *In pſal.* 23.

paucis,

paucis, quæ sunt obseruatione digna. 1. fidem nemo habet à se, contra Pelagianos 2. fides est gratia: ergo gratia non oritur ex operibus, cõtra pontificios 3. hanc gratiam habent fideles, vt possint benepromereri in præsenti, ergo voluntas promerendi est ex gratia, non autẽ gratia ex voluntate, & dispositione promerendi, sicut dicunt pontificii 4. gratia facit, vt promereamur, sed nõ ex meritis, locutio Bedæ obseruanda, qua luculenter ostẽdit, antiquos patres quum merendi, & promerendi verbis vterentur, nõ illud voluisse, quod volunt Pontificii, quia merendi & promerendi verba retinent, patres & merita reiiciunt, mereri significat antiquis sine merito obtinere. Sic Gregorius a *ô necessarium Adæ peccatũ, ô felix culpa, quæ talẽ ac tantum meruit habere redemptorem*, hæc ille. Frustra igitur, & futiliter ex merendi verbo patrũ sententiam de merito concludunt pontificii, quia mereri nos docent patres sine merito, quia & peccatum dicunt meruisse.

a In benedict. cerei pasc.

Alcuinus b *Ex quo primus homo libero arbitrio venundatus est sub peccato, inde mala cœpit esse libertas hominis, quia ipsi libero, ablata est bonitas voluntatis, quam exinde nemo à se habere potuit, nisi gratia diuinæ misericordiæ adiutus habuisset.* c Rabanus: *Homo non iam aliter saluari potest, nisi per gratiam Iesu Christi, videlicet sui redemptoris.* Hactenus testimonia patrũ posuimus, sequuntur quos pontificii inter suos numerant, quitamẽ cum illis in hac re nihil habent commune.

b Lib. 2. de Trinit. ca. 8.

c Lib. 4 in Ecclesiast. c. 1.

Remigius: c *Cœli enarrant gloriam Dei: hanc scilicet, quod non ex operibus, quæ fecimus*

d In psal. 18.

vit, sed secundum suam misericordiam saluos nos fe-cit. Haymo a Iustitia Dei, hoc est iustificatio qua iustificat in se credentes, hæc est iustitia, qui omnes credentes dono patris, & filii, & Spiritus sancti iu-stificantur. b In præsenti tempore iustitia Dei ma-nifesta est, non ea solummodo, qua ipse iustus est, aut qua iustificatur, qui essentialiter ipsa iustitia est, sed qua induit impium, quando misericorditer de infidi-li facit fidelem, de adultero & fornicatore facit ca-stum, & continentem, de iniusto, & peccatore facit iustum, & amatorem virtutum. Hincmarus c Gra-tia Dei iustificat impios, hoc est ex impiis facit iustos. Gisilbertus: d Gratia Dei est, vt homo fide iusti-ficatus per ipsam aliquo modo posset, quod non esset. e Iustitia Dei quid? iustitiam Dei dico, non qua Deus iustus est, sed qua induit hominē, quē gratis iustificat impium, huic iustitiæ testimonium perhibent lex, & prophetæ. Anselmus f Nihil sumus: ni misericor-dia, & gratia Dei regamur. g Ab Ada vitio solo Christi gratia liberat, qua nō secundū merita hominum, sed gratis datur, quoniam Deus index est. quā multa, quam paucis Anselmus connectit? Nam & Pelagianos, & Tridentinos paucis ver-bis refutauit, Pelagianos quidem qui docue-rat gratiam dari secundum merita hominū. Hanc fuisse summam Pelagiani veneni sæpius monet Augustinus, pontificios vero, qui & ip-sii idem docent, nempe per suas illas, nescio quas dispositiones, præparationes opera pœ-nitentiæ, opera operata, & merita de congruo gratiam acquiri.

a Epist. ad Rō. cap 1.

b In cap. 3. ad Rom.

c Epi. ad Hinc mar. Laudu-nens.

d Lib. de alter tat. cap. 1.

e Ibid. c. 8.

f In epist. 1. ad Corinth. c. 3.

g In cap. 5. ad Rom.

Bernardus: h Sufficit mihi ad omnem iusti-tiam

In cantic. serm 3.

ciam ſolum habere propitium, cui ſoli peccani, omnia quod mihi ipſe non imputare decreuerit, ſic eſt, quia non fuerit, non peccare Dei iuſtitia eſt, hominis iuſtitia indulgentia Dei. a Mihi certe meritum deeſt, ſed non illi miſeratio, b Horreo quicquid de meo eſt, vt ſim meus, niſi quod illud magis forſitan meum eſt, quod me meum facit, gratia reddit me mihi iuſtificatum gratis, & ſic liberatum à ſeruitute peccati. Multa preterea in hanc ſententiam, ab hoc ſancto viro perſcripta, hęc ſufficiant ad inhærentem Tridentinorum iuſtitiam refutandam. Rupertus: c *Spiritus ſancti gratia vera, & ſola peccatorum remiſſio eſt.* d *Accepimus gratiam pro gratia; ſcilicet gratiam aternæ ſalutis pro gratia fidei præſentis, ad quam nos gratis, id eſt, nullis noſtris precedentibus meritis, per prædicatores ſuos ipſe vocauit, & gratuita peccatorum remiſſione iuſtificauit.* Hugo de S. Victore: e *Velle non poſſum niſi gratia Dei fuerit mecum, nulla enim eſt humana induſtria ſine gratia Dei, ex quo primus homo peccauit natura bonum perdidimus pariter & arbitrii.*

a *Ibid. ſerm. 14*
b *Ibi. ſerm. 67.*
c *tom. in Ioha. lib. 2. c. 1.*
d *lib. de conſcientiis.*

Hactenus gratia Dei recte, & ſincere à patribus ſuſcepta eſt, & expoſita, nec habitualis qualitas, aut inhærens nobis iuſtitia, aut meritum congrui, aut opus operatum, aut reliqua huius generis portenta Tridentina, ſcripta fuerunt, prædicata, vel omnino audita in Eccleſia ante annum Chriſti milleſimum, hoc eſt ante ſolutionem Satanæ, deinceps mutatio doctrinæ de gratia in Eccleſia Romana inchoata eſt. Patres igitur egregie fidem propugnarunt contra hæreticos, maxime contra Pelagium

legium, gratiam Dei ſic explicant, vt nihil aliud intelligant per gratiam, quam fauorem Dei, & acceptationem. Gratia eſt remiſſio peccatorum; gratia ex fide iuſtificat, gratiæ menſura pro menſura fidei, gratia ex miſericordia præbetur, in miſericordia conſiſtit; gratia eſt prædeſtinationis præparatio: gratia eſt in imputatione, gratia iuſtitiam Dei illuſtrat qua nos iuſtificat, qua impium indnit. Hæc atque his ſimilia magna fide, ac diligentia prædicata à veteribus, quid aliud demonſtrant, quam gratiam ab iſtis omnibus pro fauore Dei tantummodo habitam fuiſſe? nec tunc in Eccleſia Tridentinis figmentis locum fuiſſe; ac proinde omnes patres qui ſcripſerunt ante annum Chriſti milleſimum, anathemate Tridentino eſſe percuſſos.

CAPVT VIII.

De erroris origine.

IAm, vt erroris huius origo aperiatur: Petrus Lumbardus in hac re primus deſeruit veterum veſtigia Patrum, & venenum ſequentibus Theologis propinauit.

Quærit enim, a An gratia ſit virtus. Et ſic concludit: *Gratia illa (qua liberat voluntatem) virtus non incongrue nominatur, quia voluntatem hominis infirmam ſanat, atque adiuuat.* Aquinas deinde docet. b *Gratiam animæ qualitatem eſſe, ſed articulo proximo negat eſſe virtutem.* Qualitatem autem huiuſmodi ſic

a lib. 2. d. 27.

b 1. 2. q. 110. artic. 2.

ſcribit, quæ animæ inhæreat, atque vt illius verbis vtar, a *ſecundum quod eſt qualitas, dicitur agere in animam, non per modum cauſæ efficientis, ſed per modum cauſæ formalis, ſicut albedo facit album, & iuſtitia iuſtum.* Hæc ille. Ex quo fonte celebris illa inter pontificios doctrina recepta eſt: iuſtitiam hominis qua iuſtificatur coram Deo, eſſe qualitatem inhærentem, & charitatem, ſiue opera iuſtificare formaliter. Sed hæc docendi forma ante hæc ſecula inaudita fuerat in Eccleſia.

a 1.2 q 100 artic. 2.

Nec prætereundum nobis eſt, Aquinatem de eadem re, non eadem proferre, ſed pugnantia. Nam in commentariis in Epiſtolas, hanc de iuſtificationis gratia doctrinam integram retinuit, ita vt ſolius fidei iuſtificationē ſæpenumero confirmet. In ſumma vero (quo ſcripto Aquinas videtur ingenium ſuum ad Rom. Pontificis præſcriptum, & mandatū accommodaſſe, quod de aliis etiam fraterculis conſtat, maxime vero de Auguſt. Triumpho Anconitano, qui fatetur, ſe ad præſcriptum Roma. Pontificis docuiſſe) iuſtificationis doctrinā vehementer obſcurat, atq; hanc doctrinæ partem immutat. Iuſtificationē enim ſtatuit in remiſſione peccatorum, & in acquiſitione iuſtitiæ. b *Iuſtificatio impii, inquit, eſt remiſſio peccatorum, cum acquiſitione iuſtitiæ.* Itaq; quod veteres è ſcripturis docuerunt de imputata iuſtitia Chriſti, ab Aquinate vel omiſſum, vel reiectum videmus, qui loco imputationis acquiſitionem repoſuit. Exinde imputationis doctri-

b 1.2 q. 113. artic. 1.

doctrina missa est, à Tridentinis penitus reiecta. De præparatione sit docuit Aquinas. a *Quam vita æterna omnem naturæ facultatem excedat nõ potest homo neq; in statu naturæ integræ, neq; in statu naturæ corruptæ ipsam absq; gratia promereri.* Hæc ille. Quam sententiam confirmat etiam, ibid. q. 112. artic. 2. *nullum*, inquit, *meritum potest esse sine gratia.* Docet igitur Aquinas contra Tridentinos, nullum esse meritum congrui, quo nondum reconciliatus mereri possit gratiam iustificationis. Huic opinioni repugnat Scotus: Tridentini sequuntur Scotũ. Atq; istos errores Aquinas, & Scotus, tanquã duas Antichristi prouincias, sortiti videntur, vt Aquinas meritum de condigno inferret, Scotus vero meritum de congruo. Ita tamen Aquinas priorem errorem confirmat, vt & secundo fundamenta quædam posuerit. Sic enim docet: b *Opus meritorium hominis dupliciter considerari potest: vno modo secundum quod procedit ex libero arbitrio; alio modo, secundum quod procedit ex gratia Spiritus Sancti. Si consideretur secundum substantiam operis, & secundum quod procedit ex libero arbitrio, sic non potest esse ibi condignitas propter maximam inæqualitatem; sed est ibi congruitas, propter quandam æqualitatem proportionis. Videtur enim congruum, vt homini operanti, secundum suam virtutem Deus recompenset secundum excellentiam virtutis suæ. Si autem loquamur de opere meritorio, secundum quod procedit ex gratia Spiritus sancti, sic est meritorium vitæ æternæ ex condigno,* hæc ille quibus

a 1. 2. q. 114. art. 2.

b 1. 2. q. 114. art. 3.

verbis doctrinam de gratia Dei è ſcripturis & patribus traditam plane ſubuertit.

Bonauentura Aquinati σύμφωνα λόγῳ aliter docuit, de merito enim ſic habet. a *Gratiam iam habitam, per gratiæ vſum non contingit mereri, nec quantum ad meritum congrui nec quantum ad meritum condigni.* De gratia vero ſic diſputat, vt vix reperias inter Scholaſticos quenquam qui magis illuſtret hanc doctrinam, nam ſic ſcribit: b *Gratia reſpectu principii à quo, diuiditur in gratiam prædeſtinationis, vocationis, iuſtificationis, & magnificationis, primo enim Deus gratiam propoſuit, ſecundo offert, tertio confert, quarto complet.* Itemque ſic ſubiicit: *vt comparatur ad effectum, diuiditur, in præuenientem, & ſubſequentem, siue operantem, & cooperantem.* Quum itaque P. Lumbardus gratiam definiuiſſet virtutem, Bonauentura non ſequitur magiſtrum, tanquam ſeruum pecus, ſicut plerique ſolebant, ſed tanquã grauis cenſor c *Dicendum,* inquit, *quod Magiſter (vbi dicit gratiam eſſe virtutem) non intendit in illo verbo notificare gratiam gratum facientem, quantum ad ſuam eſſentiam, ſed quaſi per poſterius & quodammodo per effectum, quia in illos actus nõ exit gratia, niſi mediantibus habitibus virtutum, videlicet fidei, & charitatis, ideo notificans gratiam, dicit quod gratia nihil aliud ſit quam fides cum dilectione, pro eo, quod per illos habitus dicitur gratia in actus exire, per quos innoteſcit nobis* quo loco plura in hanc ſententiam habet Bonauentura. Et quamuis nonnunquam ex ſeculi ſui tenebris loquatur, tamen plura, & meliora paucis

a *Lib. 2. d. 27. art. 2. q. 1.*

b *Ibid. diſt. 26. art. 1. dub. 1.*

c *Lib. 2. d. 26. dub. 2.*

paucis attulit, ad gratiæ naturâ diſtinctionib. aperiendam, quam Cardinalis Bellarminus, qui gratiæ diſtinctionib. duo fere integra folia conſumpſit. Poſtea hæc res agitata fuit in Cõcilio Viennenſi, ſub Clemente quinto, ſicut conſtare poteſt ex Clementina prima. Quum enim ex Theologorum diſputationibus variæ de hac re, & incertæ ſententiæ circumferrentur. 4 quibuſdam ex ipſis dicentibus (vt Clementinæ verbis vtar) *per virtutem baptiſmi paruulis quidem culpam remitti, ſed gratiam non conferri?* aliis è contra aſſerentibus; *quod & culpa eiſdem in baptiſmo remittitur, & virtutes, ac informans gratia infunduntur, quoad habitum, etſi nõ pro tempore, quoad vſum. Nos autem* (inquit Papa Clemens) *attendentes generalem efficaciam mortis Chriſti, quæ per baptiſma applicatur pariter omnibus baptizatis: opinionem ſecundam (quæ dicit, tam paruulis, quam adultis conferri in baptiſmo informantem gratiam, & virtutes) tanquam probabiliorem, & dictis ſanctorum, ac doctorum modernorum Theologia magis conſonam, & concordem, ſancto approbante Concilio, duximus eligendam.* Hactenus Clementina.

a *Clem. lib. 1. de ſumma trinit. & fide Cathol. cap. 1.*

O quam diſparibus dominis antiqua hæc domus, (Eccleſiam intelligo) regitur. In antiquis Conciliis fidem è ſcripturis conſtanter confirmare ſolebant veteres: In hoc autem conuentu nulla eſt ſcripturæ mentio, ſed ſanctorum, & doctorum tantummodo modernorum. Per ſanctos hic intelligunt ſanctum ſcilicet Thomam Aquinatem; Bo-

nauenturam, aliosve eius fermenti: nam ante Lumbardi sæcula nemo sanctorum sic docuit. Porro hanc conclusionem, non tanquam cœlestem doctrinam, sed vt opinionem probabiliorem eligendam statuunt. Nouo planè & peregrino instituto. Nam quum de fide Catholica tractat Ecclesia Christi, non solet fluctuando ad probabiliores opiniones, nescio quas, dubitanter accedere: sed certam veritatem è scripturis definitam tradere. Viennense hoc Concilium celebratum est sub Clemente quinto, Anno Christi 1311.

Ex hoc fonte manarunt Scholasticorum subsequentium disputationes, de habitu infuso, & virtute inhærente: de opere operato in sacramentis de merito congrui extra sacramenta. Itaq; Iohannes Scotus sic docet: *a Gratia formaliter est virtus qua est charitas.* Hæc ex Aquinate: quædam ipse adiecit, quæ doctrinam meriti de congruo fœculentam Tridentinis pararunt. Sic enim docet: *b peccator potest ex naturalibus, cum communi influentia considerare peccatum commissum, vt offensiuum Dei. Potest voluntas peccatum sic consideratum detestari, & ille motus potest continuari, & intendi ante infusionem gratiæ: iste autem motus dicitur attritio. Et est dispositio, suus meritum de congruo. Si manet idem motus contra peccatum in esse naturæ & moris, qui prius fuit attritio, in illo stante fit contritio.* Hæc doctrina à Scoto vel inuecta, vel sedulo retecta est. Scotus ergo meritum congrui sic describit, vt in-

a *li. 2. dist. 27.*

b *lib. 4. dist. 14 qu. 2.*

vt intelligatur ante infusionem gratiæ in esse moris, & naturæ, atque in naturalibus.

Atque hæc est fides illa quam hodie sequitur curia Rom. hæc est illa præparatio, atque dispositio, quam solius fidei iustificationi opponunt Tridentini: quum sic dicant: a *Si quis dixerit, sola fide impium iustificari, ita vt intelligat nihil aliud requiri, quod ad iustificationis gratiam consequendam cooperetur, & nulla ex parte necesse esse, eum suæ voluntatis motu præparari atque disponi, anathema sit.* Hic est ille motus voluntatis, quem supra descripserat Scotus. Itaque Bellarminus ex Concilii Tridentini decreto sic docet. b *Potest homo nondum reconciliatus per opera pœnitentiæ impetrare, & mereri ex congruo gratiam iustificationis.*

a *Sess. 6. cā. 9.*

b *Lib. 5. cap. 22. de iustific.*

Ergo Pelagii errorem ex inferis plane reuocant Tridentini: Nam quod Augustinus, aliique patres in Pelagio damnarunt, in eo maxime erat, quod doceret Pelagius, gratiam dari secundum merita, de qua re Augustinus lib. 1. cap. 6. de gratia Christi, contra Pelagium, & Cœlestinum, qua sententia restantur veteres, gratiam Dei penitus euersam. Itaque affirmāt Pelagium negasse gratiam. Quod si gratiā negauerit, qui docuit illam dari secundum merita: profecto non magis Pelagius, quam Pontificii gratiam negant, quid enim interest, dicas ne, gratiam dari secundum merita, quod in Pelagio hæretico damnarunt orthodoxi patres: an sic doceas, opera ante reconciliationem, & gratiam facta,

mereri gratiam iustificationis? quod docent hodie Tridentini.

Verbis videri volunt à Pelagio discedere, reuera consentiunt. Pelagius gratiam apertius expugnabat, quod isti occultius faciunt. Pelagius primo docuit, non gratia, sed meritis nostris nos saluari. Patres è scripturis docuerunt, non meretis nostris, sed gratia Dei. Tridentini hæc ἀσυμβάτως coniungunt, sicut & Pelagius, admonitus coniunxit & vtrumque retinere volunt, & gratia, inquiunt, & meritis. Sed quia in iustificatione impii gratia & merita simul stare non possunt: *Si ex gratia, iam non ex operibus alioquin gratia iam non est gratia*: iccirco Tridentini quum in hac re duobus seruire non possint tam contrariis mandantibus, alterum abiiciant necesse est, vel gratiam, vel meritum. Sicut enim qui verum Dei cultum simul cum Baalim retinere volunt, vtcunque verbis profiteantur, reuera Dei cultum conculcant: Sic qui gratiam & merita coniungũt in iustificatione, quæ, si scripturis fides habeatur, coniungi non possunt, gratiam Dei penitus reiiciunt, vtcunque verbis frigidis admittere videantur. Venenum Pelagianum intus conditur Tridentinis; quod si vna interrogatiuncula vrgeas istos, erumpet protinus, quod conditum erat. Quærimus ergo (quoniam multa garriunt isti de auxilio gratiæ) vtrum ideo adiuuetur voluntas, quia voluit: an ideo voluerit, quia adiuuatur? dicunt isti, ideo adiuuari voluntatem, quia voluit, auxilium gra-

Rom. 11. 6.

tiæ

...r, verbis concedunt, re ipsa tollunt cum Pelagianis, hanc enim Pelagianę hæresis summam fuisse obseruat [c] Prosper. Si dicant, ideo gratuitatem velle, quia adiuuatur, tollitur illa præparatio, & meritum de congruo, quod ex Scoto exceperunt Tridentini.

[c] *Epist. ad Augustin. de reliq. pelagian. hæres.*

Nec Tridentinos iuuabit, si dixerint, hominem non reconciliatum mereri posse, non vitam æternam, sed gratiam iustificationis, & per gratiam tandem vitam æternam. Nam Patres, qui Pelagium execrantur, tantum de gratia Dei dimicant. Neque enim quæstio erat, an per gratiam vita æterna sit comparanda: sed in eo controuersia veteribus fuerat cum Pelagio, quomodo quispiam ad gratiæ statum prouehi possit. Contendunt Patres contra Pelagium, ad gratiam, & reconciliationem consequendam, non nostra opera, non liberum arbitrium, non merita valere. Concedunt nos gloriam consequi posse per gratiam, negant autem gratiam nos consequi posse per opera nostra. Quod quum profiteantur Pontificii, in manifesto Pelagianismi luto hærent, & cũ Pelagio, vt gratiæ diuinæ hostes à patribus, atque ab Ecclesia Dei damnantur.

Iam igitur constare potest, quod originem huius erroris attinet, ante annum millesimum neminem in Ecclesia Romana inuentũ fuisse, qui de gratia Dei aliter disputarit sentiritue, quam sacræ scripturæ tradunt. Nam & patres Græci, & Latini, & quicunque cum Romana Ecclesia consensum habuerunt, contra

Pelagianos errores ſemel exortos fortiter di micarunt; ita vt præter Pelagianos, de hac re nemo dubitauerit, Eccleſia Romana integ perſtiterit. Id quod luculenter conſtare pote ex ſcriptis Cæleſtini, & Leonis, Pontificum Romanorum contra Pelagianos in Galliis. Cæleſtinus multa etiam Romanorum Pontificum teſtimonia contra Pelagianam hæreſim congeſsit, Auguſtini ſcripta contra Pelagianos Catholica probat, & (quod plus valet apud Tridentinos) teſtatur Cæleſtinus Rom. Epiſcopus eiuſdem Auguſtini ſcripta à Sede Apoſtolica maxime ſemper fuiſſe probata: *a vt Auguſtinus inter magiſtros optimos*, inquit, *etiam à meis ſemper deceſſoribus haberetur*. Leo verò de eodem negotio Concilium Arauſicanum II. contraxit aduerſus reuiuiſcentes per Gallias Pelagianæ hæreſeos errores. In quo Concilio renouata, & confirmata eſt Catholica, & Apoſtolica, eademque Auguſtini de gratia, & libero arbitrio, doctrina, canonibus ipſis ex beati Auguſtini libris paſsim decerptis. Romanæ Eccleſiæ fides integra in iſtorum Pontificum veſtigiis permanſit, vſque ad annum Chriſti milleſimum. Poſt annum milleſimum, ſoluto Satana, opinionibus incertis, & nouis fictionibus fides antiqua apud plurimos fluctuare cæpit, donec Concilio Viennenſi Clemens PP. V. non fidem Catholicam, ſed fluctuantem inter probabilitates opinionem elegit; ſacramenta conferre gratiâ. Hinc Theologorum tenebroſæ diſputationes de qualitate in-

a *Cæleſtin. epiſt. pro B. Auguſtino, de gratia Dei ad Epiſcopos Gall.*

inhærente, de opere operato, de merito ngrui; sed hæc inter priuatas opiniones fraculorum circumferebantur, donec tandem in Concilio Tridentino pernicioſæ iſtæ ſpeculationes pro Eccleſiaſticis dogmatibus ſtatuerentur.

FINIS.